
SIDAD AU
CCIÓN G

PHILOSO

PHIÆ

B52
.G8
v.2
c.1

009924

1080021748

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONUM ELEMENTARIUM PHILOSOPHIÆ

ad usum Studiosæ Juventutis

AB ANDREA DE GUEVARA,

ET BASOAZABAL

GUANAXUATENSI PRESBYTERO.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS

LOGICAM, AC METAPHYSICAM.

Editio secunda Veneta secundis Auctoris curis.

VENETIIS

1819.

APUD FORESTI & BETTINELLI.

46325

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

B52
G8

Καταφαίνεται τοίνυν προπαιδεία ἡ Ἑλληνικὴ, σωὶ τῇ αὐτῶν φιλοσοφίᾳ θεόθεν ἦκαν ἐς ἀνθρώπους . . . . . Φιλοσοφίαν δέ, οὐ τὴν Στωϊκὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικουρούντε, καὶ Ἀριστοτελικήν. ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς, διακοσμοῦσα μετὰ εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο συμπᾶν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί. ὅσα δὲ ἀνθρωπίνων λογισμῶν ἀποτεμνόμενοι παρεχάραξαν, ταῦτα οὐκ ἂν ποτε θεῖα εἴποιμι ἂν.

(Κλεμ. Ἀλεξ. Στρ. Α. κ. ζ.)

Manifestum est igitur, primores illas Græcorum disciplinas unà cum ipsa Philosophia a Deo in homines descendere... Philosophiam dico non illam Stoicam, neque Platonicam, Epicuream aut Aristotelicam: sed quæcumque ab his sectis bene dicta sunt, justitiam cum pia scientia docentibus, selectum hoc omne voco philosophiam. Cetera autem, quæ humanis commentis depravarunt, haudquaquam divina dixerim.

Clem. Alex. Strom. lib. 1. c. 7.

CAPILLA ALFONSINA
U.A.N.L.
FONDO ANTIGUO
VALVERDE Y TELLEZ
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

PRÆFATIO.

Non is sum, qui aliud in fronte libri, aliud dorso operis lectoribus exhibeam. Juventuti me scribere professus sum, juvenum captui, ac profectui me accommodans: hocque pro virili parte enitar, ut præstem; fortasse etiam nonnulla mei nominis jactura, si, quod minimè intendo, in alicujus sapientis manus hoc opus inciderit. Ille enim jam mos apud plures philosophicarum institutionum auctores invaluit; ut pene obliti, adolescentium se institutioni scribere professos esse, ea, quæ tradunt vel exercitatis in pulvere philosophico viris negotium facessant. Ego autem neminem nomino, ut quis mihi jure succenseat, tamquam hæc dixerim, ut unum aliquem, aut plures viros doctos suggillem. Omnes summo honore habeo, ac pro meritis quemque pendo; quin tamen ea, quæ minus mihi recta videntur laudem, aut probem; vel quod magis reprehendendum foret, tamquam servum pecus eorum vestigiis insistam.

Ac mihi quidem ea ratio omnino aliena ad juventutis institutionem in philosophicis visa est; quæ relicto scholarum vetere quæstiones agitandi more, oratoria quadam ac fusa oratione tum probationes exponendo, quum etiam argumenta extri-

23024

cando, rudem indigestamque molem juvenum mentibus objicit. Non quod revera sint rudia, & indigesta scripta; imo & concinna, & pulchra, & apte disposita esse, concedere non gravabor exercitatis in philosophia mentibus. Verum si iis, quos ratiocinandi arte rudes informandos accipis; aut nondum bene in ea instructis, tamquam provecto oratorio more quæstiones enodandas proponis; perinde agis, ac si lucis egens mens, quum nulli sua forma maneat; postquam omnia evolvit, cæcoque exemit acervo, dissociata locis, concordi pace ligare, ac in syllogismos rite disponere posset. Sane qui sic se gerit, aut juvenum ignorat indolem; aut juventuti se scribere ostendens, aliud in animo versat, quam juventutis profectum.

Hæc autem ideo præfari volui, ne aut ignorare me, quæ alii scripserunt; aut nulla ratione inductum veterem philosophandi morem tenuisse, aliquis suspicetur. Scimus etiam hodierna consuetudine satis receptum, scripta omnigenæ eruditionis farragine undecumque collecta replere, paginasque continentibus, ac prolixis adnotationibus ad duas tertias operis partes, eoque amplius obducere. Perfacile id quidem foret, ut omnes in re litteraria vel parum versati, satis norunt: at merito nobis dici posset: sed nunc non erat his locus. Fortasse in alio scribendi genere hujusmodi litterario pedantismo, ut de calculo algebrico, jure an injuria alii viderint inquiebat Vernejus Lusitanus, locus esse aliquando poterit, dummodone gloriolæ eruditionis captandæ, sel genuinæ scribendi formæ standum sit. Nec tamen hæc ita dicta existimari velim, pe inde quasi auctorum citationibus omnino parcendum

dum credam: quum & modestiæ sit, sensa propria aliorum dictis confirmare; & grati animi signum, quæ ab aliis didicisti, ipsis accepta referre. Quod nos passim usurpamus, alieno ore loquentes, quod possemus proprio; non solum ob rationes modo allatas; verum stili etiam variandi causa, quod gratum accidere omnibus non diffidimus.

Quod si quis a me quærat, cuinam potissimum e philosophicis rectis sacramentum nuncupaverim? Clementis Alexandrini verbis huic voluntini præfixis responsum satis arbitror, me nullius addictum jurare in verba magistri, ad hasce elucubrandas institutiones accessisse. Fugacem veritatem quocumque persequi animo sedet, siquando in Academia, Lyceo, Porticu, aut Epicuri hortulis latentem assequi potero; nec Anglos, Gallos, Germanos, Italos adire gravabor, quum spes veri inveniendis apud ipsos affulserit. Recentiorum Peripateticorum hæreses minus agnosco: mihi enim semper visum est, nihil a recta ratione magis dissonum, quam ea de causa sententiam aliquam amplecti, promovere, ac aliis defendendam proponere, quod in schola, in qua prima litterarum rudimenta posui hujusmodi opinamenta veluti scholæ tessera tamquam pro aris, ac focis propugnarentur. „ Hoc autem liberiores & solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas; nec, ut omnia, quæ præscripta, & quasi imperata sint, defendamus, necessitate ulla cogimur. Nam ceteri primum ante tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, judicare potuerunt. Deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione

capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhærescunt. Nam quod dicunt; omnia se credere, ei quem judicant fuisse sapientem: probarem, si id ipsum rudes & indocti judicare potuissent. Statuere enim, quis sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis. Sed ut potuerint, potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis. Judicaverunt autem, re semel audita; atque ad unius se auctoritatem contulerunt. Sed nescio, quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur, exquirere. « Cic. in Lncul. cap. 3. *Sed jam præfandi finem faciam, ne majorem in molem præsens volumen excrescat, quod ad minorem citius redactum vellem.*

DIA-

DIALECTICÆ PROLEGOMENA.

1 Dialecticam sive Logicam describens, ac definiens Tullius (Tuscul. lib. 5. cap. 25.) hæc habet: „ sequitur tertia, quæ per omnes partes sapientiæ manat, & funditur, quæ rem definit, genera dispartit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera, & falsa dijudicat disserendi ratio, & scientia; ex qua quum summa utilitas existit ad res ponderandas, tum maxime ingenua delectatio, & digna sapiente „: quo quid elegantius, pressius, ac nitidius in dialecticæ commendationem dici queat, haud facile reperies.

2 *Hæc disserendi ratio, & scientia* naturæ, sive Dei naturæ Auctoris beneficio, animis hominum insculpta, *Logica naturalis* dicitur, eo quod homini ingenita sine ullo præceptorum adjumento, natura ipsa duce, vera a falsis, certum a probabili, fallacias a ratiociniis discernere instituat. Quotidiano enim usu atque experimento comprobamus, esse homines bene multos, nullis dialecticæ præceptionibus imbutos, quorum mens a natura optime conformata, nullis umquam ambagibus circumvenitur, ut vera pro falsis, aut verosimilia pro certis excipiat. Hi nimirum *Logica naturali* vigere dicuntur.

3 Ex hac naturæ institutione *Logica artificialis* emanavit. Homines enim ingenio non vulgari pollentes, quum ea, quæ ab aliis recte diserta, aut secus, attentius considerassent, causasque errorum, aut veritatis inventæ intime perscrutati fuissent; pedetentim in regulas, quibus humanus intellectus ad recte ratiocinandum dirigeretur, pervenerunt. Id etiam in aliis artibus, ac scientiis contigisse planum est, ut homo *meditando extunderet artem*, ad quam scilicet a natura instituebatur, eamque ipsam naturæ institutionem præfixis regulis ad artem perduceret. *Opus est itaque doctrina, sine qua, etiam si quid bene dicitur, adjuvante natura, tamen id quia forsuito fit, semper paratum esse non potest*; ut ajebat Tullius (in Bruto cap. 29.).

4 Logica igitur artificialis, quam tantum deinceps considerabimus, non immerito a Cicerone adnumerata fuit inter scientias; & quidem inter eas scientias, quæ non in sola rerum contemplatione sistunt; verum ad effectio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem eorum, quæ regulis ac præceptis traduntur, etiam conducit: atque adeò in artibus liberalibus, sive quæ animo potius quàm corpore exercentur, collocandam non immerito dixeris. Omnes enim Dialecticæ regulæ, certe principaliores e principiis certis atque evidentibus deducuntur, ac legitimæ demonstrationi subjacere possunt; quod satis, superque est, ut inter scientias sedem obtineat. Scientiam namque cognitionem rei certam atque evidentem e veris principiis deductam appellamus: Artem verò collectionem præceptorum ad opus aliquod sive animo, sive corpore peragendum: & quidem si corpore citius quam mente exercetur, ut fabrilis, aut textoria, ars mechanica nuncupatur; quod si animi intentionem magis, quam nervorum vires requirat, quemadmodum medicina, architectura, & aliæ plures, ars liberalis ab omnibus audit: quod Logicæ ad amussim quadrare quis inficiabitur?

5 Nam & si cæterarum artium liberalitas in controversiam adduci posset, Dialecticæ certe non posset. Aliarum enim *objectum*, sive materia, circa quam versantur, externæ res, aut materiales sunt: Logica verò intellectus nostri operationes dirigendas suscipit, qui quantum corpori præstent, nemo non videt. Attente tamen diversitas inter *objectum materiale*, ut ajunt, & *formale* intercedens adnotanda est. Primum dicitur materia, circa quam facultas occupatur: alterum forma sive artificium, quod in materiam inducit. Logicam verò mentis humanæ operationes dirigendas suscipere, atque easdem ad rectè disserendum conformare, perspicuum est: unde ipsius objectum *materiale* intellectus operationes sunt, *formale* regularum artificium, sive operationes ipsæ artificiosæ a mente nostra præceptorum ope ad rectè disserendum conformatæ. Finis tandem Logicæ, sive præceptorum, quod objectum *attributionis* appellant, est rectitudo mentis, qua vera a falsis distinguat. En luculentissimum Marci Tullii, inter eximios antiquitatis Philosophos numerandi, testimonium in lib. 1. de Finibus, ubi Epicureos exagitans sic ait: „ Jam verò in altera Philosophiæ parte, quæ est quærendi, ac disserendi, quæ λόγικη dicitur, iste vester planè, ut mihi quidem videtur inermis, ac nudus est. Tollit definitiones: nihil de dividendo, ac partiendo docet: non quomodo efficiatur, concludaturque ratio, tradit: non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit. Judicia rerum in sensibus ponit: quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum omne judicium veri, & falsi putat „.

6 Ex hactenus dictis Dialecticæ utilitatem nemo non videt. Ea sane tanta est, ut in Scholis quondam disputare-

retur; sit, nec ne, ad alias scientias comparandas ita necessaria, ut sine illius adjumento alterius cujusque scientiæ humanus intellectus compos fieri non possit. Et quidem duplicem scientiæ statum distinguebant; alterum imperfectum, quem indicat Horatius (Epist. ad Pison.): *mediocribus esse poetis non dii, non homines, non concessere columnæ*; perfectum alterum, qui rerum omnium notitiam ad scientiam pertinentium e propriis principiis deductam importat. Plerique utilitatem maximam in dialectica sitam esse profitentes, sine illius tamen adjumento vim necessariam menti humanæ concedebant, ut Logica naturali, sive lumine rationis duce, quamcumque aliam scientiam adipisceretur. Nec immerito: quis enim ante Zenonem Eleatem, quem primum ferunt Socrati dialecticæ præcepta in librum congesta obtulisse, nullum sapientem extitisse dicat, qui scientiam aliquam perfecte possederit? Nimirum ejusmodi quæstiones plerumque illius generis sunt, quæ a diversa utriusque sententiæ explicatione dependeant; atque eò fere recidunt, ut, lite bene perpensa, omnes in eadem reapse conveniant sententia, & solum dissentiant vocibus, ac modo res explicandi. Mihi vero constitutum est, eas tantum quæstiones, in quibus aut utilitas aliqua ad rem philosophicam eluceat; aut quæ ad severiores Theologiæ disciplinas maxime conducant, nostræ juventuti proponere. „ Quod eo liquidius faciam, ut cum Marco Tullio loquar, si perspexero, rerum inter eas, verborum ne sit controversia. Hujus ego nunc auctoritatem sequens, idem faciam: quantum enim potero, minuam contentiones; omnesque simplices sententias, in quibus nulla est *utilitatis* adjunctio, omnino a philosophia semovendas putabo „. (De Fin. lib. 2.)

7 Jam verò ut ad partes, in quas dialectica distribuitur, veniamus, mentis nostræ operationes intimè perpendendæ sunt. Quum primum rem quamque videmus, continuo ejusdem imago animo nostro sistitur: hæc simplex rei perceptio dicitur: velut aspicientes montem, solem, cœlum, quin de ipsis aliud cogitemus, eorumdem perceptionem, sive ut alii loquuntur, *simplicem apprehensionem* habere dicimur. Quod si ulterius progredientes, aliquid in ipsis animadvertamus, puta viriditatem in monte, lucem in sole, extensionem in cœlo, atque ipsis easdem convenire affirmemus, judicium formamus; quod secunda est mentis nostræ operatio, ac plerumque perceptionem comitatur. Deinde si duo judicia prius concepta conferentes, rem uni attributam in primo alteri convenire, aut non convenire, in altero judicamus; res aut diversas, aut unam esse deducimus; ut si prius monti viriditatem convenire judicaverimus; deinde solem viridem non esse, atque in-

inde diversos esse concludamus: ratiocinationem effecimus, ultimam, ac præstantissimam intellectus nostri operationem. Atque tres has mentis operationes tantum Logica considerare deberet, neque extra ipsas limites suo protendere, nisi experimento compertum fuisset, subinde cogitationes nostras ita fere debere serie quadam, velut perpetua connexione procedere, ut mens alias ex aliis notionibus perspicue deducat, & eo quidem ordine, quo a mente concipiuntur; ne præponens ultima primis, audientium aut legentium mentibus confusionem offundat. Hæc dilucida cogitationum nostrarum coordinatio methodus dicitur.

8 Quam methodum ut observarent recentiores, in quatuor partes dialecticam tributam nobis tradiderunt, eamdemque partitionem, & nos libenter sequemur; quippe rationi maximè consentaneam, & rerum tradendarum naturæ convenientem. In prima igitur dissertatione perceptionem sive ideam explicabimus: secunda judicium, ac propositionem; tertia syllogismum, sive ratiocinationem; quarta denique methodum exponemus. Quæstiones in Logica agitari solitas, utiliores dico, quæ ad sacram theologiam quoquomodo conducere videntur, ad Metaphysicam rejicimus. Quæ enim de identitate, & distinctione, de ideis universalibus, ac particularibus, ac si qua sunt alia, quæ in controversiam venire possunt; ad Ontologia, & Psycologiam pertinere nemo ambigit. Ceterum

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.
(*Hor. ep. 6.*)

DISSERTATIO I.

DE PERCEPTIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Perceptionum natura, & objectum.

§. I.

Perceptionis natura.

9 PLeraque ad perceptiones pertinentia metaphysicæ speculationis subjectum, potius quam sparta dialecticæ sunt. Ea tamen, quæ scitu necessaria ad rem logicam erunt, exponere est animus, ut facilius cetera percipiantur. Jam n. 7. perceptionis notionem dedimus; nimirum perceptio est ea mentis operatio, qua res cognoscimus, quin de ipsis aliquid affirmemus, aut negemus: *Simplicem* rerum *apprehensionem* alii vocant, ut ab alia, quam *apprehensionem* complexam dicunt, distinguant. Solem videns, quin aliud cogites, *apprehensionem* illius simplicem habes: quod si & ad lucem advertas animum, adeoque *sol splendidus* seu idea *splendoris* tamquam *soli* convenientis menti objiciatur, nondum assentienti, illum esse resplendentem; hæc erit *apprehensio* complexa.

10 Dum quivis res extra animum existentes videt, quædam parva imago ejusdem menti sistitur, quæ e lucis radiis ex objecto ad oculum reflexis in retina conformatur, atque ad cerebrum fibrarum ope transmissa percussio in oculo primum facta, animum monet de objecto præsente. Hæc imago, quæ animo sistitur, ἰδέα græcis, latinis & species, & notio dicitur. Planum est notionem & se ipsam & objectum percipiendum menti offerre: quemadmodum imaginem tui in speculo aspiciens, & tui imaginem, et speculum uno ictu conspicis.

11 Porro anima nostra in cerebro veluti propria sede collocata, ope nervorum toto corpore diffusorum, atque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL

inde diversos esse concludamus: ratiocinationem effecimus, ultimam, ac præstantissimam intellectus nostri operationem. Atque tres has mentis operationes tantum Logica considerare deberet, neque extra ipsas limites suo protendere, nisi experimento compertum fuisset, subinde cogitationes nostras ita fere debere serie quadam, velut perpetua connexione procedere, ut mens alias ex aliis notionibus perspicue deducat, & eo quidem ordine, quo a mente concipiuntur; ne præponens ultima primis, audientium aut legentium mentibus confusionem offundat. Hæc dilucida cogitationum nostrarum coordinatio methodus dicitur.

8 Quam methodum ut observarent recentiores, in quatuor partes dialecticam tributam nobis tradiderunt, eamdemque partitionem, & nos libenter sequemur; quippe rationi maximè consentaneam, & rerum tradendarum naturæ convenientem. In prima igitur dissertatione perceptionem sive ideam explicabimus: secunda judicium, ac propositionem; tertia syllogismum, sive ratiocinationem; quarta denique methodum exponemus. Quæstiones in Logica agitari solitas, utiliores dico, quæ ad sacram theologiam quoquomodo conducere videntur, ad Metaphysicam rejicimus. Quæ enim de identitate, & distinctione, de ideis universalibus, ac particularibus, ac si qua sunt alia, quæ in controversiam venire possunt; ad Ontologia, & Psycologiam pertinere nemo ambigit. Ceterum

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.
(*Hor. ep. 6.*)

DISSERTATIO I.

DE PERCEPTIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Perceptionum natura, & objectum.

§. I.

Perceptionis natura.

9 PLeraque ad perceptiones pertinentia metaphysicæ speculationis subjectum, potius quam sparta dialecticæ sunt. Ea tamen, quæ scitu necessaria ad rem logicam erunt, exponere est animus, ut facilius cetera percipiantur. Jam n. 7. perceptionis notionem dedimus; nimirum perceptio est ea mentis operatio, qua res cognoscimus, quin de ipsis aliquid affirmemus, aut negemus: *Simplicem* rerum *apprehensionem* alii vocant, ut ab alia, quam *apprehensionem* complexam dicunt, distinguant. Solem videns, quin aliud cogites, *apprehensionem* illius simplicem habes: quod si & ad lucem advertas animum, adeoque *sol splendidus* seu idea *splendoris* tamquam *soli* convenientis menti objiciatur, nondum assentienti, illum esse resplendentem; hæc erit *apprehensio* complexa.

10 Dum quivis res extra animum existentes videt, quædam parva imago ejusdem menti sistitur, quæ e lucis radiis ex objecto ad oculum reflexis in retina conformatur, atque ad cerebrum fibrarum ope transmissa percussio in oculo primum facta, animum monet de objecto præsente. Hæc imago, quæ animo sistitur, ἰδέα græcis, latinis & species, & notio dicitur. Planum est notionem & se ipsam & objectum percipiendum menti offerre: quemadmodum imaginem tui in speculo aspiciens, & tui imaginem, et speculum uno ictu conspicis.

11 Porro anima nostra in cerebro veluti propria sede collocata, ope nervorum toto corpore diffusorum, atque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL

ad cerebrum pertinentium, omnia explorat, quæ, vel intra, vel extra, corpus ipsum afficiunt, eorumque conscia redditur. *Facultas* hæc *sentiendi* appellatur; ipsaque actio, quas res externas, aut internas percipit, *sensatio*, aut *sensio* dicitur. Omnibus notum est, quinque modis partes corporis nostri ab objectis externis affici: per oculos scilicet, aures, nares, palatum, ac reliquos nervos toto diffusos corpore, quos *sensus externos* vocamus, anima diverso modo afficitur, & commovetur, juxta cujusque rei impressiones in prædictis membris factas. Hinc commotio animi a fibrillis nerveis excitata, *sensio*; perceptio verò externorum objectorum ipsam commotionem efficientium, *sensatio* nuncupatur: quemadmodum motio cerebri animo objectum repræsentans, *idea materialis*; actio animæ illam percipientis, *notio* sive *idea* spiritualis plerumque audit.

12 Corol. Ideæ materiales omnino a notionibus diversæ sunt, quum hæ sint spirituales, illæ autem permotiones organorum corporis. Sensiones pariter & sensationes, quæ actiones animæ sunt, inter notiones referri debent. En unde distinctio ideæ sive *conceptus formalis* atque *objectivi* inventa est. Conceptus *objectivus* est imago, sive motio menti repræsentans objectum; *formalis* verò, actio animæ ipsum percipientis. Atquæ hæc sunt, quæ ex Psycologia huc transferre visum est; quemadmodum, & in sequentibus plura etiam delibanda sunt, minime ad rem logicam directe pertinentia; illa tamen hic explanari consueverunt, ut ordo ille, quem ex objectorum varietate in suas classes distributa metaphysica induxit, ad perceptiones etiam commodius transferretur.

§. II.

De Ideis ad objecta comparatis.

13 Quum objectum sit id, quod objicitur potentiæ, aut facultati; mentique nostræ res omnes non tantum quæ existunt, sed & quæ existere possunt, objici, seu sisti queant; illius objectum erunt res omnes, quæ aut extiterint, aut esse in rerum natura possunt. Ut uno verbo universitatem rerum comprehenderent philosophi, nomen *ens* confixerunt, quod a Quintiliano civitate in latinis donatum, commodissime res omnes significat, & complectitur. Si ideam universitatis rerum, quatenus hoc nomine concluduntur, habueris, notionem universalem concepisti, cujus objectum sunt res omnes singulares, quæ existere possunt.

14 Porrò hujusmodi perceptionem habens, nihil concipis, quo peculiare aliquid in rerum universitate internoscas.

noscas. Si tamen inter entia unum aliquod supremum, a quo cetera esse incipiant, lumine naturæ dictante, cognoveris; generalem illam notionem in duas divisisti, quæ velut partes sunt alterius generalioris. Rursus inter res creatas aliæ sunt corporeæ, aliæ a corpore distinctæ, uti spiritus; qui vel corpori destinatus est, velut anima humana, aut a quocumque consortio cum corporea substantia disjunctus; quemadmodum esse angelos credimus. Corpus verò in duplici statu consideratur: aliæ enim sunt corporeæ substantiæ vitæ expertes, puta aurum, aqua: aliæ vitæ munere funguntur, quas inter plantæ a plerisque recensentur: hæ vero quum sensum non habeant, alia supervenit divisio, quæ tum sensiles, tum insensiles viventes agnoscit. Demum animal aut rationis capax est, uti homo; aut illius impos, uti sunt, quæ *prona spectant animalia cetera terras*.

15 Corol. Ut mens nostra rem aliquam ab alia internoscat, opus est, ut peculiare quiddam unam ab altera satis discernens ipsi manifestetur; quemadmodum in superiore descensu, in quo gradationem entium ab universaliore conceptu ad contractiores notas ostendimus. Porrò conceptus ille universalior dicitur *genus*; contrahens verò *differentia*. Manifestum autem est ex dictis, conceptus sive ideas illas, quæ respectu antecedentium contractiores sunt, genus in species dividere, sive contrahere. Eoque magis notiones illæ restringentur, quo plus ad singulares, quod *individuum* appellant, contrahuntur. Individuum scilicet est, quælibet natura in se completa, atque ab aliis singularibus distincta, ut Petrus, bucephalus, cetera. Vicissim a singularibus ideis ad universaliores ascensus fieri potest, eas exuendo illis characteribus, qui illas ad singularia individua deduxerunt. Hominem recogitans Athenis natum, Socratis discipulum, in Academia docentem, aurea eloquentia donatum, philosophorum omnium facile principem a Tullio nuncupatum; Platonis ideam me habere, quæ naturæ humanæ individuum mihi repræsentat, indubium est. Quod si non ad eas notas attendero, verùm ad id tantum, quod cum ceteris hominibus illi commune est; generaliorem notionem habeo: a qua etiam separare possum ea, quæ hominis propria sunt, ac sensationes unicè considerare, homini, ac belluis communes. Ab his iterum revocare queo animum, applicans ad vitæ notas etiam in plantis repertas; aut ad corporis naturam, qua & lapides donati sunt, vel demum ad universaliores notiones substantiæ, atque entis, quæ universam naturam complectuntur.

16 Schol. Hæc methodus ab individuis ad communiores notas ascendendi, aut potius separandi, dicitur *pre-*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Tellez

cisio, & *abstractio*, eo quod perfectiones rei, sive ut ajunt, *prædicata*, quasi scindat, ac secum trahat intellectus, ceteris relictis, quæ in idea non repræsentantur. Altera verò qua universalem notionem ad particularia prædicata contrahimus, *compositio* vocatur. Licet enim inquit Tullius (2. de Nat. Deor.) contrahere universitatem generis humani, eamque gradatim deducere ad singulos „.

17 Hujusmodi *perfectiones*, sive *prædicata* malis nuncupare, aliæ sunt *essentiales*, sive ad essentiam pertinentes, eo quod primæ occurrant in objecto, illiusque *esse* veluti componant, atque aliarum sint quasi origo, & fons. Ceteræ, quæ ab his dimanant, *attributa* dicuntur. Plerumque in homine vim sentiendi, ac ratiocinandi ejus essentiam componere autumant: loquendi autem, & ridendi facultatem inter attributa relegarunt. Demum notæ illæ, quæ nec constantes sunt, nec rebus necessariò conveniant, *accidentia* dicuntur, uti candidulos dentes habere. De his amplius in sequenti

§. III.

De objectis cum ideis comparatis.

18 Plura sunt, quæ in rerum natura non existunt, attamen a mente humana ita concipiuntur, ut quoddam veluti phantasticum *esse* acquirant, quod frustra ad res ipsas transferre tentaveris. Hujusmodi sunt, quæ prædicabilia Porphyrii dicuntur; & quinque vulgo numerantur: *Genus* nimirum, *differentia*, *species*, *proprium*, & *accidens*. Ex his quæ num. 14 & sequent. dicta sunt, facile horum nominum significata percipies. Genus est, quod de pluribus entium speciebus affirmatur. Quod si res omnes comprehendat, genus *supremum* dicitur: *infimum* quod nullum aliud continet: quæ inter utrumque continentur, *subalterna*, seu media nuncupantur, ex. g. *ens* genus supremum: *vivens* subalternum; *animal* infimum solet vocari. Differentia est nota quædam characteristica, quæ genus contrahit, & cum ipso *speciem* constituit; unde hæc est aggregatum ex notis sive attributis genus, ac differentiam componentibus.

19 Schol. Differentias ac species dividi posse in supremas, infimas, & medias, tantum negabit, qui de *lana caprina* contendere solitus est. Verum dialectici, quas species ac differentias supremas, medias &c. possent appellare, satius judicarunt ad tres classes differentiarum reducere. Prima est individuorum, quæ *numerica* solet etiam nuncupari: secunda specierum, quæ & *specifica* dicitur: ter-

tertia demum generum, sive *generica*, qua genera superiora ad species contrahuntur. *Petrus* ex. g. est differentia numerica, qua differt a Paulo, Joanne &c., *rationalis* specifica, qua differt a *Leone*, *Equo &c.*, *vivens* generica, qua ab auro, rebusque mere corporeis discernitur.

20 Corol. Genera, species, differentiæ eo modo, quo a dialecticis considerantur, extra mentem existere non possunt. Ea nimirum sunt conglobationes, ac partitiones rerum, quæ ab energia animi, sive a vi quadam methodica, si ita loqui fas est, proveniunt: qua quidem vi mens ideas suas ordinare, atque in classes referre studet, ut clarius, distinctius, ac nitidius res externas percipiat. Idem dictum habe de ceteris notionibus, quæ *universalia* a dialecticis audiunt, inter quæ etiam recensentur alia duo Porphyrii prædicabilia.

21 *Proprium* nimirum, quod quidem est attributum universale speciei soli, & semper conveniens. Facultas ridendi, aut loquendi, quæ veluti ab essentia emanare concipitur, inter hominis proprietates recensetur. Quatuor autem propriorum species distinguere solent: prima, quæ alicui speciei tantum convenit, sed non omnibus ejus individuis: et quidem philosophari hominis provincia peculiaris est; omnium tamen philosophari non est. Digitos autem habere, quantumvis speciei humanæ propriam sit, aliis tamen animantibus commune est: quod secundum divisionis porphyrianæ membrum constituit. Tertium verò proprietatem continet, quæ & omni, & soli speciei convenit, non tamen continenter eam exercet. Flosculos emittere plantarum est; enimverò hiemali tempore frustra veris amœnitatem expectes. Demum facultas se movendi omni animali, & soli, & semper competit: quæ proprietas *quarto modo* solet dici.

22 Accidens ultimum e quinque *prædicabilibus* est, quod adesse, aut abesse citra essentiæ mutationem potest. Hoc nomine comprehenduntur notæ omnes, quæ in subjecto variari animadvertimus, uti colores, calor, frigus, cetera: quæ quidem aptius a recentioribus *modi* appellantur, eo quod nihil aliud substantiæ importent, quam modificationem, sive diversum existendi modum.

23 Modos autem duplicis generis distinguunt. Internos sive substantiæ inhærentes, quos modò explicuimus: atque externos, quos *relationes* etiam dicunt, quemadmodum est, quæ inter duos parietes albos, aut cognoscentem inter, & cognitum intervenit.

24 Schol. Relatio hæc, sive modus inter cognoscentem, & cognitum causa fuit inveniendi vocabuluhr *concretum*, quod quidem a diversitate rerum, quæ sub eo comprehendi possunt, triplex dignoscitur: *Metaphysicum*, *Physicum*,

tum, & *Logicum* juxta varias formas denominationem in subjecto variantes. *Forma* autem concreti dicitur id, quod aliquam denominationem subjecto tribuit: *subjectum* verò eamdem recipiens.

25 Concretum *metaphysicum* illud dicitur, cujus forma a subjecto non distinguitur, uti facultas sentiendi, aut ratiocinandi in homine. *Physicum* contra, distinctionem inter utrumque importat; subjectum tamen formam inhærentem habet: puta viola purpureum colorem. Quod si ne adhæreat quidem, concretum logicum vocatur: veluti Stagiritæ Aristoteli nullo modo adhærent philosopherum præjudicia, tum illorum, qui illum appellant sapientiæ portentum, quo majus *quot sunt, quot fuerunt, aut quæ ventura sequentur sæcla* non viderunt; tum aliorum a quibus ipse deprimitur tamquam dignus, cujus scripta relegentur in vicos *vendentium thus, & odores*. Entrium concretorum exempla: *Animal rationale* concretum metaphysicum: *viola purpurea*, *Aristoteles vituperatus* concreta physicum, & logicum sunt.

26 Schol. Non incongruè a dialecticis animadversum fuit, in concretis formam duplici modo subjecto denominationem tribuere: sive duobus modis concretum sumi posse. *Subjective*, seu *specificative* sumitur, quum illi denominatio præcipuè tribuitur propter subjectum: *reduplicative*, seu *formaliter* si a forma desumatur. *Deus sapiens*, *Deus passus* concreta sunt, quæ utrumque modum manifeste indicant: sapientia enim Deo a natura sua præcipuè convenit: at doloribus fuisse obnoxium, non nisi quatenus *Verbum caro factum est*.

CAPUT SECUNDUM.

De Idearum diversitate.

§. I.

Idearum formalis differentia.

27 Idearum diversitas a modo objectum repræsentandi, quum etiam a rebus ipsis per easdem figuratis provenire potest. Primum vocant diversitatem *formalem*; secundum *materialem* seu *objectivam*. A modo objecta percipiendi notio potest esse *clara*, vel *obscura*: si rem cognitam satis ab aliis discernere possumus, uti stellas a sole, & luna, claram ideam habemus: secus, obscuram.

28 Schol. Indubium est, & quotidiana experientia comprobatum, varios claritatis, atque obscuritatis gradus in notionibus reperiri. Quod quidem a majore vel minore notarum numero, quæ in objecto percipiuntur; nonnumquam etiam ab attentione vivaciore, aut remissiore mentis, ni fallor, provenire debet. Tempore etiam remitti, aut intendi characteres idearum, satis superque probamus, dum præteritarum rerum obliviscimur; & quæ antea claræ nobis fuerunt, obscuræ deveniunt; aut frequenti objectorum adspectu, quæ primum caliginosa apparebant, luce quadam perfunduntur.

29 Mirum fortasse videbitur claras notiones confusas esse posse: attamen expositione planum fiet, ideas claras & *distinctas* & *confusas* reperiri. Claritati distinctionem addes, si non solum objectum ita percipias, ut ab aliis discernere queas, verum notas etiam omnes, aut plerasque, quæ in ipso sitæ sunt, animadvertas. Triangulum in charta descriptum attentè circumspiciens figuræ trilateræ claram & distinctam notionem habebis. Quum verò ad stellas oculos convertimus intempesta nocte, earumdem claritas mentem irradiat; confusè tamen distantiam & numerum, & magnitudines, cetera apprehendimus.

30 Corol. Omnis igitur idea distincta claritatem secum importat: clara verò non infert necessariam notarum in mente distinctionem. Si enim characteres omnes in objecto vides, ita tamen ut unum ab altero secernas, non potes, quin clarè ipsum concipias; quod ex num. præc. est habere ideam distinctam.

31 Rursus ideæ distinctæ in *completas*, & *incompletas* tribuuntur. Completa illa dicitur, quæ omnes notas ita comprehendit, ut unam ab altera secernat. Quæ verò partem tantum characterum dilucidè percipit, incompleta erit. Quod si mens præter notas distinctè conceptas, in qualibet nota peculiares caracteres internoscat, idea erit distincta, & *adæquata*: secus verò, *inadæquata*. Candide fateor, paullo scrupulosius inventam videri postremam hanc partitionem: eam tamen religioni duximus omisisse, quum a pluribus auctoribus circumferatur. Idem de alia, quæ in *complexas*, atque *incomplexas* notiones distribuit, dicere non dubitamus. Quid enim intersit, ideam complecti alias extraneas notas, ex. g. *lapidem* e *turri delapsum*, aut *calidum*; vel eumdem his notis exutum menti repræsentari, plane non video. Atqui *complexam* primam, *incomplexam* alteram notionem dicunt nonnulli authores. Quod si hanc divisionem retinere velis, per me licet.

32 Demum ne longius rem protrahamus, vividæ appellantur ideæ, quæ vehementius mentem percellunt, atque animum veluti concutiunt, quales solent esse terrificæ quædam animalium ac monstrorum species, diù multumque phantasiæ recurrentes. Debiles contra vix imaginationem percellunt, atque umbræ instar evanescunt.

§. II.

Differentia idearum ob objecta petita.

33 Etsi notiones nostræ in partes discerpi non possint, quia tamen earum objecta plures, aut pauciores notas menti exhibere solent; idcirco I. in *simplices* et *compositas* dividi consueverunt. Simplices illas concipio, quæ unicam notam objecti referunt; quemadmodum sunt generales illæ, *justitiæ*, *bonitatis*, *doloris*, *soni*. *Compositæ* autem erunt, quæ plures notas objecti exhibebunt. Uti *animalis*, aut *hominis* notio, in quibus *entis*, *substantiæ*, *viventis* simul indicantur, aut comprehenduntur.

34 II. Dividuntur etiam ideæ in *singulares*, quæ unicum individuum repræsentant, ut Platonis, aut Aristotelis notio: in *particulares*, rem individuam quidem, vago tamen modo referentes; ut vulgares loquendi modi; *quidam homo*, *aliquis Philosophus*: in *communes*, quæ rem pluribus communem modo collectivo comprehendunt; quales sunt *omnis potestas*, *nullus homo*: demum in *universales*; quemadmodum sunt *generum*, *specierum* etc. (18.)

35 Schol. 1. Plures philosophi ideas communes, atque universales promiscuas habent. Alii communes vocant, quas nos universales appellavimus; et vicissim universalibus communium nomen attribuunt. *Rerum, verborunem sit controversia*, alii viderint.

36 Schol. 1. In notionibus modo explicatis probè distinguere oportet *comprehensionem*, atque *extensionem*. Comprehensionem vocant notarum collectionem, quas idea universalis complectitur. Extensionem verò multitudinem individuorum, quibus ipsa convenit. Viventis notio perfectiones metaphysicas illius comprehendit, quæ oppido paucæ sunt, si easdem cum individuis omnibus viventibus, ad quæ notio extenditur, comparaveris. Quod si comprehensio crescat, sive ad plures perfectiones extendatur, extensionem minui necesse est: et vicissim comprehensiona minuente, alteram crescere oportet; ex. g. si *viventis* notas auxeris *sentientis*, aut *ratiocinantis adjunctis*, minorem individuorum numerum notio complectetur.

37 III. Ex hactenus dictis melius alteram notionum partitionem in *abstractas*, et *concretas* intelligas, maximè si articulum 24. attentius relegeris. *Albedinis* notio abstracta, *hominis albi* concreta est; eò quod prima formam a subjecto abstrahit; altera veluti ipsa concretum repræsentat. Abstractas etiam ideas vocare solent dialectici eas, quas *universales* diximus (34.); et quas etiam alio nomine *præcisivas* vocant (16.) unde tritum illud proverbium:

bium: *abstrahentium non est mendacium*. Intellectus enim percipiens in homine corpoream substantiam, quin alias sublimiores perfectiones concipiat, non idcirco easdem negare censendus est.

38. IV. Notiones *absolutas* etiam, et *relativas* distinguere oportet. Absolutæ sunt omnes illæ, nullam alterius objecti notitiam necessariò excitantes: contra vero relativæ non esse possunt, quin mentem ad aliam notionem transferant. Quis enim unquam creaturæ, aut servi nomen audiens, non statim ad rerum omnium conditorem, aut Dominum animum advertit? Certè easdem habere non poterit, nisi et Creatoris, et Domini notionem habuerit.

39 V. Demum ideæ *directæ* sunt, aut *reflexæ*. Directa illa dicitur, quæ suum objectum externum immediate considerat, ac repræsentat. Reflexa autem ad propriam ideam reflectit, ac se percipere cognoscit. Cartesiana illa *primogenita* idea; *ego cogito*, e qua vel demonstrationem suæ existentiæ, vel paralogismum, juxta varios opinandi modos, elicuit Cartesius, inter reflexas est adscribenda.

40 Schol. Ne eadem repetere debeamus capite sequenti, quæ tantum vocibus differre manifestum est, præmonuisse sufficiat, easdem partitiones, ac nomina, quæ notionibus hactenus competere docuimus, eadem et vocabulis, quæ *termini* appellantur in scholis, atque ideæ externæ dici possent, ad amussim convenire. *Terminus* enim *directus*, *reflexus*, *abstractus*, *concretus*, *absolutus*, *relativus*, *universalis*, *particularis*, *singularis*, ceteri, sunt ipsamet notionum vocabula, de quibus jam sit

CAPUT TERTIUM.

De Notionum signis.

§. I.

Signorum species.

41 *Signum* est res externa, quæ ex sui adspectu alterius objecti notionem suscitat. Non imprudenter *suscitare* dixi. Res enim, quæ per signum nobis ostenditur, præcognita esse debet, ut illius idea in nobis excitetur. Quas enim notiones excitabunt characteres sinici nobis, linguam Confucii ignorantibus? Eas tantummodo, quæ cum aliis antea visis analogæ fuerint. Sinæ verò et nativæ linguæ verba, et res per eadem significatas concipient.

42 Et hæc quidem signa ab hominum *institutione* dependent, atque idcirco arbitraria sunt; cuum alia sint *naturalia*, uti respiratio vitæ animalis signum est. Ad signum

verò *institutionis* quod attinet, manifestum est, nullam cum re, quam repræsentat, habere necessariam connexionem. Color niger nobis luctus notas præseferens Sinis hilaritatis et splendoris ideas in vestibus excitat. Albus verò mœstitiæ notas ipsis exhibens, plerumque nobis lætitiam conciliat. Porro ejusmodi signa institutionis aut a divina voluntate dependent, vel ab hominum conventione originem ducunt. Sacramenta nostræ religionis a divini Servatoris institutione emanarunt: Arabum notæ numericæ a plerisque nationibus cultis in usum arithmeticum adoptatæ sunt, utilitate suadente.

43 Plures alias signi divisiones prosequuntur aliqui auctores, veluti in *practicum*, quod rem, quam significat, efficit, aut continet; uti Sacramenta gratiam: et *inefficax*, cujus significati existentia ab illo non dependet: itidem *certa*, *probabilia*, *incerta*, *falsa*, de quibus nos longiorem sermonem texere, minime opportunum judicamus; quum plura de vocibus dicenda occurrant in sequentibus, quæ utiliorem sibi operam poscunt.

§. II.

De Terminis vocalibus.

44 Ingenue fatendum, barbarum quiddam *terminum* pro voce redolere, nativam latini sermonis puritatem sectantibus; veruntamen *aliter homines, aliter philosophos loqui* putaverunt *oportere*, qui isthæc invenerunt. Quæ verò usu recepta accepimus, nefas ducimus pervertere, ne novam philosophiam, aut philosophandi modum cudere videamur. *Terminus* itaque *vocalis* est vocabulum rem quamdam hominum institutione constanter significans. Planum igitur est, *terminos* esse signa arbitraria, ab eo, *penes* quem *arbitrium est*, & *jus*, & *norma loquendi*, aut antiquanda, aut posteritati tradenda; unde *multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque quæ nunc sunt in honore vocabula*, ipsis nec opinantibus quidem hominibus, e quorum usu suprema lex in his sumitur.

45 Omissis acceptionibus vocum, quæ grammatici juris sunt, aliisque jam antea (40.) explicatis, *terminus* dialecticæ considerationis in *univocum*, *æquivocum*, atque *analogum* distribui solet. Univocus terminus est, qui pluribus eademmet significatione tribuitur, ut homo. Æquivocus quamvis pluribus aptetur objectis, diverso tamen modo, ac sensu convenit, aliis quidem proprie, aliis autem improprio modo aptatur: *Leo* quidem, et *animal*, et *constellationem cælestem* indicat, aliam tamen notionem habebis legens: *tum movet arma leo*; atque audiens, *furit stella ve-*

vesani leonis. Analogus, qui inter æquivocos recenseri deberet, est, qui significationem partim eamdem, partim diversam includit, sicuti nomen *sanus* et medicamento, aut cibo tribuitur, et animali bene valenti; eo quod prima in altero restaurant, vel conservant sanitatem.

46 Schol. Hic solebant proprietates terminorum exponi, *Suppositio* nimirum, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Alienatio*, *Appellatio*. Suppositionem tamen ad dissertationem sequentem rejicimus, ubi sibi proprium vendicat locum. Ceteræ quamvis non multum ad rem logicam conferre videantur, breviter hic exponentur.

47 Ampliatio est extensio termini ad id etiam, quod expresse non significat: ut *Christus pro omnibus mortuus est*, non solum ad existentes, verum ad præteritos, ac futuros, electos, et reprobos extenditur. *Restrictio* autem ampliationi contraria est, ac terminum ad angustiores limites, quam ejus significatio amplecteretur, contrahit: sicut *Vicarius Christi*, quo nomine Summus Pontifex intelligitur, quum alii etiam Episcopi, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, Christi Vicarii sint. *Alienatio* impropria quædam participatio est nominis: veluti quum imagines *Sanctos* vocamus. Demum *Appellatio* est applicatio vocis ad peculiare significatum; quemadmodum si Alexandrum Aristotelis *magnum discipulum* appellarem, longe aliter intelligeres, ac si Magnum Alexandrum Stagiritæ discipulum dicerem.

48 Schol. Inter signa recenseri debent scriptura, gestus, motus, et siqua sunt alia, quibus interna sensa exprimi possunt. Hæc enim omnia vocum imagines quædam sunt, quemadmodum voces internarum perceptionum vices gerunt. Porro scriptura duplex distinguitur: *vulgaris*, et *hieroglyphica*: prima omnibus satis nota est. Hieroglyphica ab Ægyptiis ut sacras cæremonias arcanis figuris conservarent, inventa; aut potius scriptura primitiva, quæ, characteribus inventis a Sacerdotibus conservata, inter arcana Ægyptiorum recensetur, figuris symbolicis ad arbitrium connectis constabat. Mexicanorum scripturam ad hieroglyphicam accedere existimant nonnulli: inter quos vir mexicanarum antiquitatum studiosissimus Josephus Fabrega Comajaguensis, qui modo dat operam, ut codicem mexicanum exponeat inter ratiora Musæi Borgiani monumenta ab Em. Cardinali Stephano Borgia omnigenæ litteraturæ eximio cultore asservatum. Quod ad gestum attinet, satis apparet in concionatoribus sacris, oratoribus, comœdis, ac præcipuè in mutis quantam vim habeat ad animi sensa, præsertim commotiones, affectus, aliasque perturbationes indicandas.

§. III.

De recto Vocabulorum usu.

49 *Summæ Sapientiæ Pythagoræ visum est omnibus rebus imposuisse nomina* (Tuscul. 1. 25.); *et merito quidem, quoniam ratio ipsa neque tam nos juvaret, neque tam esset manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus.* (Quint. Inst. 2. cap. 16.) Primus quidem loquelæ usus est, ut nobiscum confabulemur; quoniam cogitare, plerumque est internè loqui: nec ferè umquam eveniat nos aliquid in mente revolvere, quin verba ipsa animo recurrant. Vinculum enim quoddam inter voces atque ideas interveniens, ipso loquendi usu ita menti imprimitur, ut notiones memoriæ recurrentes, vocum etiam recordationem nec opinantibus nobis intrudant; et vicissim vocabula præconceptas ideas, plerumque audientibus repræsentant.

50 Alter usus, et præcipuus quidem, quo *uno præstamus, vel maxime ferit*, est ad colloquendum *inter nos, et ut exprimere, dicendo, sensa possimus*. Et hic quidem duplex est, *civilis* alter, alter *scientificus*. Civilis usus in quotidiano cum hominibus commercio, ea nobis suggerit verba, quæ omnium captui maxime accommodata sint. Hinc duplex vitium societati perniciosum attente vitandum est, captiositas nempe in verbis, ambiguas loquutiones ad decipiendum usurpando: et *vaniloquentia*, quam paucis explanare oportet, ut nostra juventus, id ætatis vitium magna caveat diligentia. Vaniloquentiam garrulitatem eorum voco, qui scientifica vocabula in familiari colloquio fundentes, ea miscent, atque obtrudunt, quæ audientes vix quidem possint capere. *Ne pateant animi sensa, tacere potest*, rectè his monendum foret. Plerumque hoc vitio laborant adolescentes, scientiis operam dantes, qui opportunè, et importunè, quæ in scholis didicerunt, doctrinæ gloriolam captantes, etiam domesticis oblaterant, puerili garrulitate vocabula, quæ scientiarum sunt propria, in familiarem sermonem intrudentes. *Scientificus* enim usus locum tantum habere debet in scientiis tradendis, aut ea tractando, quæ facultatis cujusque propria sunt, coram his qui hujusmodi notionibus imbuti fuerint. Nonnulla etiam in his exponendis monent auctores, quæ operæ pretium adjungere existimavi.

51 I. Translatas loquutiones, tropos, atque exuberantis eloquentiæ ornamenta fugere quidem oportet, qui scientias tradit, aut tractat. Voces nimirum usurpare debet in propria significatione, et quæ docent magis, quam quæ delectant,

ectant, sectari. Ea enim interdum animum a veritate revocant, voluntatem demulcendo; atque attentionem, qua nulla re magis ad discendum indigemus a severioribus ad jucundiora transferendo. Neque hæc ita dicta intelligantur, quasi omnes eloquendi regulæ a philosopho prætermitti debere credamus, ac barbarum quemdam, atque inconninum dicendi modum adhiberi oportere. *Hanc enim perfectam Philosophiam semper judicavi*, ajebat Cicero, (Tuscul. libr. 1.) *quæ de maximis quæstionibus copiose posset, ornateque dicere:* quod et ipse in omnibus suis libris philosophicis abundè præstitit. Ad scholas tamen transferre Tullianam illam copiam, quod quidam auctor sibi licere credidit, nos minime opportunum judicamus.

52 II. Rerum affluentia, et verborum inopia cogit nos sæpe eodem vocabulo objecta diversa significare. Exemplum sunto, quæ causam, et effectum simul comprehendunt, uti *frigus, calor, frigidus, calidus, humidus, siccus* cetera, quæ tam causæ effectum producenti, quam sensationi ab ipsa excitatæ tribuere solemne habemus, ac notiones plerumque falsas inducimus. Ego quidem ita sentio, si in philosophia, aliisque scientiis, quæ disputationi locum præbent, voces ritè exponerentur, ita ut quid quisque dicat, sine ulla ambiguitate intelligeretur, plurimæ quæstiones magno animorum æstu agitatæ, omissæ fuissent non mediocri rei litterariæ emolumento. *Dementia enim est supervacua discere in tanta temporis egestate.* (Sen. Ep 43.). Ut igitur ambiguitas in verbis quantum fieri potest vitetur; vocum, quæ duplicem sensum reddere possunt, significationem explanare oportet; et quem ex his potissimum usurpandum decreverimus, palam animadvertere. Quod si deinde casu occurrat sensum variare, diligenter sunt præmonendi auditores, aut lectores, ne decipiantur. Significata etiam verborum ex auctoris mente, non ex nostra libidine, aut usu concipienda sunt. Plura hic afferre possem exempla altercationum inter viros, et doctos, et graves, quæ omnino vitari potuissent, ac deberent; attamen et libris conscriptis, et disputationibus publicis promoventur, maximo christianæ pacis, et charitatis detrimento; necnon heterodoxorum ac philosophantium incredulorum plausu, et cachinnis, hujusmodi digladiationes spectantium.

53 III. Nonnulli sunt, qui vix sua sensa exprimere, atque aliis manifestare possunt. Plurima dicunt, verba mutant, sententias addunt; dumque mentem suam magis explicare contendunt, minus se intelligunt, audientemque confundunt. Hoc vitium ab idearum confusione, aut a vocabulorum notionibus respondentium ignoratione, vel oblivione repetendum esse manifestum est. Qui enim di-

stinctas notiones rerum non habet, aut cui voces his exprimendis non suppetunt; res quidem concipere potest, exponere aliis non potest. Idcirco qui hoc vitio laborant, omnium, quæ discunt, notiones distinctas, ac *facundiam præsentem* comparare sibi studeant, ut audientibus ritè sensa depromant. Vide infra art. 300.

54 IV. Inania quædam vocabula, atque ex phantasiæ nostræ penu deprompta, quin ullum verum sensum includant, studiosè fugere debemus. Sanè defectu verborum, aut quia rem clarius manifestare nobis videmur, quædam confingi solent vocabula inania, quandoque etiam absurda, quibus nulla justa notio respondet. Rem exemplo *bilinei rectilinei* illustrat Jacquierus, quo nomine siquis spatium duabus lineis comprehensum velit explicare, rem quidem facile ab aliis intelligendam, absurdam tamen, atque omni notione vacuam inducet. Opiniones etiam nonnullæ extiterunt, quarum materia meliori philosophiæ luce inanis detecta est; attamen vacua significatione nomina ab nonnullis proferri audies, quæ in bibliothecis veluti antiqua monumenta in quorumdam libris asservantur: a quibus indicandis supersedere decrevi, quemadmodum & a pluribus aliis, quæ tacito nomine indigito, ne offensionem incurram eorum, qui *turpe putant parere minoribus, & quæ imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

55 V. Demum ne rem longius protrahamus, plura sunt in philosophia, ne dicam in omnibus aliis scientiis, barbara nomina, quæ usu communi recepta, egregiam præstant operam tradenti philosophiam, ob majorem perspicuitatem, ac brevitatem explicandi res, quæ majore verborum circuitione exponi deberent, si ad latini sermonis puritatem loquutio exigenda foret. Exemplo sit vocabulum *impossibile*, quod quidem ut vitaret Tullius, aut quia ejus ætate inventum non erat, continua circuitione utitur, ut notionem huic voci subjectam exponat. Idem dicendum foret de vocibus *objectum*, *subjectum*, sexcentisque aliis, quas invenire docuit *latini sermonis* egestas, ac novarum rerum inventio. Sane permolestum est tertio quoque verbo, ἀώριστον repetere, quando & ab Apuleio, & apud eos etiam auctores delicatioris palati, *impossibile* scriptum reperiamus: „ Dura quædam (ait *Quintilianus* Inst. lib. 8. c. 3.) admodum videntur, ut *ens*, & *essentia*, quæ cur tantopere aspernemur, non video; nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideòque paupertate sermonis laboramus. „ Plura in Marci Tullii libris philosophicis invenies ab ipso inducta verba, atque alios ut nova audant hortantis; quæ quidem omnibus danda est venia, dummodo sit *sumpta prudenter*.

DIS-

DISSERTATIONIS II.

PARS PRIMA.

DE DEFINITIONE, AC DIVISIONE.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione.

§. 1.

Definitionis notio.

56 *Definitio* est oratio explicans clarius id, quod simplici rei nomine confusè significabatur. Et quidem quum & nomina etiam seu vocabula sæpius explicentur, ut eorum significatio declaretur; definitio & *nominis*, & *rei* esse potest. Nominum definitionibus referta sunt lexica linguarum, quæ ab academiis evulgata sunt, ut patrii sermonis puritatem posteris veluti tabulis resignatis conservent. Rei definitio illius naturam debet explicare, cujus est definitio; propterea quod & *definitum* apud dialecticos vocari consuevit. In vulgata hominis definitione *Animal rationale* definitum est homo, cujus natura explicatur.

57 Schol. Plerumque apud auctores controversiarum, aut dissertationum initio status, ut ajunt, quæstionis poni solet, in quo nomina, & acceptiones *terminorum*, sive quo sensu ab auctore accipiuntur, lectori declaratur. In re arbitraria, uti sunt vocabula, frustra litem intenderis circa nominum usurpationem. Iniquius verò ages, si alio detorqueas sensum verborum, ut facultatem impugnandi inde arripias: hoc enim & subdoli, & pervicacis ingenii est, ne dicam maligni, & calumniantis. Plura exempla dabit lectio auctorum, maxime in his quæstionibus, quæ de *schola* vocantur; ac nuper in Dissertatione, quam de opinione probabili typis romanis emisit eruditus theologus Gaspar Segovia, olim vigente Societate Jesu in Romano Collegio primarius theologiæ professor, luculenter

stinctas notiones rerum non habet, aut cui voces his exprimendis non suppetunt; res quidem concipere potest, exponere aliis non potest. Idcirco qui hoc vitio laborant, omnium, quæ discunt, notiones distinctas, ac *facundiam præsentem* comparare sibi studeant, ut audientibus ritè sensa depromant. Vide infra art. 300.

54 IV. Inania quædam vocabula, atque ex phantasiæ nostræ penu deprompta, quin ullum verum sensum includant, studiosè fugere debemus. Sanè defectu verborum, aut quia rem clarius manifestare nobis videmur, quædam confingi solent vocabula inania, quandoque etiam absurda, quibus nulla justa notio respondet. Rem exemplo *bilinei rectilinei* illustrat Jacquierus, quo nomine siquis spatium duabus lineis comprehensum velit explicare, rem quidem facile ab aliis intelligendam, absurdam tamen, atque omni notione vacuam inducet. Opiniones etiam nonnullæ extiterunt, quarum materia meliori philosophiæ luce inanis detecta est; attamen vacua significatione nomina ab nonnullis proferri audies, quæ in bibliothecis veluti antiqua monumenta in quorumdam libris asservantur: a quibus indicandis supersedere decrevi, quemadmodum & a pluribus aliis, quæ tacito nomine indigito, ne offensionem incurram eorum, qui *turpe putant parere minoribus, & quæ imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

55 V. Demum ne rem longius protrahamus, plura sunt in philosophia, ne dicam in omnibus aliis scientiis, barbara nomina, quæ usu communi recepta, egregiam præstant operam tradenti philosophiam, ob majorem perspicuitatem, ac brevitatem explicandi res, quæ majore verborum circuitione exponi deberent, si ad latini sermonis puritatem loquutio exigenda foret. Exemplo sit vocabulum *impossibile*, quod quidem ut vitaret Tullius, aut quia ejus ætate inventum non erat, continua circuitione utitur, ut notionem huic voci subjectam exponat. Idem dicendum foret de vocibus *objectum*, *subjectum*, sexcentisque aliis, quas invenire docuit *latini sermonis* egestas, ac novarum rerum inventio. Sane permolestum est tertio quoque verbo, ἀώριστον repetere, quando & ab Apuleio, & apud eos etiam auctores delicatioris palati, *impossibile* scriptum reperiamus: „ Dura quædam (ait *Quintilianus* Inst. lib. 8. c. 3.) admodum videntur, ut *ens*, & *essentia*, quæ cur tantopere aspernemur, non video; nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideòque paupertate sermonis laboramus. „ Plura in Marci Tullii libris philosophicis invenies ab ipso inducta verba, atque alios ut nova audant hortantis; quæ quidem omnibus danda est venia, dummodo sit *sumpta prudenter*.

DIS-

DISSERTATIONIS II.

PARS PRIMA.

DE DEFINITIONE, AC DIVISIONE.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione.

§. 1.

Definitionis notio.

56 *Definitio* est oratio explicans clarius id, quod simplici rei nomine confusè significabatur. Et quidem quum & nomina etiam seu vocabula sæpius explicentur, ut eorum significatio declaretur; definitio & *nominis*, & *rei* esse potest. Nominum definitionibus referta sunt lexica linguarum, quæ ab academiis evulgata sunt, ut patrii sermonis puritatem posteris veluti tabulis resignatis conservent. Rei definitio illius naturam debet explicare, cujus est definitio; propterea quod & *definitum* apud dialecticos vocari consuevit. In vulgata hominis definitione *Animal rationale* definitum est homo, cujus natura explicatur.

57 Schol. Plerumque apud auctores controversiarum, aut dissertationum initio status, ut ajunt, quæstionis poni solet, in quo nomina, & acceptiones *terminorum*, sive quo sensu ab auctore accipiuntur, lectori declaratur. In re arbitraria, uti sunt vocabula, frustra litem intenderis circa nominum usurpationem. Iniquius verò ages, si alio detorqueas sensum verborum, ut facultatem impugnandi inde arripias: hoc enim & subdoli, & pervicacis ingenii est, ne dicam maligni, & calumniantis. Plura exempla dabit lectio auctorum, maxime in his quæstionibus, quæ de *schola* vocantur; ac nuper in Dissertatione, quam de opinione probabili typis romanis emisit eruditus theologus Gaspar Segovia, olim vigente Societate Jesu in Romano Collegio primarius theologiæ professor, luculenter

ter demonstrat, quam sæpe impugnandi libido transversos agat auctores.

58 Definitio naturam rei exponens aut est *descriptiva*, aut *essentialis*: prima omnes characteres potest continere, quæ rem ab alia sufficienter distinguunt. Descriptione tum præsertim adhibemus, quum notæ internæ non adeò nobis innotescunt, ut definitionem *essentialem* exhibere possimus. Hæc enim notas, sive perfectiones rei ad essentiam pertinentes tantum exponere debet, & hæc quidem juxta præcepta statim exponenda; unde *oratio explicans essentiam rei* dici solet.

§. II.

Definitionis leges.

59 I. Lex: *Definitio debet esse clarior re definita*. Ad hoc enim instituta est definitio, ut res non bene simplici nomine percipienda, per alias clariores notiones menti innotescat. Triangulum male definiret, qui *figuram, cujus anguli æquantur duobus rectis*, diceret. Hanc etiam legem transgrediuntur, qui verbis obscuris, synonymis, metaphoricis, inusitatis ad definiendum utuntur.

60 II. Lex: *Definitum ingredi definitionem non debet*. Clarius: notio ipsa rei definiendæ non debet esse pars definitionis. Nam ex præced. definitio clarior definito esse debet; quod obtineri non potest, si notionem rei exponendæ iterum in explicationem intrudas. Hoc enim, ut ajunt, esset *idem per idem explicare*: quemadmodum qui quadratum definiret, ipsum *figuram quadratam* appellans, ideam exprimeret, quam explanare contendit.

61 III. Lex: *Definitio omni & soli definito conveniat*. Quomodo enim exponere essentiam rei poteris (58), notiones aliis rebus communes exhibendo? Serio an joco hominem definierit Plato, *animal implume bipes*, non constat: vitiosam tamen esse eam definitionem satis indicat gallus gallinaceus in ejus scholam inductus avulsis plumis, quem *Platonis hominem* appellabat, qui ejusdem auditoribus spectaculum irrisorium voluit præbere. Et quidem aliis a *definito* conveniebat talis definitio: hæc autem *animal loquens* non omni homini conveniret, quum muti, homines quidem sint, loquentes non sint.

62 IV. Lex: *Definitio essentialis, & notionem genericam, seu aliis communem, & propriam sive specificam continere debet*. Brevius: *constare debet genere proximo, & ultima differentia* (18.). Corollarium præcedentis canonis est lex, quam exponimus: neque ea definitio omni, & soli definito convenire poterit, nisi genus proximum, ac ultimam dif-

differentiam comprehendat. En duas definitiones, in quas aut remotius genus, aut differentia latior vitium contra stabilitam legem inducit: *substantia rationalis*: *animal erectum incedens*. Prima enim hominem cum angelo confundit; altera proprietatem simiis communem adhibet.

63 Schol. Alii inter regulas definitionis hanc etiam enumerant, *ut sit brevis*. Mihi quidem hæc lex superflua videtur; quum brevitas necessario adesse debeat, si per genus proximum, atque ultimam differentiam rei natura explicetur. Libentius aliorum methodo subscriberem, qui eamdem legem sic exponunt: *Definitio ne sit redundans*: hoc enim luculentius superfluitatem verborum in definitionibus resecandam opportune monet. Brevis siquidem hæc esset: *animal rationale loquens*, & tamen redundaret. Quapropter si hanc libuerit, inter leges numerare, quintam hanc dicito.

64 VI. Lex: *Attributa in definiendo adhibita, positiva sunto; nisi defectus notionum attributis negativis uti cogat*: Brevius alii sic efferunt hanc legem: *Definitio ne sit negativa*. Sane rei naturam explicare per id, quod ipsi non convenit, citius est, quid non sit, quam quid sit dicere. Nonnumquam tamen negativæ differentiæ, aut necessariò adhibendæ sunt, eo quod positivæ non suppetant; aut congruentius per easdem attributum positivum indicatur. Vulgata definitio belluarum, *animal irrationale*, apprime notionem brutorum animantium nobis exponit, quam frustra aliis verbis exprimere luculentius tentaveris. Aliqui etiam animas brutorum definientes, *substantias immateriales* vocant, eo quod perfectio, quæ verbis negativis exprimitur, re attributum positivum indicat.

65 Schol. Ultimam definitionis legem prætermittimus, quæ nimirum ab nonnullis inter definitionis regulas recensetur: eam sic efferunt: *Definitio debet esse reciproca cum definito; aut definitio, et definitum mutuo convertuntur*. Equidem si *omni*, & *soli definito* conveniat definitio, non possunt non reciprocari. Cum enim *convenit definitio, convenire debet definitum*; & versa vice, cui definitum convenit, conveniat definitio necesse est: quemadmodum si alterutrum repugnat cum altero, & alterum cum ipso pugnatum iri, quis non videt?

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Divisione.

§. I.

Divisionis notio.

66 *Divisio* est oratio rem, sive totum, in suas partes distribuens. Maxima sane divisionis utilitas in eo sita est, ut *facilius per partes in cognitionem totius inducamur*. Illud autem, quod dividitur, *divisum* appellatur; partes verò, in quas dividitur, *membra dividentia*, aut divisionis, dicuntur.

67 Schol. Aliquas notiones metaphysicas hic præmittere oportet, ut quæ de divisione dicenda sunt, rectius comprehendantur, atque applicentur. Totum, aut partes suas actualiter distinctas habet; aut quamvis distinctæ actu non sint, in eo distingui possunt. Primum vocatur totum *actuale*, alterum *potentiale*: quæ denominatio etiam ad utriusque partes extenditur, ita ut *actuale* partes *actuales*, potentiale *potentiales* partes habeat. Rursus *totum* triplex distinguitur: *metaphysicum*, quod partes metaphysicas, sive attributa, quæ in ipso concipimus, continet, ut *vivens*, *substantia*, *ens*: *physicum*, partes actu distinctas, & ad essentiam, sive naturam physicam pertinentes; ut anima, & corpus: *logicum* seu *potentiale*, quod de pluribus prædicari potest, sicuti esse *animal* de omni sentiente verè enunciatur.

68 Juxta præcedentes notiones plures divisionis species distingui possunt. *Metaphytica*, quæ totum dividit in attributa ad essentiam metaphysicam spectantia: *Physica* partes distinctas rem componentes exprimit; quæ quidem si non ad essentiam physicam, verum ad integritatem tantum pertineant, *integralis* vocabitur. Demum *Logica* divisio est ea, quæ partes totius potentialis designat: num. 18. exemplum habes hujusce divisionis. Innumeræ aliæ species addi possent, puta *accidentales*, *modales* &c. quæ aut a rebus tractatis nomen accipiunt, aut sunt voces inductæ, quibus nulla vera notio respondet, uti suis locis ostendetur.

§. II.

Divisionis Leges.

69 I. Lex: *Membra dividentia exhaurire debent totum divisum*. Duplex vitium in dividendo committere possumus: omittentes scilicet aliquod membrum, seu partem divisi: vel id tribuendo, quod ad ipsum non pertineat: orbem dividentes in Asiam, Europam, & Africam veteres geographi, mutilam divisionem reliquerunt posteritati perficiendam, quum *oceanus vincula rerum laxavit*, & *ingens patuit tellus*, *Tiphysque novum detexit orbem*. Quod si ceteris jam enumeratis, præter Americam etiam adjungeres Aerem, redundantem divisionem faceres; quum aer, quamvis globum complectatur, extra ipsum situs sit.

70 II. Lex: *Membrum in membro contineri non debet*. Bis enim idem membrum recenseret, qui & implicitum in alio, & postea segregatum exponeret. Male partitionem Americæ perageres, si eam in septentrionalem, meridionalem, & in insulas divideres: insulæ enim in utroque membro continentur.

71 III. Lex: *Divisio sit immediata*: membra scilicet majora, aut generaliora accipiantur, quæ postea in alia minora, aut restrictiora, si opus sit, distribuantur. Semper enim majora clarius, & distinctius percipiuntur in toto, quam minuscula, quæ involutiora sunt, & obscuriora. Regna naturæ, ut ajunt, dividens quis in ea, quæ *victui deserviunt*, & *nutrimento inepta sunt*, contra hanc legem peccaret. Nam genera immediate huic notioni subjecta, *animale*, *vegetabile*, & *minerale* prius deberet exponere; deinde ad species sub his contentas procedere, quæ magis notioni tradendæ consentanea sunt: ex. g. animalia in *terrestria*, & *aquatilia* dividendo &c.

72. IV. Lex: *Divisio nimis prolixa non sit*. Nam quæ in minusculas partes concisa sunt, ac veluti in pulverem secta, confusionem pariunt citius, quam idearum distinctionem; quod scopus præcipuus est divisionis. Ad hoc enim vel maxime inventio definitionis, ac divisionis instituta fuit, scientiarum, & artium summo emolumento; ut rerum etiam reconditarum ideæ, quam fieri potest luculentissime, tradantur.

DISSERTATIONIS II.

PARS ALTERA.

DE ENUNCIATIONE, SIVE JUDICIO.

CAPUT PRIMUM.

Judicii Proprietate.

§. I.

Judicii notio.

73 Judicium inter, atque enunciationem ea interest differentia, quam in vocibus, atque ideis reperiri docuimus (40.). Enunciatio est propositio, sive manifestatio interni judicii: idcircò judicium externum, aut vocale appellari non immeritò posset. *Judicium* autem, prout a mente concipitur, quin enuncietur, est actus mentis, qua rem alteram alteri convenire affirmat, aut negat, seu duas aut plures ideas simul connectit.

74 Corol. 1. Quando actus mentis est unius de altera idea simplex affirmatio aut negatio, judicium dicitur *simplex*; ut etiam simplex appellatur *propositio materialis*, sive enunciatio judicii mentis verbis prolata. Hinc *propositio materialis simplex* tria saltem implicite debet continere; *subjectum* nimirum, *prædicatum*, et actum mentis has ideas per affirmationem aut negationem connectentis. Subjectum, prædicatum per *terminos* (44) exprimuntur: actus mentis a verbo *sum*, *es*, *est* declaratur: unde nulla est propositio materialis, in qua hoc verbum saltem implicite non contineatur.

75 Schol. Quoniam maximoperè in omni propositione subjectum a prædicato internoscere oportet; ut hoc facilè obtineamus, in propositionibus, in quibus verbum *sum*, *es*, *est* non exprimitur, præstabit ipsas in alias æquivalentes convertere, in quibus idem verbum palam expromatur:

tur: ex. g. Si propositio foret hæc: *Petrus amat Joannem*, in hanc converteretur: *Petrus est amans Joannem*; in qua statim apparet, *Petrus* esse subjectum, *amans Joannem* esse prædicatum. Sic etiam hæc propositio: *Studio philosophiæ excoluntur animi*, ad hanc traduceretur: *Studium philosophiæ est excolens animos*; ubi *studium philosophiæ* statim apparet esse subjectum, atque *excolens animos* esse prædicatum.

76 Corol. 2. Quod si tribus notionibus constare oportet judicium, perversitas aut rectitudo judiciorum a pravo, aut recto modo nostro concipiendi provenire debet. Divina sapientia ideo perfectissima est, quod omnia entium genera ita singillatim comprehendit, ut attributa, perfectiones, omnia denique, quæ in ipsis sunt, *nuda*, *et aperta sunt oculis ejus*; adeoque convenientias, disconvenientias, relationes, notiones denique universas, clarè, distinctè, ac perfectissimè introspicit. Nullum igitur *judicium* (invidia careat verbum, quod pro re nata, non ad veritatem compono) nullum igitur judicium erit in Deo, quod rectissimum non sit. In humana verò mente, quæ immensis ignorantiæ tenebris offunditur, eo magis ad rectitudinem judicia accedent, quo clarius, ac distinctius ideas rerum conceperimus.

77 Corol. 3. Non satis est notionem sufficientem subjecti habere: æquè oportet & prædicatum cognoscere, ut ejusdem convenientia appareat intellectui; & versa vice prædicati notio poterit menti adesse, quin subjectum bene percipiat. En perversarum animi sententiarum originem ac fontem inexhaustum! Errare siquidem necesse est, qui aut de re non benè percepta aliquid decernit; aut quam rem bene percipit, objecto non cognito applicare præsumit.

78 Corol. 4. „ Quibus de causis nihil oportet neque profiteri, neque affirmare, neque assertione approbare; cohibereque semper & ab omni lapsu continere temeritatem; quæ tum est insignis, quum aut falsa, aut incognita res approbatur: neque hoc quidquam est turpius, quam cognitioni, & perceptioni assertionem, approbationemque præcurrere „ (Tullius Acad. 1. c. 12.). Quod quidem Arcesilæ consectarium sano sensu intellectum, prudentissimum est consilium.

§. II.

Nonnullæ judicii proprietates exponuntur.

79 *Veritas*, *falsitas*, *certitudo*, *incertitudo*, *evidentia*, atque *obscuritas* hic nobis exponendæ sunt, antequam ad ea, quæ

quæ ex his sequuntur, scientia, opinio, fides, dubium, suspicio, gradum faciamus: ab his enim judicia nostra varias denominationes recipiunt, prout ab his afficiuntur; sive a diversitate, qua notionibus objecta percipimus. Si enim omnia æquè comprehensibilia forent, atque ita a mente conciperentur, diversitas nulla in judiciis appareret.

80 *Veritas* igitur logica est conformitas, aut convenientia notionis cum objecto: *falsitas* autem, ab eo discrepantia. Judicium itaque verum, aut falsum erit, prout objecto conforme, aut dissentiens fuerit. Plura alia vide artic. 138.

81 *Certitudo*, aut *incertitudo* status mentis quidam est, eamque citius attingunt motiva, quam judicia. Nimirum quum indicia veritatis ita manifesta sunt, ut omnimodam nobis securitatem de cognitionis veritate pariant, tum certitudinem habere dicimur; secus incertitudinem. Planum igitur est, certitudinem a veritate; incertitudinem a falsitate toto cælo abesse. Nostra judicia vera esse possunt, quin certi simus de eorumdem veritate: incerti plerumque sumus, quin falso judicemus. Certitudo autem falsitatem omninò respuit: incertitudo & falsitati, & veritati sociari potest. Facile ex dictis, quod judicium *certum*, quod *incertum* appelletur, dignosces. Cave tamen incertitudinem cum dubio confundas; quod pluribus erroribus occasionem dare solet. Vide infra n. 95.

82 Certitudo in *Metaphysicam*, *Physicam*, & *Moralem* tribuitur. Metaphysica omnem securitatem inducit, rem aliter se habere non posse: quemadmodum est illa principiorum: *totum est majus sua parte*: *non potest res simul esse, et non esse etc.* *Physicam* certitudinem pariunt ea omnia, quæ juxta naturæ leges fiunt. *Moralis* denique certitudo humanæ prudentiæ legibus tantum nititur; quæ tamen eam securitatem in animum quandoque introducit, ut nullam majorem vel metaphysica pariat. Romanos orbis olim dominos, aut Sinenses existere, æque nobis certum est, ac bis tria sex componere.

83 Schol. 1. Moralem certitudinem diversos gradus subire posse, nemo non videt. Humanæ quidem prudentiæ leges postulant, firmius me assentire rebus ab universa antiquitate testatis, quam his, quæ in quadam Provincia, aut Regno ab incolis in veris habentur.

84 Schol. 2. Minime inficiandum, certitudinem quamdam apparentem dari, quæ plures transversos agit, atque in falsitatem allidit. Qui hostiam consecratam inter alias temere confusam videret, apparentem certitudinem haberet, inibi substantiam panis adesse, quæ fide docente, per consecrationem destructa est. Plura alia sunt, quæ in eorum-

exemplum adduci possent, atque ab imbecillitate humanæ conditionis repetenda sunt; ac fusiore calamo cap. 2. Dissert. quartæ exponentur.

85 *Evidentia* illa appellamus, quæ ita clarè nobis apparent, ac si oculis intueremur. Judicium itaque evidens eam claritatem, ac distinctionem notarum habere oportet, ac si nobis dilucidè, perspicuè, atque *intuitivè* id quod affirmamus, præsentaretur. Evidentia igitur veritatem secum importat: evidentia tamen a veritate plerumque abest: quod non in mysteriis fidei tantum, verum in arcanis etiam naturæ secretis manifestum est. Ex his, quid judicium *obscurum* sit, sine ulteriore explicatione concipies.

86 Divisionem evidentiæ in *metaphysicam*, *physicam*, & *moralem*, ex his, quæ de certitudine diximus (82) deduces. Evidentiam metaphysicam de his rebus geometricis, aliisque demonstratis: physicam de his, quæ legibus naturæ manifestè fieri constat: moralem demum ab hominum testimoniis repetimus.

87 Schol. Quod jam de certitudine (84) præmonitum fuit, ad evidentiam apparentem hic transferre oportet. Hujusmodi exempla Pyrrhonem Eleatem in eum scopulum impegerunt, ut de omnibus dubitaret, suum ipsum dubium in dubium revocans. Elleboro melius sanandos, quam argumentis convincendos pyrrhonicos philosophos, quidam auctor monet, cujus opinioni non illibenter me subscribo. Fusius hæc Dissert. 4. jam citata tractanda venient.

§. III.

Scientia, *Fides*, *Opinio*, *cetera*.

88 Si ad nostrum intellectum nomen *scientiæ* referatur, est cognitio certa, ac evidens per demonstrationem acquisita: & hæc quidem *actualis* nuncupatur. Habitus verò asserta demonstrandi, aut nexus veritatum in mente permanentium, scientia *habitualis* vulgò audit; eo quod facilitatem pariat ad ea, quæ ad scientiam exponendam pertinent; id enim nomine *habitus* intelligunt philosophi, dispositionem quamdam animi, quæ actuum iteratione acquiritur ad rem expeditius, ac facilius exequendam. Quod si vox *scientia* ad veritates referatur; series quædam cognitionum evidentium peculiare objectum respicientium, veluti Geometria, Philosophia &c. scientia vocitatur.

89 Scientiam actualem non incongrue in *metaphysicam*, *physicam*, & *moralem* partiri possumus, quarum notiones ex supra dictis (82) de certitudine hauriendæ sunt, ne sæpius eadem repetamus. Solent etiam hæc nomina scien-

 tiis

tiis metaphysicis, physicis & moralibus applicari, quod ex modo loquendi facile dignoscitur.

90 *Opinio* est assensus mentis cum formidine. Hæc nimirum insignis est differentia scientiam inter, atque opinionem; illa omnem formidinem excludit; hæc quantumvis intellectum versus alteram partem inclinet, non ita securum reddit, ut certitudinem suis notionibus subesse existimet.

91 Corollaria. Objectum igitur sciantiæ est verum, & certum; opinionis probabile, & incertum: scientia in veritatem intendit, opinio circa probabilitates versatur. Plura sunt, quæ opinando cognoscimus, quam quæ per certitudinem manifestantur. Qui veritatem assequi non potest, is opinionem sequatur, necesse est, ubi mentis judicium ferendum occurrit. Hoc enim erit prudens, si adsint motiva sufficientia, ut judicium proferatur. Quamvis enim sufficientia non sint, ut tamquam certum affirmetur objectum; sufficere possunt, ut de illo opinemur.

92 *Fides* est assensus mentis propter loquentis auctoritatem. Quod si loquens neque errare, nec in errorem inducere possit, quod uni Deo summe sapienti, & veraci convenit, fides divina dicitur. Qui verò ignorantiæ obnoxius est, & decipiendi copiam habet, *humanam fidem* exigere tantum potest: cujus firmitatis gradus postea dabimus.

93 *Dubium* est suspensio assensus mentis, quæ ex duplici capite oriri potest. 1. Pluries assensum suspendimus, eo quod nulla suppetant momenta rationum ad judicandum, quod dubium *negativum* vocitant. Stellas esse pares, aut impares numero, ille tantum definiet, qui numerare stellas potest: dubium igitur nostrum circa astrorum numerum erit negativum. Cui vero rationum pondera ex utraque parte ita repræsentantur, ut lancem in nullam partem inclinent, dubium subest *positivum*. Affinitas quædam inter dubium, & suspicionem interest. Suspicio enim est quædam inclinatio mentis ad judicandum, quin sententiam proferat, eo quod non habeat momenta sufficientia ad assensum exhibendum.

94 Schol. Ex dictis non ægrè deduces, quando sit propositio *scientifica*, *probabilis*, *de fide*, *ac dubia*. Scientifica ad scientias pertinet. Probabilis, quæ ob unam, vel plures rationes videtur esse vera: intellectum tamen non omni metu liberat, ne subsit judicio falsitas. Propositio enim probabilis est opinionis enunciatio. Propositio dubia est, cui assentiri, aut dissentiri propter motivorum defectum, aut æquilibrium non possumus.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Suppositio terminorum in propositione.

95 Ad hunc locum reservavimus, quæ num. 46. exponi debebant circa suppositionem terminorum, ut tironibus ad manum sint, usui in sequentibus capitibus futura. *Suppositio* igitur est acceptio termini in propositione secundum significationem, quæ in ea usurpatur. Quum verò multimodis & significare & accipi voces possint juxta linguæ cujusque naturam, scientiarum, aut artium usum, arbitrariamque applicationem scribentis, aut loquentis, plures *suppositiones* sive acceptiones terminorum distinguere oportet.

96 1. Suppositio *materialis* est usurpatio vocis, quatenus est sonus articulatus. Hanc acceptionem passim adhibent grammatici. *Formalis* est significatio ipsa termini eo sensu, qui ab inventore linguæ inductus est.

97 2. Formalem suppositionem iterum dividunt in *logicam* (quam *simplicem* alii vocant), & *personalem*. Logica est acceptio termini in eo statu, quem in mente tantum habere potest: *homo est species*, id solum significare potest, quod juxta modum nostrum concipiendi, hæc vox *homo* significat (18). *Personalis*, ut ipsa vox indicat, ad rem in statu physico existentem refertur: ex. gratia *Christus est homo*.

98 3. Rursus *personalis* subdividitur in *singularem*, *distributivam*, *collectivam*, *disjunctivam*, *ac disjunctam*. *Singularis* est, quæ rei individuæ applicatur: ex. g. *Alexander Darium vicit*: distributiva ea dicitur, in qua terminus universalis singulis individuis applicari debet eo modo, quo enunciatur affirmando, vel negando: *omne animal est sensitivum*; *nullus lapis sensit*, distributivam suppositionem continent, quæ sic exponi, aut intelligi debet: *homo*, *leo*, *cetera sunt sensitiva*: *marmor*, *jaspis*, *adamas &c.* non sentiunt.

99 Distributivam suppositionem iterum in *completam*, & *incompletam* partiri oportet. *Completæ* exemplum supra habes, ubi terminus *sensitivum* convenit *singulis individuis generum*. Incompleta est illa, in qua terminus pro *singulis generibus*, non pro *singulis generum*, ut ajunt, accipitur, quemadmodum est enunciatio: *omne animal fuit in Arca Noe*: quæ tantum applicari potest animalium speciebus, non earumdem individuis. Ad hanc reduci potest illa propositio: *omnes in Adam peccaverunt*; quæ eo sensu acceptâ, ut *omnes contraxerint peccatum originale*,

Beatissimæ Virgini applicare nefas esset: quare in sensu tantum *exceptivo* hæc distributio enuncianda est.

100 Suppositio *collectiva* est acceptio termini pro omnibus individuis sub illo contentis: ut *omnes Mexici incolentes excedunt decem myriades*, quod cuilibet incolæ convenire non potest; & significat, collectionem individuorum hunc numerum facile superare.

101 *Disjunctiva* suppositio, ut quæ & *determinata* dicitur, indicat aliquem ex individuis, cui terminus convenire debet, aliis exclusis: ex. g. *aliquis Consul Romanus fuit eloquentissimus*: quam sic efferes, a Bruto omnes enumerando, donec ad Ciceronem devenias, cui solum convenire novimus. Et hæc quidem enumeratio per particulam disjunctivam fieri oportet, ut vera sit propositio; cujus tamen prædicatum, reliquis exclusis, uni demum applicari potest.

102 *Disjuncta* verò, quam *vagam* etiam vocant, eodem modo enunciatur per particulam disjungentem; his tamen convenire debet sensu, ut ajunt, *indeterminato*, de quibus prædicatur: *aliquis liber requiritur ad condiscendam Philosophiam*, æquè omnes philosophicarum institutionum libros editos comprehendit, quin aliquem determinatum designet.

103 Schol. *Suppositionem* subjecti, & prædicati facilè dignosces, dummodo, quæ hactenus dicta sunt, ritè perceperis. Nam 1. Si subjectum est universale, prædicatum verò conveniat singulis sub eo contentis, suppositio erit distributiva: ut *omne sensibile vitam habet*. Quod si non singulis, sed omnibus simul sit *applicabile*, *supponet collectivè*: ex. g. *omnes horæ diei sunt 24*, collectivam suppositionem includit. 2. Prædicatum propositionis affirmativæ supponit disjunctivè; negantis verò distributivè: *Cæsar est Romanus*, nimirum aut *hic* Cæsar est, *aut ille*, *aut alter ex individuis romana civitate gaudentibus*, exponi debet. *Lapis non est vivens*, idem significat, ac si diceret, *nec est planta*, *nec animal*, *nec homo* &c. Hinc tritum proverbium: *negatio est malignantis naturæ*.

CAPUT TERTIUM.

De materiali propositionum differentia.

§. I.

Propositio universalis, particularis, singularis.

104 *Quantitatem*, & *qualitatem* propositionum vulgò distinguunt dialectici. Quantitatem dicunt majorem, aut minorem extensionem subjecti; eo quod pluribus, aut paucioribus sit congrua. *Qualitatem* affirmationem, aut negationem, veritatem, falsitatem &c. Prima materialem, altera formalem diversitatem enunciationibus tribuit. Nimia dividendi prolixitas confusionem inducere solet (72): adeoque ne tironum mentes obruamus, utiliores propositionum species seligemus. Plures ex dictis a numero 79 propositionum species deduci possunt; quas repetere, esset crambem eamdem recoquere: aliæ etiam art. 94 explicatæ sunt.

105 Propositio igitur, si ejus materiam consideremus, *universalis*, *particularis*, *singularis* esse potest: universalis dicitur ea, cujus subjectum est terminus, qui distributivè (98) convenit omnibus sub eo nomine comprehensis: ut *homo est mortalis*: *nulla scientia sine labore discitur*.

106 Corol. Propositiones *collectivas* nullo modo inter universales recipi debere ex definitione nuper data facilè deduces: ex. g. *duodecim signa zodiacum componunt*, quæ collectiva est (100), subjectum enunciat, quod moraliter, sive per modum collectionis unum est, quemadmodum exercitus, civitas &c. quod distributivè singulis individuis sub eo comprehensis applicari non potest.

107 *Particularis* propositio erit, si subjectum conveniat alicui *indeterminatè* ex his, qui sub eo nomine comprehenduntur: ut aliquod *triangulum est æquilaterum*. Demum singularis singulare subjectum continet, cui uni individualiter talis vox applicari potest: uti *Uranus est recentissimè detectus*, in qua Uranus planetam nuper ab astronomis stellis errantibus additum significat.

108 *Indefinitas* propositiones eas vocant, in quibus ita enunciatur subjectum, ut disertè non percipiatur, an de omnibus sub eo contentis verificetur prædicatum: hujusmodi sunt omnes illæ sententiæ generalioribus dictis expressæ, quas vulgò *qualificationes* appellant: ex. g. *Torridæ zonæ incolæ subobscuro colore insignes sunt*: quæ quidem, si prædicatum contingenter subjecto conveniens, uti prædicta, includat, ad particulares est referenda: sin verò necessarium subjecti attributum indicat, universalis censeri debet.

109 Schol. Propositionem singularem plerumque ad universalem, aut particularem adducunt auctores; ita ut quælibet propositio singularis converti possit, aut sensum referat universali, aut particulari respondentem: ex. g. *Cæsar evertit rempublicam*, in hanc transferri potest: *Quidam homo Cæsar dictus*: aut *quicumque evertit rempublicam*, *Cæsar fuit*. Hanc propositionum transmutationem, conversionem, atque *æquipollentiam* vocant, de qua nonnulla tradere oportet, quippe quæ ad materiam propositionum non incongruè traduci potest.

§. II.

Conversio Propositionum.

110 Omnis enunciatio aut est universaliter affirmans, aut universaliter negans: vel particulariter affirmans, aut negans. Singulares enim ad particulares reduci supra monuimus. Has affectiones quatuor litteris vocalibus A, E, I, O designant dialectici, ac sequentibus versiculis comprehendunt, subindè ad artificiosam methodum propositiones convertendi usui futuris:

Asserit A, negat E: verum generaliter ambo.
Asserit I, negat O: sed particulariter ambo.

A universalem affirmativam, E negativam demonstrat: I particularem affirmantem, O negantem pariter indigitat.

111 Enunciationis asserentis, ac negantis natura probe est discernenda. Meminisse oportet, quæ num. 36. de comprehensione, atque extensione idearum animadvertimus; hic enim necessaria sunt, ut quæ de affirmativis propositionibus dicenda erunt, intelligantur. Prædicati *comprehensio* est id, quod in ejus notione includitur: *extensio* verò individua, quibus convenit. En binas leges ad dignoscendam comprehensionem, ac extensionem affirmantium, aut negantium enunciationum.

112 Prima Lex: *In propositione affirmativa prædicatum enunciatur de subjecto, quoad omnem tuam comprehensionem, non verò quoad omnem extensionem*: ex. g. *homo est animal*, declarat omnes animalis perfectiones homini convenire: nullatenus verò de ipso affirmat, esse omne animal. Alii brevius sic explicant: in propositione affirmativa de subjecto enunciatur *totum quod est, non omne quod est prædicatum*.

113 II. Lex: *Propositio negativa removet prædicatum a subjecto quoad omnem extensionem, non verò quoad totam comprehensionem*: quod insistendo breviori illi declarationi sic diceres: *negat omne, quod est; non totum, quod est*: ex. g. *homo non est brutum*, negat quidem inter belluas hominem computari, verumtamen sensationem belluæ convenientem ipsi convenire non negat.

114 Corol. Attributum igitur in propositionibus affirmativis sumitur particulariter: in negativis autem universaliter. Nam extensio denotat universalitatem.

115 Propositionis conversio est terminorum transpositio, quum nempe subjectum fit prædicatum, & versa vice: quod quidem sensum illius invertere non potest. Idcirco ex

ex veritate, aut falsitate unius, alterius pariter veritas, aut falsitas deducitur: ex gr. si falsa est hæc enunciatio: *nullus planeta per curvam circumagitur*; falsa itidem erit illius conversa: *quod per curvam circumagitur, non est planeta*.

116 Conversio triplex distinguitur: *simplex*, per *accidens*, & per *contrapositionem*. Simplex ille est, in qua tantum sedes terminorum mutatur, ut in præcedenti exemplo, ita ut quod erat subjectum, fiat prædicatum, ac versa vice: en aliud exemplum: *aliquis homo est animal*; sic convertes: *aliquod animal est homo*. Conversio per *accidens* non inducit omnimodam transpositionem prædicati, sive, ut ajunt, mutatur quantitas, ita ut universalis fiat particularis: ex. g. *omnis cometes est verus planeta*; per *accidens* in hanc tranformatur: *aliquis verus planeta est cometes*. In *contrapositione* termini ex finitis vi negationum fiunt infiniti, adeò ut *atrum desinat in piscem mulier formosa supernè*: quis enim ferat hanc enunciationem: *Venus propria luce non fulget*, in hanc converti: *aliquid propria luce non fulgens, non est non Venus*? quapropter tenebris sepultam hanc formulam relinquemus; quippe inter omnes convenit, parum usui esse, ad ea, quæ in scientiis traduntur, addiscenda.

117 Conversionis regulas his versibus complectuntur Dialectici:

E, I simpliciter convertitur. *E, A* per accid.
O, A per contra, sic fit conversio tota.

Quorum sensus ab aliis (109) jam relatis pendet. *E, I* denotant universalem negativam, & particularem affirmativam *simpliciter*: *E, A* sive universales affirmativam & negativam per *accidens*, modo supra explanato converti posse.

118 Schol. Quum attributum in propositione negante removeatur a subjecto secundum amplitudinem, quam habet (112), potest simpliciter converti; atque etiam per accidens. In propositione verò affirmativa prædicatum particulariter sumitur (113), adeoque simpliciter converti non potest. En exempla: *anima brutorum non est materialis*; bene convertes: *omne materiale non est anima brutorum*. Male autem deduceres: *brutum habet animam immaterialem*: ergo *habens animam immaterialem est brutum*. Omnes enim substantiæ spirituales sunt etiam immateriales: optime autem eamdem propositionem per *accidens* convertendo diceres: *aliquid habens animam immaterialem est brutum*.

119 *Æquipollentia* propositionum est substitutio alterius

enunciationis eamdem cum altera significationem habentis. Manifestum est, alteram alteri substitui non posse, nisi servata eadem *quantitate*, & *qualitate*; alterutra enim variata, idem significari non posse, nemo non videt. Quotidianus fert usus eamdem rem diversis notionibus, idem tamen significantibus, explicari: quod aliud nihil est, quam *æquipollentiam* in vulgarem usum traducere: *luna illuminat noctem*; *nox illuminatur a luna*; *splendor lunæ noctem illustrat*, atque alia sexcenta, propositiones æquipollentes sunt, quæ fere natura dictante proferuntur. Æquipollentiam plerumque adhibent ad propositiones oppositas ad eamdem significationem traducendas, vi particulæ negantis, ut infra innuemus. Quid verò propositionum oppositarum nomine veniat, docebit sequens

§. III.

Oppositio propositionum.

120 Quum ex duabus propositionibus altera affirmat, quod altera negat, oppositæ vocantur. Oppositionis tamen non una est species. *Contradictoria* illa dicitur, quæ inter duas enunciationes versatur, quarum prima id affirmat, aut negat, quod *simpliciter* requiritur ad falsitatem alterius. En duæ propositiones contradictoriæ: *Omne triangulum est æquilaterum: aliquod triangulum non est æquilaterum:* aut etiam *luna est habitata: luna non est habitata*.

121 Corol. 1. In propositionibus contradictoriis idem ponitur esse, & non esse; quod necessario importat alterutrius falsitatem. Demonstrata igitur unius veritate, alterius falsitas ostenditur: viceversa, ostensa falsitate alterius, veritas contradicta in demonstratis habetur. 2. Propositionis universalis affirmativæ contradictoria est particularis negativa: universalis autem negativæ particularis affirmativa. *Nullus cometes per zodiacum circumvolvitur*, contradictoria est, *aliquis cometes per zodiacum circumvolvitur*. Huic autem *omnis planeta est habitabilis*, contradicit hæc: *aliquis planeta non est habitabilis*. 4. Copulativæ disjunctiva; hujus verò copulativa est contradictoria (harum propositionum explicationem vide infra art. 131.) ex. g. *Omnis dives aut iniquus est, aut iniqui hæres:* quod aiebat D. Hieronymus, contradicit hæc: *aliquis dives neque iniquus est, neque iniqui hæres*. 4. In propositionibus complicatis, in quibus plura enunciantur, at aliqua non eodem modo, ac cetera conveniunt; perdifficile est contradictorias dilucidè assignare, ita ut nullus sit disputationi locus: ex hoc fonte tot cavillationes in jure nascuntur, quarum ope lites in sæcula protrahuntur. 122

122 *Oppositio contraria* est duarum propositionum universalium de eodem objecto oppositio, sive affirmatio, & negatio. *Nullus homo est Americanus; omnis homo est Americanus*, propositiones sunt contrariæ.

123 Corol. 1. Propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ: simul autem veræ esse non possunt. Exemplum præcedens satis ostendit, simul falsas esse enunciatas propositiones: quod autem veritas in ambabus reperiri non possit, facile percipies, si animadvertas, idem omnino in prima negari, quod in secunda affirmatur: adeoque si veræ essent, idem simul esset, & non esset, quod ex naturæ lumine pugnantia involvit. 2. Falsitas simultanea in propositionibus contrariis in materia contingente tantum evenire potest. Ratio est: quia in materia necessaria, sive quando prædicatum necessario convenit subjecto, non potest uni ex inferioribus convenire, quin alteri etiam congruat: secus autem in materia contingente, ubi plerumque, quod de uno verum, de altero falsum est: hinc falsitas harum, ac similium propositionum: *Omnis philosophus disputat; nullus philosophus disputat*.

124 Oppositio *subcontraria* dicitur ea, quæ inter duas enunciationes particulares affirmantem, & negantem intercedit: quemadmodum sunt istæ: *Aliquis logicus disputat instar furiosi: aliquis logicus non disputat more furentium*. Veras esse posse hujusmodi enunciationes satis novit, qui inconditos aliquorum in disputando clamores audiverit.

125 Demum oppositionem *subalternam* eam vocitant nonnulli, quæ inter duas propositiones universalem, ac particularem intercedit ob diversam quantitatis extensionem: quamvis utraque sit aut affirmativa, aut negativa: ex. g. *Omnis planeta circumvolvitur; aliquis planeta circumvolvitur*.

126 Corol. In subalternis enunciationibus, 1. Si universalis est vera, particularis vera sit, oportet; quum in illa contineatur. 2. Si particularis est falsa, secum trahit alterius falsitatem. 3. In materia contingente universalis potest esse falsa, & particularis vera. Quæ quidem sine exemplis satis intelliguntur.

127 Schol. Recentiores dialectici plerumque subcontrariam, ac subalternam oppositionem exsibilant, eo quod, re perpensa, nullam contrarietatem includant. Nam subalternæ, nemine negante, oppositionem non habent. Quam enim contrarietatis speciem præsefert, quod *omnis stella fixa propria luce fulgeat*, ac *Sirius propria luce splendeat?* In negantibus tantum aliquam contrarietatis umbram conspicere possumus: veluti si dicas: *Nullus homo est justus: aliquis homo non est justus*. Subcontrariæ quidem si

utrius-

utriusque subjectum sit idemmet individuum, contradictionem includunt: attamen hæ jam ad superiorem contradictoriarum classem sunt relegandæ. Quod si diversitas in subjecto interveniat, oppositio nulla erit. Ad æquipollentiam quod attinet propositionum oppositarum, paucis hæc accipe. Particula *non* ad æquipollentiam reducit propositiones contradictorias, si alterius subjecto præponatur: contrarias si postponatur: ex. g. *Omnis homo est justus*, æquipollebit huic: *aliquis homo non est justus* hoc modo; *non omnis homo est justus*: hoc autem modo, *omnis homo est non justus*, æquivalet ejus contrariæ, *nullus homo est justus*.

CAPUT QUARTUM.

De formali Enunciationum diversitate.

§. I.

Classes Propositionum.

128 Ratione qualitatis propositiones tribuuntur, 1. in affirmativas, & negativas, quæ satis cognitæ sunt. Cavendum tamen, ne temere negationem cum propositione negativa confundamus. Ut hæc talis sit, negatio verbum, sive ut ajunt, *copulam* afficere debet. Specie tenus negativa est hæc: *beneficia non rependere ingrati animi est*: in qua quum negatio *copulam*, seu *verbum est* non afficiat, in affirmativis haberi debet.

129 2. Dividuntur etiam in *veras*, & *falsas*, de quibus §. sequenti. Et quidem duæ hæ divisiones genericæ sunt, quæ omnem propositionem complectuntur; necesse enim est, quamlibet enunciationem, cujuscumque demum speciei sit, affirmare, aut negare; veram aut falsam esse. Neque modos grammaticales verborum, puta *imperativum*, *optativum*, aut *infinitum* in propositionibus annumerare licet; quum nihil affirment, aut negent; nam affirmare, vel negare enunciationis proprium est; modum indicativum semper præseferentis. Quod si litem intendas, illos modos saltem tacitè enunciare aliquid; ut quum impero, *fac hoc*, idem sit ac asserere; *ego tibi hoc faciendum impero*; de lana caprina quæstionem moves, in qua tempus consumere tantum possunt, qui *toti sunt in meditandis nugis*; per me hoc sensu propositiones appelles licet.

130 3. Aliæ sunt *simplices*, *aliæ compositæ*, seu *complexæ*. Simplex subjectum, & prædicatum unicum habet: uti *Deus est immortalis*: composita plura: ex. g. *rectum*, & *tenacem propositi virum*, *non ardor civium prava jubentium*, *non vultus instantis tyranni mente quatit solida*, *neque auster dux inquieti turbidus Adriæ*, *nec fulminantis magna Jovis manus*.

131 Schol. Propositionem compositam esse conglobationem plurium simplicium manifestè patebit, si ejusdem partes in propositiones simplices resolvantur: ex. g. *vir bonus est qui consulta patrum, qui leges juraque servat: quo responsore, & quo causæ teste tenentur*; in has resolves: *vir bonus est qui consulta patrum servat: vir bonus est qui leges servat* &c.

132 4. Complexarum propositionum insigniores sunt *copulativa*, *disjunctiva*, *hypothetica*. Copulativæ propositionis membra particulis conjunctivis, disjunctivæ verò particulis *aut*, *vel*, *seu* &c. copulantur: exempla passim occurrunt. *Hypothetica*, quæ & *conditionalis* dicitur, prædicatum de subjecto absolute non affirmat, aut negat, sed tantum conditione quadam seu hypothesi asserit convenire, aut disconvenire: *Cui peccare pudet, Cynthia, tuta sat est*; non asserit *omnes tutos esse a peccato*, sed tantum *cui peccare pudet*.

133 Corol. Ad veritatem igitur propositionis copulativæ requiritur, ut omnia membra per particulas conjunctivas asserta subjecto conveniant, si sit affirmativa: aut simul in uno non inveniantur, si sit negativa. Sane non assentior auctori cuidam asserenti, omnem propositionem conjunctivam esse negativam in suo attributo duo incompatibilia continentem: quod enim affert exemplum: *Christianus Deo, & mundo servire nequit*, est singulare propositionis negativæ, in qua nemo dubitat conjunctionem negari, adeoque si vera est, incompatibilia debet includere. Nullus vero umquam inficias ibit, hanc esse copulativam, seu conjunctivam: *Christianus & Religionem, & patriam diligere simul potest*. Nisi si aliam classem huic propositioni assignes, quod vocalem litem infert. Et quidem hoc proprium est disjunctionibus, ut ait Tullius (De natura Deor. 1.) *Idem facit contra Dialecticos, a quibus quum traditum sit, in omnibus disjunctionibus, in quibus aut etiam, aut non poneretur, alterutrum verum esse non posse*: quod ad omnem disjunctionem, ubi nullum datur medium, extendi debere manifestum est: ita ut si unum membrum sit, alterum esse non possit, sive esse incompatibilia.

134 5. Distingui etiam solent propositiones *causales*, *exclusivæ*, *exceptivæ*, *reduplicativæ*. *Causalis* enunciatur particulis *quia*, *propter* &c. ex. g. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*. *Exclusiva* subjecto asserit convenire prædicatum, aliis exclusis: *Unus est bonus Deus*, essentialem bonitatem, aliis exclusis, soli Deo tribuit. *Exceptiva* prædicatum convenire subjecto affir-

affirmat, quibusdam exceptis: *Sapiens est sanus, nisi quum pituita molesta est*. *Reduplicativa*, quæ ad causales referri potest, ad aliquem peculiarem sensum limitat convenientiam prædicati cum subjecto: *Christus quatenus homo passus est*.

135 6. Nonnumquam propositioni aliquid inseritur quasi per transennam; veluti *Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ, scilicet ut decies solidum exorberet, aceto diluit insignem baccam*: in qua pretium unionis interseritur: hæc propositio *incidens* vocatur; illa vero, in qua inseritur, principalis. Non rarò autem falsa est *incidens*, ac vera *principalis*; quemadmodum hæc potest falsa esse, altera vera manente. Si pretium unionis assertum supra ab Horatio verum non fuisset, incidens falsa esset: si pretium verum, falsum tamen assertum, principalis falsitatem includeret, altera vera manente.

136 Schol. Quum aliqua propositio falsa interseritur principali, *falso supponere* dicimus, aut esse *de subjecto non supponente*. In hujusmodi enunciatis, ut moneamus disputantem, insertam esse falsitatem, *suppositum* negare oportet: quod quidem non adeò frequenter fieri debet, ut solent nonnulli; sed tum quum nulla superest via propositionis elucidandæ. Quod si falsa sit propositio principalis, etsi falso supponat, consultius est propositionem negare, quam disputantem *negatione suppositi* pungere.

137 7. Demum ne nimium tronum memoriam oneremus; si prædicatum necessario subjecto conveniat, enunciatio dicitur in materia *necessaria*: si eidem repugnet, de materia *impossibili*: quod si & convenire, & non convenire possit, *de materia contingente* appellatur. En tres enunciationes in exemplum: *Deus existit*: materia est *necessaria*. *In caput alta suum labantur ab æquore retro flumina*; materia naturaliter *impossibilis*: *Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno*: materia *contingens*.

138 Schol. Notiones propositionis *evidentis*, *certæ*, *incertæ*, *probabilis*, *improbabilis* &c. ex dictis a numero 81. usque ad 64. facile deduces. Animadvertendum tamen, *probabiliter veram* eam propositionem dici, pro cujus veritate gravia adsunt momenta rationum, suadentia illam posse veram esse. *Possibiliter veram* illam vocant, quæ & si non præseferat sufficientem rationem, ut ejus veritas asseratur; nulla in ejus verificatione ostenditur contradictio. Proximo anno futurum judicium universale, possibiliter verum est: nemo tamen id probabiliter affirmaverit, si mentis compos haberi velit.

§. II.

§. II.

Veritas, & falsitas Propositionum.

139 Tritum est in Scholis proverbium: *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*. *Veritas* igitur *logica* definiri potest: *convenientia judicii cum suo objecto*: falsitas autem: *ejusdem disconvenientia*. Quare si propositio enunciet, aliquid convenire, aut disconvenire subjecto, quod re ipsa congruit, aut ab eo alienum est; propositio invenitur vera: secus falsa semper erit.

140 Corol. Quum omnis enunciatio ad quatuor ex his classibus reduci debeat (108), nempe ad universales affirmativas, aut negativas: particulares itidem asserentes, aut negantes; in quibus aut enuncietur absolute de subjecto, aut aliqua conditio imponatur: generaliores leges veritatis sunt sequentes. 1. Si quod asseritur universaliter, eodem modo existit; aut non existit universaliter, si eodem modo negatur. 2. Si particulariter existit, aut singulariter, quod in casu particulari vel singulari affirmatur: & versa vice, si propositio negativa sit. 3. Si absolute existit, quod eodem modo asseritur: aut si absolute non existat. 4. Quod si adjunctam habeat conditionem, sub eadem conditione existere debet: aut non existere, si negationem includit propositio. 5. Si quod generaliter inficiamur, universaliter esse nequeat. Ejusmodi leges ad falsitatem sensu contrario traduci debent, eas applicando ad casus singulos, modo enumeratos.

141 Corol. 2. Ad perpendendum igitur, quandonam judicium cum objecto conformetur, aut ab eo dissentiat, opus est non *qualitatis* tantum, verum *quantitatis* etiam propositionis rationem habere. Non enim solum falsa est, si id affirmerur, quod negari debèret; aut vicissim inficiando, quæ affirmari deberent: plerumque etiam falsitas irrepit, eo quod plus asseratur, aut inficietur, quam oportet; aut conditiones necessariæ ad assertionis, aut negationis veritatem non existant.

142 Schol. 1. Permolestum esset quasque propositionum species recensere, ut ea explanarentur, quæ singillatim ad veritatem, aut falsitatem illarum requirantur. Pauca tamen circa aliquarum propositionum veritatem scitu utiliora præmonere, non minus opportunum judicamus. Breviusculis id legibus comprehendemus, quæ ad sequentes reducuntur.

143 Lex prima: Genus de specie, species de individuo affirmari possunt: Individuum verò de specie, aut hæc de genere non possunt. Verum est: *homo est animal*: *Darius*

est

est homo: falsum tamen dialecticè habetur: *animal est homo: homo est Darius*. Universalis enim affirmativa simpliciter converti non potest (116): redoleret quippe hunc sensum: *quidquid animal est, homo est: quidquid homo est, Darius est*. 2. Concretum de abstracto (24) aut vice versâ affirmare non licet. Falsò enim diceres: *humanitas est homo: album est albedo*. 3. Abstractum de abstracto, nisi metaphysicum sit (25), non est affirmandum: primum est evidens, quum abstracta logica, aut physica distincta sint: metaphysica verò sunt perfectiones, quæ nullam inter se habent distinctionem; uti facultas sentiendi, & intelligendi in homine; quam *animalitatem*, & *rationalitatem* vulgò in scholis appellant; quamobrem benè diceres: *rationalitas est animalitas:* malè verò, *albedo est rubedo*.

§. III.

Peculiares propositiones methodi scientificæ.

144 In methodo scientifica psopositiones *indemonstrabiles* illæ nuncupari solent, quarum evidentia primo mentis intuitu adeo manifesta apparet, ut sine ulteriori inquisitione ipsis assentiamur. Has enunciationes *per se notas* vocare etiam solent dialectici. Tales sunt istæ: *Totum est majus sua parte: Idem nequit esse simul, & non esse: Totum æquale est suis partibus*. Quod si vir alioquin mathematicæ scientiæ peritissimus hanc postremam propositionem demonstrare conatus est; id magis ingenii sui vires exercendi gratia, quam ut rem seriò demonstrabilem credideris, fecisse censendus est. *Demonstrabiles* illæ sunt, quarum veritas ex aliis evidentibus certissimè deducitur; ut ea, quæ in Mathesi pura traduntur.

145 Inter veritates indemonstrabiles recensentur *axioma*, & *postulatum*. *Axioma* est veritas lumine naturæ nota; quam obscuriorem reddit demonstratio, aut explicatio, quales sunt illæ superius traditæ. *Postulatum* est veritas indemonstrabilis ad praxim dirigens. Omnibus persuasum est *circulum poste describi, aut lineam a puncto ad punctum duci*.

146 Demonstrabiles propositiones aliæ *theoreticæ*, aliæ *practicæ* sunt. *Theorema* est propositio speculativa, quæ aliquam veritatem ostendit, quin aliquid peragendum doceat. *Problema* rem ad praxim deducendam, modumque, quo id fieri debeat, ostendens, enunciati rectitudinem postea demonstrat.

147 Theoreticis veritatibus accenseri debet *Lemma*, atque, ut aliis placet, *Porisma*. Discrimen inter utrumque illud as-

assignant, quod porisma sit theorema præmissum ex eadem scientia, non pro re nata, ut solent geometræ veritatem aliam ex alia deducere; sed longe petitum, ut facilius veritatem alius problematis, aut theorematis demonstrent: Lemma verò dicetur, si ab aliis scientiis mutuatum fuerit. Sæpius hanc diversitatem porisma inter, ac lemma scrupulosè ab auctoribus non observari, sed omnia generali lemmatis nomine comprehendere, facile animadvertet, qui libros mathematicos vel parum evolverit.

148 *Corollaria* sunt quædam consectaria, sive deductiones, ex demonstratis veluti emanantia, quæ aut simpliciter enunciantur, quum deductio est manifesta, aut breviuscula inserta demonstratione magis elucidantur.

149 *Scholia* demum notationes quædam sunt, quibus nonnulla, quæ juxta methodi leges interseri non possent, eo quod neque in theorematis, neque in consectariis sedem habeant, singillatim quasi res extraneæ, utiles tamen, lectori indicantur.

DIS-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISSERTATIO III.

DE RATIOCINATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Ratiocinii natura, & fundamenta.

§. I.

Ratiocinationis natura.

150 Alterum ex altero deducere, ratiocinari est. Hinc manifestè eruitur, notionem clariorem præcedere debere ejus rei, ex qua aliquid deducitur, ut ratiocinium perficiatur: quod plerisque occasionem dedit ratiocinationem sic explicandi: *actio mentis, qua ex notis aliquid ignotum deducitur*. Aerem esse corpus, non difficulter inveniet, qui hanc notionem præhabuerit: *tangere, & tangi nisi corpus nulla potest res: aer vero & tangit, & tangitur: corpus igitur est*.

151 Ratiocinatio aut *affirmativa* est, aut *negativa*, juxta indolem deductionis. Si judicium illatum ex alio de subjecto aliquid enunciet, erit ratiocinatio affirmativa: si eidem aliquid abnuat, negativa. Exemplum ratiocinii affirmativi modo dedimus: habes ex primo judicio deductum aliud negativum in sequenti: *tangere, & tangi nisi corpus nulla potest res: anima tangi non potest: corpus igitur non est*. Judicium primum, quantumvis specie tenus negativum sit, hunc sensum affirmativum reddit: *solum corpus alius corporis contactum pati potest*.

152 Mens nostra aliud ex alio immediatè deducere non potest. Supponimus enim ignotum deduci: quare identitas, aut disconvenientia noti cum ignoto per aliam mediam ideam, quæ etiam nota præsupponitur, obtineri debet. Corporis, & animæ notiones haberi debere, priusquam ex utriusque comparatione deducam invicem convenire, aut disconvenire, ita manifestum est, ut ad colores discernendos corpora illuminari, necessarium esse. Me-

Media namque illa notio, quasi lumen est aliam irradians, ut intellectus cognoscat, utrum, nec ne illi conveniat, quod deducit.

153 Corol. Tribus igitur judiciis ratiocinatio conficitur. Nam eidem exemplo insistendo, notione corporis mihi certum est, ipsum contactum pati posse: en primum judicium, quo ideas contactus, & corporis convenire mihi evidens est. Ambigens, an brutorum anima corporea sit, ejus notionem cum notione, quæ mihi corpori convenire evidens est, conferens invenio, eamdem animæ non convenire: habes secundum judicium. Deducere itaque oportet, animam non esse corpus: ecce jam perfectam ratiocinationem, deductam ex disconvenientia notionum præhabitarum.

154 Notiones, quæ præmittuntur, in ratiocinio, *antecedens*, seu *præmissæ* vocantur: quod vero ex illis eruitur, *consequens*, sive *conclusio* dicitur. Deductio, seu *illatio*, qua connexionem antecedentis cum consequente veluti filo deducimus, *consequentia* nuncupatur. Ut verò præmissas alteram ab altera rite distinguamus; quæ latius extenditur, *major* dicitur, ac plerumque primo loco ponitur: minus extensam, & si secundum locum non obtineat, *minorem* vocamus. Usus jam invaluit, majorem primo loco positam; minorem, quæ hanc sequitur, vocandi, non observata extensionis lege.

155 Schol. In concertationibus litterariis hæc methodus plerumque observari solet. Quum præmissa major, aut minor vera est, absolute conceditur, aut negatur, si falsa sit: quod si ambigua fuerit, distinctione utimur; sensum, quo veram esse admittimus propositionem, concedentes; alium vero, in quo falsam judicamus, negantes. Non ita evenit in conclusione: nam quum eamdem negamus, non *consequens*, sed *consequentiam* sive deductionem rectè factam esse, negare debemus. Quod si distinctione opus sit, *consequens* distinguere debemus, & *consequentiam* negare, aut concedere. En rationem hujus diversæ methodi in conclusione, atque in præmissis. Præmissam concedere, aut negare idem est, ac veritatem propositionis assertæ confiteri, aut difiteri: concessis autem duabus præmissis, consequens verum esse necesse est; unde illud negare non possumus, quum jam ejusdem veritatem in præmissis admiserimus. Nihil aliud nobis restat, nisi ut deductionem rectè factam negemus. Quando igitur illatio rectè non procedit, præmissis concessis, negatur consequentia; quum verò distinctione opus est, consequens distinguimus, *consequentias* verò negamus, & concedimus juxta diversum sensum, in quo rectè, aut secus deductum consequens, verum, aut falsum esse judi-

camus. Hæc prælibare hic voluimus, quæ infra, ubi de methodo disputandi, propriam sedem obtinent, ut naturam ratiocinii luculentius exponeremus.

156 Corol. 1. Parum interest, verum ne, an falsum sit antecedens, & consequens, si deductio rectè non processerit. Nam si consequens ex antecedente non emanat, ratiocinatio vitiosa est, nihilque concludit. *Sol exoritur: sed etiam luna occidit: ergo explicit annus*, prorsus vitiosum est ratiocinium, etiamsi tres propositiones quandoque veræ esse possint; non enim ab ortu solis, aut occasu lunæ anni periodus definitur. Optimam autem ratiocinationem perficere poteris, etiamsi falsæ sint tres propositiones eamdem componentes. En perfectam ratiocinationem tribus falsis propositionibus constantem: *Omnis substantia sentiendi capax est: homo est sensationis expers: ergo homo non est substantia*. Si enim notio substantiæ sensationis notionem necessario includeret, atque hominis idea eamdem excluderet, necessario sequeretur veritas consequentis.

157 Corol. 2. Rectitudo itaque ratiocinii, quam tantum dialectica considerat, nihil de ejusdem veritate, aut falsitate sollicita, provenit a recta distributione trium notionum; quarum si prima cum tertia rectè connectatur per alteram mediam, deductio ritè instituta est. Idcircò tres illas notiones *terminos* vocant, quarum prima, & tertia dicuntur *extrema*, sive termini extremi: utrumque connectens *medius terminus* audit. Extrema discerni possent, appellando *extremum majus*, quod magis extenditur, sive in majore propositione reperitur: *extremum minus*, quod minus majore extenditur. Quod si recte procedat terminorum distributio, ratiocinatio optima erit; falsa, aut vera, prout convenientia, aut discordia asserta inter extrema cum medio, falsa, aut vera sit. Ab exemplis superius traditis rem facile illustrabis.

158 Schol. Quod jam inter notiones ac voces discrimen indicavimus (40), idem inter ratiocinationem, atque argumentationem intercedere, hic animadvertimus. Ratiocinatio est mentis actio unum ex alio inferentis; argumentatio est ipsamet expositio vocalis hujus internæ conceptionis. Quæcumque igitur hactenus dicta sunt circa ratiocinium, eadem applicari debent argumentationi: quemadmodum quæ de hac dicenda in posterum venient, & alteri suo modo convenire necesse est.

§. II.

§. II.

Fundamenta ratiocinandi.

159 Tritum est Scholæ proverbium: *dici de omni, dici de nullo;* quod quidem œdipo opus est, ut percipiatur. Ajunt igitur, in hoc principio contineri, veluti in nucleo, fundamentum rectæ, aut pravæ, veræ, aut falsæ ratiocinationis. Principium sic exponunt: *Dici de omni*, argumentationem respicit affirmativam, in qua quidquid de universali asseritur, prædicari etiam potest de individuis sub illo contentis, eo modo, quo in universali continentur. *Dici de nullo*, argumentationem negativam attingit: quod enim negatur de universali, de individuis ejusdem itidem negari debet, eo modo, quo in ipso continentur. Huic principio innituntur omnes, quæ deinceps argumentationis regulæ tradendæ sunt.

160 Aliud principium est: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*. In hoc axiomate manifestè includitur extremorum cum medio (156) identitas, aut distinctio, ex quibus veritas etiam, aut falsitas deductionis dependet. Si enim A est idem cum B, B autem idem etiam est cum C: optime A, & C idem esse deduco. Et hæc quidem argumentationem affirmativam spectant. Ad negativam facile traduces hoc modo: si A idem est ac B, B autem non est C: A igitur non est C. *Quæ enim non sunt idem uni tertio, nec erunt idem inter se.*

161 Corol. Quando nulla intercedit connexio inter extrema & medium, neque inferre licet identitatem, neque distinctionem extremorum in conclusione. Ex. g. eo quod linea unius lateris figuræ sit recta, non possum deducere, ipsam esse, aut non esse quadratum: utrumque enim potest accidere, quum nulla connexio detur, neque exclusio inter lineam rectam, & quadratum.

162 Schol. Principia hactenus exposita eatenus dialecticam spectant, quoad rectitudinem ratiocinationis dirigunt, aut ejusdem vitia detegunt: veritas autem, vel falsitas consequentium, etiamsi eorumdem principiorum luce deduci valeant, dialecticæ provincia non sunt.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentationum species exponuntur.

163 Argumentationum species sex vulgo recensentur: *Syllogismus*, *Enthymema*, *Epicherema*, *Dilemma*, *Sorites*, & *Inductio*. *Syllogismus* est tribus propositionibus constans;

cujus proprietates fusius capite sequenti exponemus, eo quod in præcipuis ratiocinationis speciebus primas sedes obtineat.

164 *Enthymema* est argumentatio mutila, in qua una ex propositionibus præmittendis subauditur, quando ita clara est, ut facile intelligatur. *Christus est homo*; *ergo habet animam rationalem*, enthymema est, in quo major propositio (154) *Omnis homo habet animam rationalem*, reticetur, quum ita manifesta sit, ut ab omnibus quasi dicta intelligatur. Prima propositio *antecedens*, conclusio *consequens* vocatur.

165 *Epicherema* argumentatio est involvens in alterutra, aut in utraque præmissa probationem, vel confirmationem ejusdem: ex. g. *Omne bonum est appetendum: voluntas enim in bonum natura sua fertur: Deus est summum bonum; quia ab illo bonum creatum dimanat: Deus itaque omni voluntatis conatu est appetendus.*

166 *Dilemma* duas sæpius, nonnumquam tres propositiones continet invicem pugnantes, ex quibus necessario contra adversarium aliquid concluditur. Vulgare est dilemma contra pyrrhonicos usurpatum: *Aut scis, te non scire, aut nescis: si nescis, non potes hoc affirmare: si scis, aliquid ergo sciri potest.*

167 Corol. Tria igitur vitia in dilemmate vitanda sunt. Primum, ne membra disjuncta falsa sint. E falso enim quid deduces? Nam negando dilemma, adversarius vim omnem retundit argumentationis. 2. Ne ex aliquo membro id concludi velit, quod ex eo non sequitur necessario. 3. Ne eodem dilemmate utens adversarius, in te aliud absurdius intorquere possit; quod maxime in hoc argumentationis genere evenire solet.

168 *Sorites*, quæ & *gradatio* dici solet, est argumentatio, in qua ab una veritate concessa ad aliam descenditur: ita ut prædicatum præcedentis fiat subjectum enuntiationis proximè sequentis. En breviusculum soritem, quo Cato in Cicerone librum tertium de Finibus claudit: „ Quod si ita est, ut neque quisquam nisi bonus vir, & omnes boni beati sunt: quid philosophia magis colendum, aut quid est virtute divinius "?

169 Corol. Plerumque in soritem illud incurrit vitium, ut ideæ mediæ malè cum subsequentibus conjungantur: singulæ enim ita altera alteram debet continere, ut subsequens a præcedente omnino dependeat: quæ si hoc modo non diffluant, fallacissimum est argumentandi genus.

170 Demum *Inductionem* vocant ratiocinationem a partibus enumeratis ad totum concludentem. Evidens erit conclusio, si omnibus partibus recensitis consequens deducatur: alioquin nullius roboris erit consequentia. In phy-

physicis ad eruendas generales naturæ leges feliciter adhibetur: ex. g. si ab enumeratis corporibus, etiam his, quæ alia in se recipere videntur, ut vitrum lumen, metalla mercurium, impenetrabilitatem corporum deducas, ex eo quod hæc per poros permeant; quibus occlusis, excluduntur.

171 Schol. Prosyllogismum recensitis speciebus aliqui adjungunt; quem tamen nos ad syllogismos referimus. En prosyllogismus: *Omnis substantia spiritualis est immortalis: mens est substantia spiritualis:* ergo *est immortalis: quod immortale est finem non habet:* ergo *animus etiam post mortem permanet.* Propositio adjuncta priori syllogismo *minor subsumpta* vocatur. In duos autem syllogismos prosyllogismum resolvi oportere, ad unum omnes convenire debent.

CAPUT TERTIUM.

De Syllogismo.

§. II.

Syllogismi species.

172 Syllogismus, ut jam ante (163) indicatum fuit, est argumentatio tribus propositionibus constans, majore, minore, & conclusione: in quo ab enthymemate differt, quod antecedente, & consequente tantum constare docuimur (164). In syllogismo, quod & omni argumentationi commune est, distinguuntur *materia* & *forma*. Materia sunt *termini*, ex quibus componitur (157): forma verò eorumdem terminorum dispositio.

173 Corol. Quando igitur termini rite dispositi sunt, syllogismus *rationæ formæ*, ut ajunt, concludit: ita ut, concessis præmissis, conclusionem admittere necesse sit, quamvis falsam propositionem contineat. *Ratione materiæ* concludit, quando pravè dispositis terminis, nihilominus in conclusione propositio vera continetur. *Aliquis vir mores hominum multorum vidit, & urbes: Ulysses fuit aliquis vir:* ergo *Ulysses multorum hominum mores, & urbes vidit:* ratione materiæ, non ratione formæ concludens est syllogismus (183).

174 Dividitur primo in *simplicem*, & *compositum*. Syllogismus *simplex* propositiones continet, unicum subjectum, atque attributum comprehendentes (130). Qui iterum in *communem* atque *expositorium* tribuitur. *Communes* suo nomine satis explicantur: *expositorius*, qui medium terminum habet singularem. En præcedentem syllo-

gismum in expositorium conversum, ac vi formæ rectè etiàm concludentem: *Ulysses mores hominum vidit*: *Ulysses fuit vir*: ergo *aliquis vir mores hominum vidit* (182).

175 Schol. Medium terminum (157) ægrè solent tirones discernere ab extremis: ut autem facile dignoscatur, sequens admonitio præ oculis haberi debet. Ex terminis in syllogismo repertis ille est medius, qui bis repetitur in præmissis, atque in conclusione non invenitur: extremi verò in conclusione reperiri debent. Quod si extremum majus a minore secernere velis, primum in propositione majore, ab eo enim hæc denominatur; alterum in propositione in altera contenta reperiri debet. En syllogismum, in quo omnia dilucide percipies: *Omne animal est vivens*: sed *omne vivens est substantia*: ergo *omne animal est substantia*. Juxta præmonstratas leges, *vivens* est *medius* terminus; *substantia* est majus extremum, & propositio, in qua continetur, est major, etsi secundo loco enuncietur, *animal* denique minus extremum est.

176 Syllogismus compositus saltem unam ex propositionibus compositam includit; plerumque etiam duas (130). Hujus syllogismi exempla dabimus, ubi ejusdem leges exponemus.

177 Altera divisio syllogismi est in *demonstrativum*, *probabilem*, & *sophisticum*. In demonstrativo utraque præmissa ita certa esse debet, quæ evidentiam audienti ingeneret. Probabilis dicitur, qui unam saltem præmissam probabilem (94) continet. Sophistitici syllogismi adeo frequentes sunt, ut etiam ab his, qui dialecticam non callent, satis dignoscantur. Peccant nimirum aut ratione *materiæ*, aut ratione *formæ*, ita ut vitium ægrè discernatur; quod ita aliquando solet occultari, ut demonstrationis speciem præseferat. Hujusmodi *paralogismi*, ita enim vocant, in scientiis non sunt infrequentes. De hujusmodi syllogismorum speciebus singillatim infra sermo recurret.

§. II.

Syllogismorum leges.

178 Lex I. *Syllogismus tres tantum terminos habere debet*. Hanc legem, quæ ceterarum fundamentum, ac basis est, sic demonstrarem. Syllogismus simplex tribus propositionibus simplicibus componitur (174). In tribus autem propositionibus simplicibus sex tantum termini reperiuntur; quælibet enim unico subjecto, atque atrributo constat (130): ergo sex tantum termini in omni syllogismo includuntur. Rursus, quilibet ex his terminis bis repetitur in syllogismo: nam de termino majore medius debet prius affirmari aut negari, deinde etiam de minore; inter quos deduci debet convenientia, aut disconvenientia in conclusione (151): sex igitur termini sunt tres bis repetiti. Præterea vis ratiocinationis huic axiomati, tamquam basi firmissimæ, nititur: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*: ergo si adsit quartus terminus, axiomatis applicatio non habet locum (160).

179 Corol. 1. Quod si aliquis terminus sensu diverso in conclusione, aut in minori accipiatur, atque in majore usurpatus fuit, corruit syllogismi rectitudo: quatuor enim terminos contineat necesse est; quum non idem sit ille terminus diverso sensu utrobique adhibitus; quamvis voces ipsæ sint. En vitiosam ratiocinationem, quam pluries in Scriptoribus sublestæ fidei usurpatam invenies: *Tolerantia virtus est: Religio christiana virtutes omnes amplecti docet: suadet ergo tolerantiam*. Alia enim est tolerantia, quæ inter virtutes locum obtinet, ab ea, quam isti suadere conantur.

180 Corol. 2. Peccant etiam contra hanc legem, qui terminorum suppositiones (95) in eodem syllogismo variant. Nam, variata suppositione, jam idem terminus non est, quidquid sit de vocabulorum uniformitate. Hoc vitio laborat sequens argumentatio: *Homo est rationalis*: *rationale est differentia*: ergo *homo est differentia* (18). *Rationale* quidem in minore *supponit logicè*, seu *simpliciter*, quum in majore *suppositionem* habuerit *personalem* (97).

181 Lex II. *Medius terminus in alterutra ex præmissis in tota sua amplitudine, sive universaliter usurpari debet*; seu quod idem est, *habere oportet suppositionem perfectè distributivam*. Nam si medius terminus in propositione majore ita non sumatur, quatuor terminos habebit syllogismus, ut evidens fit in sequenti: *Omne metallum est substantia*: *omnis arbor est substantia*: ergo *omnis arbor est metallum*. Terminus *substantia* in neutra ex his præmissis suppositionem habet completè *distributivam* (99); supponit enim utrobique *disjunctivè* (101) reddens hunc sensum: *Omne metallum est aliqua substantia; omnis arbor est aliqua substantia*: quumque sint substantiæ distinctæ, quatuor terminos continet syllogismus.

182 Schol. Neque dixeris *expositorium* syllogismum modo (174) inter legitimos admissum esse, attamen singularem in ipso esse medium terminum, qui ubique eamdem habet amplitudinem. Nam propositio singularis ad universalem reducitur eo modo, quo jam ostensum est articulo 109. Unde medius terminus est universalis.

183 Corol. Si utraque præmissa particularis sit, conclusio nulla deduci potest: medius enim terminus in alte-

000324

rutra sumi debet universaliter. Hinc tritum proverbium, quod etiam in regulis syllogismi numerant: *ex pluribus particularibus nihil sequitur*. Vide infra num. 187.

184 Lex III. *Medius terminus non debet in conclusione reperiri*: sive ut vulgo dicunt; *non debet ingredi in conclusionem*. Quandoquidem in conclusione ostenditur extremorum identitas inter se, quæ in præmissis ostensa est in tertio; si tertium, sive medium ingrederetur conclusionem, nihil concluderet: repeteret enim unam ex præmissis; aut si aliquid diversum enunciaret, quatuor terminos haberet syllogismus. En exemplum: *Omnis homo est mortalis: sed omne mortale est animal:* ergo *omne mortale est homo*. Si enim *mortale* conclusionis idem est, atque usurpatum in majore, eadem erit propositio; si secus, mutat suppositionem, ac terminos quatuor continet (178).

185 Lex IV. *Extrema in conclusione plus extendi non debent, quam in præmissis*. Etenim si alterutrum amplitudinem majorem in conclusione haberet, atque in præmissis data ipsi fuit; non unus idemque repetitus, at duo termini *formaliter* ut ajunt, diversi essent: quod quatuor terminos in syllogismum induceret. Hujusmodi vitium in hoc syllogismo reperies: *Omnis homo est vivens:* sed *omnis homo est risibilis:* ergo *omne vivens est risibile*. *Vivens* enim propositionis primæ attributum particulare est; illa enim propositio includit hunc sensum: omnis homo est aliquis ex viventibus: in conclusione vero supponit *completè distributivè* (99); sensum hunc reddens: *omne quod vivit, risibile est*. En igitur quatuor terminos in *prædicto syllogismo*.

186 Lex V. *Conclusio ex præmissis affirmativis debet esse affirmativa; ex alterutra negativa, aut particulari, negativa, aut particularis: ex probabili probabilis*. Brevius sic alii secundum & tertium membrum hujus regulæ enunciant: *conclusio sequitur debiliorem partem*. Ratio primi membri legis in illo principio nititur: *dictum de omni:* aut etiam *quæ sunt eadem uni tertio* (159, 160): quem admodum alterius partis veritas ex axiomate: *dictum de nullo;* aut ex illo: *quæ distinguuntur in tertio, distinguuntur inter se*, manifestè deducuntur. Quandoquidem si utraque est affirmativa, identitatem asserere; si altera præmissarum negativa, alterutrius extremi cum medio identitatem negare debet: ergo ex affirmativis affirmativa: ex alterutra negativa conclusio negativa provenire debet.

187 Lex VI. *Ex negativis, aut particularibus præmissis nulla conclusio deduci valet*. Secunda pars ante (183) ostensa est. En primæ demonstrationem. Ex negativis, neque conclusio affirmativa deduci potest ex superiori numero; neque negativa deductio est recta. Ex eo enim quod

quod duæ notiones tertiæ non conveniant, inferre non licet eas inter se disconvenire (161); secus hæc deductio teneret, atque omnes hujus similes: *Homo non est lapis: lapis non est sensitivus; ergo homo non est sensitivus*. Præterea syllogismus ut rectè concludat, propositionibus majore, & minore debet constare: omnes autem propositiones negativæ majores sunt, quum habeant suppositionem perfectè distributivam (114): nulla igitur ex illis deductio erui potest.

188 Schol. Nonnumquam propositiones aliquot negationis speciem præseferentes, ad affirmativas reduci possunt: ecce syllogismus, qui nullus peccat contra leges præscriptas: *Nemo scribens invita minerva bonos versus facit; Cherillus minervam non habebat;* ergo *Cherillus non faciebat bonos versus*. Minor hujus syllogismi exponi potest per hanc affirmativam: *Cherillus est poeta minerva carens* (128).

189 *Anacephaleosis*. Præscriptæ hactenus leges ad unam tantum omnes includentem reduci possunt. Nimirum *in syllogismo major contineat conclusionem; minor ostendat in majore conclusionem contineri;* tum *deductio legitima semper erit*. Dogma hoc logicum tam affirmativis, quam negativis syllogismis applicandum est. Et quidem de affirmativis nulli subesse dubium potest; quum hujusmodi lex sit evidens applicatio illius axiomatis; *quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*. Ad negativos quod attinet; vel negatio afficit majorem propositionem, adeoque negat universaliter id ipsum, quod in conclusione negatur: minor autem ostendit rationem negandi; vel si major sit affirmans, minor ostendit disconvenientiam, quæ implicitè in majore continetur. Syllogismum negativum considera, atque ita clarius hæc percipies: *Honestum non est vituperandum: studium philosophiæ honestum est:* ergo *non est vituperandum*. Conclusio in majore propositione involvitur: qui enim negat honestum vituperatione dignum, inficiatur etiam philosophicum studium vituperandum; eo quod in minore asseratur, in honestis computari: Alter hic syllogismus in minorem negationem rejicit: *Id quod honestum est, laudandum: segnities non est honesta: non est igitur laudanda*. Minor propositio manifestat conclusionem in majore contineri; asserit enim, segnitiem quæ studiosam juventutem plerumque invadit, minime honestam esse, adeoque inter res laude dignas minime recensendam, quod ipsum asserit conclusio.

190 Schol. Si vitiosos syllogismos ad præcedentem legem, veluti ad lapidem lydium probaveris, non ægre invenies, omnes in ipsam peccare. Aliis etiam placet primam legem (178) unicam esse, ex qua syllogismi rectitudo haurienda sit: reliquas vero consectaria, sive applica-

cationes ejusdem esse. Sanè quæ modo tradita est regula veluti epitome reliquarum, aliud nihil est, quam elucidatio dispositionis trium terminorum, quibus constare debet syllogismus.

CAPUT QUARTUM.

De *Syllogismo composito*.

§. I.

Syllogismus hypotheticus.

191 Syllogismi compositi species sunt, *hypotheticus*, seu *conditionalis*; *copulativus*, *seu conjunctivus*; & *disjunctivus*. Hypotheticus, de quo in præsenti articulo, est syllogismus, cujus utraque, aut altera ex præmissis conditionem includit. Duo membra majoris propositionis *conditio*, & *conditionatum* dici solent: ab aliis propositionis membrum conditionem includens vocatur *antecedens*; *conditionatum consequens*. Duobus modis concludere potest hic syllogismus: aut affirmando conditionem in minore, & deducendo consequens, seu *conditionatum* in conclusione: aut ipsum negando, atque inde negationem antecedentis deducendo: ex. g. *Si sol lucet, dies est; sol lucet*; ergo *dies est*: *dies non est*; ergo *sol non lucet*.

192 Schol. Omnis propositio conbitionalis, etiam negantis speciem præseferens, ad affirmativas reduci debet. Asserit enim connexionem necessariam conditionem inter & conditionatum; quâ non existente, propositio falsa sit, necesse est. Hinc omnis hypothetica æquivalet universali affirmativæ, quæ ejusdem conditionalis vices gerere etiam potest: hæc certe alterius veritatem necessario supponit. Unico exemplo utramque veritatem illustro: hujus conditionalis negativæ: *Si philosophus non habet scientiam castigatis moribus conjunctam, evanescet in cogitationibus suis*; huic universali absolutæ respondet, quæ ejus vice substitui potest: *Omnis philosophus, cujus scientia moribus depravatur, evanescit in cogitationibus suis*: cujus veritas, etiamsi ex D. Paulo non comprobaretur, experientia tamen quotidiana satis superque convincitur.

193 Leges syllogismi hypothetici sunt, I. *Si asseritur in minore conditio, affirmari debet conditionatum in conclusione*. Nam propositio hypothetica enunciat connexionem inter conditionem & conditionatum (192); quando igitur altera existit, existere etiam debet & alterum; adeoque asserto in minore antecedente, in conclusione consequens affirmari debet. *Si sol est centrum commune planetarum, circa ipsum moventur: sol est centrum planetarum*: ergo *circum solem aguntur*.

194 Lex II. *Negato in minore conditionato, in conclusione negari debet existentia conditionis*. Supponitur enim necessaria inter utrumque dependentia; secus conditio nulla esset, falso enim assereret, id quod re vera ab alio non dependet, ab ipso dependere. Hinc recta est hæc deductio: *Si juventus haberet initium sapientiæ, timorem Domini haberet: juventus depravata timorem Domini non habet*: ergo *nec initium sapientiæ*.

195 Schol. Animadvertendum tamen, non rectam esse deductionem ab affirmatione *consequentis* ad affirmationem *antecedentis*: en fallacem consequentiam hoc modo deductam: *Si pluit, aer humidus est: aer humidus est: pluit ergo*: persæpe enim subhumidum aerem experimur, quin vapores in pluviam concrescere videamus. Vitium hujusce conclusionis in eo situm est, quod in hypothesi non asseritur necessaria connexio inter conditionatum, & conditionem; at conditionem tantum necessario trahere conditionatum: ex. g. *Si Ptolomæus Pompejum capite minuerit*, rectè deduces esse mortuum: malè autem ex ejus morte, eidem caput obtruncatum deduceres: poterat siquidem alio mortis genere perire. At ratione materiæ, inquies, plerumque vera esse potest deductio, quemadmodum in Pompejo vera fuit. *Has conclusiones dialectica curat scilicet*. Hæc conclusio etiam vera est, *Petrus Apostolus Romæ occidit*; illam tamen male deduceres ex his præmissis: *Cui caput jussu Neronis Romæ obtruncatur, occidit: at jussu Neronis D. Petrus Romæ occisus est*: ergo *Romæ occidit*. Omnes propositiones veræ sunt, consequentia tamen minime descendit.

196 Lex III. *Syllogismus utramque præmissam hypotheticam includens, conclusionem hypotheticam habere debet*. Nimirum in conclusione tantum deduci potest conditio majoris eo modo, quo conditionatum assertum est in minore (193); minor autem hypothetica supponitur: consequentia igitur conditionalis sit, oportet; & quidem ipsamet conditione in majore enunciata, quemadmodum in sequenti syllogismo videre licet: *Si juvenis christianum in morem vitam instituerit, in senectute non recedet ab eo: atqui in senectute non recedent a christianis institutis, sanctè moritur: ergo si juvenis christianam vitam duxerit, sanctè morietur*.

197 Schol. Solent, qui fallaciis delectantur, eam inserere conditionem in majore propositione, quæ conditionato in minore repugnet; ex qua repugnantia absurdum in conclusione sequatur, necesse est: hujusmodi esset sequens absurda illatio: *Si Antichristus probè vixerit, existet*:

at si existet, nequam erit: ergo si probè vixerit, nequam erit. Pudet futilibus hisce ineptiis tempus consumere. Negando suppositum, quod si existat, probè vivere possit, ex suppositione quod ejus improbitatem Deus præviderit, evanescit difficultas; ac simul, in quo fallacia sit, ostenditur. Nam posita prævisione divina, simul ponitur ipsum non probe victurum, adeoque pugnantia includit propositio.

§. II.

Syllogismus disjunctivus.

198 Syllogismus disjunctivus dilemma (165) quoddam est, aut dilemma species syllogismi disjunctivi. Constat propositione disjunctiva in majore, cujus unum ex membris affirmatur in minore, ac reliqua in conclusione negantur; vel si hæc negantur in minore, in conclusione affirmatur, quod omissum erat in minore. En syllogismum disjunctivum, seu dilemma Stoicorum, ut divinationem probarent, a Cicerone (2. de Divin. cap 49.) expositum, pluribus membris constans: „ Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, quæ futura sint; aut non diligunt homines; aut quid eventurum sit, ignorant; aut existimant, nihil interesse hominem, scire, quid sit futurum; aut non censent, esse suæ majestatis præsignificare hominibus, quæ sint futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos, sunt enim benefici, generique hominum amici; neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta, & designata sunt; neque nostra nihil interest scire ea, quæ futura sunt; erimus enim cautiores, si scierimus; neque alienum ducunt majestate sua; nihil est enim beneficentia præstantius; neque non possunt futura prænoscere; non igitur dii sunt; nec significant nobis futura: sunt autem dii; significant ergo. Et non, si significant futura, nullas dant nobis vias, ac significationum scientiam; frustra enim signficarent: neque si dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio".

199 Syllogismi disjunctivi leges sunt sequentes. I. *Nullum medium reperiri debet inter diversa membra disjunctionis.* Cæteroquin apertissimè falsa est, atque adeò nulla consequentia disjuncta. *Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat homo*, falsa disjunctio est: quum possit alio vitio laborare, aut nullo, quod videre licet ex sequenti lege.

200 II. Lex. *Inter membra disjunctionis unum aliquod subjecto, de quo asseritur disjunctio, convenire debet.* Qui enim asserit hoc, aut alterum, tertiumve subjecto convenire; si nullum ex his illi quadrat, medium datur, quod ipsi aptari potest, quod jam ostensum est, disjunctionem nullam facere. Vide in eodem lib. 2. de Div. c. 50. *Primum enim hoc sumitis* &c. Tullii responsionem ad disjunctivum Stoicorum ratiocinium.

201 III. Lex. *Si minor affirmat in syllogismo disjunctivo, conclusio est negativa; si minor negat, affirmare debet aliquod ex membris conclusio*: En exemplum: *Aut dies est, aut nox: dies est*: ergo *non est nox: est nox*: ergo *non est dies*. Nimirum id demum est disjunctionis scopus, ut ex rebus incompatibilibus, ex quibus unum necessario convenire, aut non convenire subjecto disjunctionis debeat, ex affirmatione, aut negatione alterius, alterum deducatur esse, aut non esse.

202 Schol. Syllogismi complexi duobus simplicibus æquivalent, aut pluribus etiam juxta numerum propositionum, in quas præmissa complexa dividi potest. Ex. gr. Syllogismus ille quamvis brevissimus, *aut dies &c.* his duobus respondet; *opposita simul esse non possunt: dies & nox sunt opposita*: ergo *simul esse non possunt. Dies & nox simul existere non possunt: nunc est dies*: ergo *non est nox* &c. Et hæc ratio est, cur plerumque ex præmissis affirmativis conclusio negativa in disjunctione deducatur; quod alicui negotium facessere posset, si crediderit, in syllogismis complexis consequentias non eisdem legibus subjici, atque in syllogismis simplicibus; quod prorsus falsum est.

§. III.

Syllogismus copulativus.

203 A propositione conjunctiva, seu copulativa (133) negante hæc argumentatio nomen trahit. Ea videlicet est syllogismi copulativi natura, ut e duobus incompatibilibus, quæ in majore negantur posse conjungi; altero in minore affirmato, ad alterius negationem in conclusione procedatur. Talis est hæc argumentatio: *Christianus cupiditatibus obsequi, & Christum sequi non potest: homines mundo dediti cupiditatibus obtemperant*: ergo *Christum sequi non possunt.*

204 En syllogismi copulativi leges: I. *Membra copulata simul vera esse non possunt, seu debent esse opposita.* Vis enim argumentationis conjunctivæ in eo consistit, ut ex alterius affirmatione in minore, negatio alterius deducatur in conclusione: quæ, amabo, erit hæc consequentia: *Nox & dies esse non possunt: Nunc est nox apud antipodas*: ergo *dies nobis esse non potest*. Fallax deductio, quum nulla oppositio inter noctem & diem in diversis hemisphæriis unquam inventa sit.

205 Lex II. *Ex membris oppositis in præmissa majore assertis, alterum affirmari debet in minore; alterum in conclusione negari*. Si enim negaveris in minore, quum jam major negans supponatur, conclusio proveniet e præmissis negativis; adeoque illegitima sit, oportet (186). Hoc vitio laborat hic syllogismus: *Non potest quis currere & sedere; Cæsar non currit;* ergo *sedet*.

206 Schol. Politus quidam auctor aliam adhuc statuit legem: „ Si membra copulata non possunt simul esse falsa; negato uno in minore, affirmetur alterum in conclusione: ex. g. *Non potest fieri, ut hæc propositio:* logicus disputat, *nec sit vera, nec falsa: sed falsa non est:* ergo *est vera*. „ Pace tamen doctissimi viri hunc syllogismum in disjunctivis censerem; quum manifestum sit, particulas *nec* in hujusmodi propositionibus disjungere, ita ut sensum hunc reddant: *Hæc propositio*, logicus disputat, *aut vera, aut falsa est:* nec enim necessarium unquam putaverim, ad expendendam propositionum naturam, particularum citius, quam sensus rationem haberi. Sed hæc hactenus.

CAPUT QUINTUM.

De figuris Syllogismorum.

207 *Figura* syllogistica est diversa medii termini in præmissis collocatio. Quatuor videlicet modis juxta terminorum numerum in præmissis contentum medius terminus collocari potest. Et primo quidem ut sit unius subjectum, alterius verò prædicatum; quæ dicitur prima figura: in altera utrobique est prædicatum. Tertia figura est, quum subjecti loco ponitur in utraque præmissa. In quarta demum prædicatum est in majore, & subjectum in minore. Verum quum hæc sit inversio materialis terminorum, postrema hæc figura passim ab auctoribus explodituir, velut inutili; nec injuria, quantum mei judicii est.

208 *Modus* syllogismi dicitur trium propositionum dispositio juxta diversitatem figurarum modo assignatam: quæ quidem diversitas *quantitatem* juxta ac *qualitatem* attingit (104). Meminisse oportet, propositionum *qualitatem*, & *quantitatem* litteris A, E, I, O, designari (110): quamobrem tres syllogismi propositiones aliqua ex his litteris comprehendi debent. Jam verò si litteræ prædictæ per trinas conglobationes disponantur, periculum facienti patebit in 64. ut ajunt, *combinationes* distribui posse. Ex his tamen duodecim tantum, si ad trutinam legum syllogisticarum expendantur, rectam consequentiam continere inve-

venientur. Duæ tamen ex his, etiam si non illegitimæ sint, in aliis decem comprehenduntur. Nam conglobatio I E O eadem est atque E I O, materiali tantum præmissarum inversione; quod pariter dicendum de altera A E O, quæ omnino similis est E A O.

209 Schol. Auctor quidam satis cognitus modum I E O ait non concludere, *eo quod prædicatum in conclusione negativa latius significet, ac universalius supponat, quam in præmissa affirmativa*. Idem tamen modum E I O in legitimis habet; qua principiorum cohærentia, alii viderint. Nos quidem hæc notamus, non impugnandi libidine, quandoquidem nomina scriptorum supprimimus; sed incautos monendi causa, ne in errorem eumdem impingant, aliorum scripta legentes: quod & nobiscum fieri, non solum patimur, verum a subsequuturis scriptoribus etiam flagitamus. Neque enim ii sumus, qui supra humanam conditionem nos collocatos esse gloriemur.

210 Ex decem illis modis legitime concludentibus, ac diversa medii termini *collocatione*, novemdecim enumerantur modi sequentibus vocabulis indicati, atque in hexametros conformati, memoriæ juvandæ causa:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In qualibet ex hic vocibus, omni prorsus significatione destitutis, attendendæ sunt tres primæ vocales, quæ juxta diversitatem collocationis, syllogismorum varietatem indicant, universalibus, particularibus, affirmativis, negativis propositionibus coalescentium; ita tamen ut prima majorem, minorem altera, tertia conclusionem demonstret. Ex. g. *Barbara* syllogismum tribus propositionibus universalibus affirmativis compositum designat. *Celarent* duobus universalibus negativis, atque affirmativa pariter universali, conformatum syllogismum indigitat, & sic deinceps.

211 Neque dixeris, easdemmet vocales, atque eodem ordine dispositas sæpius in tetrastico contineri, quod inanem repetitionem redolere videtur. Sciendum enim est, duos concludendi modos a dialecticis distingui; alterum *directum*, *indirectum* alterum. In modo directo majoris prædicatum est etiam conclusionis attributum: in altero est conclusionis subjectum. Quamobrem in prima figura (207) reperiri debent modi *directi*, atque *indirecti* concludendi. Quatuor tantum concludunt *directe*, scilicet *barbara, celarent, darii, ferio:* reliqui *barali, celantes, dabitis*,

tis, *fapesmo*, *friseso* indirecte concludunt. Et hi quidem ad primam figuram, in qua medius terminus est subjectum majoris, atque attributum minoris. Ad secundam figuram, in qua medius terminus est bis attributum, pertinent *cesare*, *camestres*, *festino*, *baroco*, quorum syllogismi, sicuti alii omnes a quatuor primis, indirectam consequentiam præbent. Demum in tertia figura, quæ medium terminum tamquam subjectum bis includit, comprehenduntur *darapti*, *felapton*, *disamis*, *datisi*, *bocardo*, *ferison*. Exempla horum syllogismorum ob oculos posita clariora reddent hactenus dicta.

Figura prima, in qua medius terminus est subjectum majoris, & attributum minoris.

MODI DIRECTI.

Barbara
A Omne *capax se movendi* est immateriale;
A Omnis anima brutorum est capax se movendi;
A Ergo omnis anima brutorum est immaterialis.

Celarent
E Omne *capax se movendi* non est materia;
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
E Ergo omnis anima brutorum non est materia.

Darii
A Omne *capax se movendi* est immateriale;
I Aliqua anima brutorum est *capax se movendi*;
I Ergo aliqua anima brutorum est immaterialis.

Ferio
E Nihil *capax se movendi* est materia;
I Aliqua anima brutorum est *capax se movendi*;
O Ergo aliqua anima brutorum non est materia.

MODI INDIRECTI.

Barali
A Omne *capax se movendi* est immateriale;
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
I Ergo aliquid immateriale est anima brutorum.

Celantes
E Omne *capax se movendi* non est materia;
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
E Ergo nulla materia est anima brutorum.

Dabitis
A Omne *capax se movendi* est immateriale;
I Aliqua anima brutorum est *capax se movendi*;
I Ergo aliquod immateriale est anima brutorum.

Fa-

Fapesmo
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
E Nulla materia est *anima brutorum*;
O Ergo aliquod *capax se movendi* non est materia.

Friseco
I Aliquid *capax se movendi* est anima brutorum;
E Nulla materia est *capax se movendi*;
O Ergo aliqua anima brutorum non est materia.

Secunda figura: medius terminus utrobique prædicatur.

Cesare
E Nulla materia est *capax se movendi*;
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
E Ergo nulla anima brutorum est materia.

Camestres
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
E Nulla materia est *capax se movendi*;
E Ergo nulla materia est anima brutorum.

Festino
E Nulla materia est *capax se movendi*;
I Aliqua anima brutorum est *capax se movendi*;
O Ergo aliqua anima brutorum non est materia.

Baroco
A Omnis anima brutorum est *capax se movendi*;
O Aliqua materia non est *capax se movendi*;
O Ergo aliqua materia non est anima brutorum.

Tertia figura: medius terminus utrobique est subjectum.

Darapti
A Omnis *anima brutorum* est capax se movendi;
A Omnis *anima brutorum* est immaterialis;
I Ergo aliquid immateriale est capax se movendi.

Felapton
E Nulla *anima brutorum* est materia;
A Omnis *anima brutorum* est capax se movendi;
O Ergo aliquid capax se movendi non est materia.

Disamis
I Aliqua *anima brutorum* est capax se movendi;
A Omnis *anima brutorum* est immaterialis;
I Ergo aliquod immateriale est capax se movendi.

Datisi
A Omne *capax se movendi* est immateriale;
I Aliquid *capax se movendi* est anima brutorum;
I Ergo aliqua anima brutorum est immaterialis.

Bocardo
O Aliqua *anima brutorum* non est materia;
A Omnis *anima brutorum* est capax se movendi;
O Ergo aliquid capax se movendi non est materia.

Ferison
E Nihil *capax se movendi* est materia;

1 Aliquid *capax se movendi* est anima brutorum;
O Ergo aliqua anima brutorum non est materia.

212 Schol. Non modo aliarum scientiarum studiosi, verum philosophi etiam ipsi ingenue fatentur, vix umquam in conformandis syllogismis ad has figuras ac modos mentem revolvere: Idcircò nonnulli recentiores ne verbum quidem faciunt de hujusmodi figuris, ac modis syllogismorum. Nos ea omnino prætermittere nefas duximus; fusiore calamo tractare, superfluum. Quæ tamen de reductione syllogismorum tradebantur, adeò inutilia, atque intricata videntur, ut cum Augustino dicere non dubitemus: *Plerumque accidit, ut facilius homines eas res æstimentur, propter quas discendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas disciplinas* (De Doctr. Christ. 2. c. 37.).

CAPUT SEXTUM.

De Demonstratione, aliisque argumentationibus.

§. I.

Demonstratio.

213 Demonstratio est deductio alicujus propositionis e principiis certis, atque evidentibus. Quæ quidem deductio, aut *proxima* est, aut *remota*. Primæ demonstrationes geometricæ proximæ sunt: deducuntur enim immediatè e principiis, vel axiomatis, quæ in ipso geometricæ limine stabiliuntur, atque ab omnibus sensu communi præditis percipiuntur. Remotæ sunt illæ, quæ ab demonstratis descendunt, illisque admissis, ac bene perceptis, non potest intellectus, quin illis assentiatur.

214 Rursus demonstratio vel unico syllogismo exponitur, & dicitur *simplex*: vel pluribus ratiocinationibus coalescit, & *compotita* vocatur. Utraque directa, aut indirecta esse potest. Quæ rem a principiis, aut notionibus certis, ac evidentibus, prædicatum subjecto convenire ostendit, *directa* nuncupatur: eam verò, quæ absurdum aliquod ostendit sequuturum, ni res ita esset, *indirectam* appellant, vel *apogogicam*. Sane non semper aliqua evidens ratio ex ipsismet rei notionibus occurrit, e qua directa demonstratio erui valeat; absurdum tamen licet reperire quod nasceretur, si contrà, atque asserimus, res se haberet. Quumque duo contradictoria simul vera esse non possint, eo quod res simul esse, & non esse sequeretur; hujusmodi demonstratio invicta est, atque ad contradictionem reducit; sive, ut ajunt, ad *impossibile*.

215

215 Denique tres alias demonstrationum species assignare solent dialectici: a *priori*, a *posteriori*, atque a *simultaneo*, aut *concomitante*. Rem a priori demonstramus, si medium demonstrationis sit causa, aut aliquid natura sua rem antecedens. Hujusmodi sunt effectuum existentia a naturæ legibus descendentium demonstrata; uti aeris, ignis, aliorumque corporum vel levissimorum gravitas ex universali lege gravitatis corporum ostensa, aliaque sexcenta.

216 A posteriori illa dicitur demonstratio, quæ ab effectibus causam ostendit. Videre licet in secundo de natura Deorum elegantem Tullii sermonem, quo Dei providentiam demonstrat, & quem Balbo attribuit Stoicorum partes agenti. Fusius has demonstrationes in metaphysica exponemus, ubi a posteriori existentia Dei contra Atheos invictè demonstratur.

217 Non omnes tertium membrum divisionis modò allatæ libenter recipiunt; existimantes, demonstrationem a *simultaneo* in prima divisionis parte contineri. Rem in medio relinquimus, satis judicantes, quid nomine demonstrationis a simultaneo intelligant, exponere: quam quidem sic explicant. „ Demonstrationes a *simultaneo*, aut per *ideam* dicuntur illæ, in quibus rerum proprietates per ideam ipsam, quam de illis nobis formamus, demonstrantur: illæ exempli causa in quibus trianguli proprietates per ideam ipsam, quam trianguli habemus, demonstrantur. Tertium hoc demonstrationis genus, insistit *Para*, in quibus de rebus affirmamus, quæ penitus in earum idea inclusa videmus, omnes geometricas demonstrationes fundat, & statuit. Nullam aliam rationem habet geometra .... ut has atque illas proprietates triangulo, *ceteris* tribuat, quam *intrinsecam exigentiam* harum figurarum: neque earum intrinseca exigentia illi aliunde demonstratur, quam ex idea ipsa, quam illarum habet. „ *Notat tamen idem auctor*, demonstrationem per ideam, in *ideali* tantum statu locum habere: in quo nullas alias hæ proprietates habent, nisi quas ideæ abstractæ a nobis mente conceptæ illis tribuunt: neque vim ullam habere in physico rerum statu, in quo earum natura non sanè id tantum est, quod libeat menti nostræ eam esse. „

§. II.

Demonstrationes præpostera.

218 Demonstratio vitio laborare potest tum ratione *formæ*, quum etiam ratione *materiæ*. Si in aliquam ex regulis syllogismorum (178) peccaverit, vitiosam formam

1 Aliquid *capax se movendi* est anima brutorum;
O Ergo aliqua anima brutorum non est materia.

212 Schol. Non modo aliarum scientiarum studiosi, verum philosophi etiam ipsi ingenue fatentur, vix umquam in conformandis syllogismis ad has figuras ac modos mentem revolvere: Idcircò nonnulli recentiores ne verbum quidem faciunt de hujusmodi figuris, ac modis syllogismorum. Nos ea omnino prætermittere nefas duximus; fusiore calamo tractare, superfluum. Quæ tamen de reductione syllogismorum tradebantur, adeò inutilia, atque intricata videntur, ut cum Augustino dicere non dubitemus: *Plerumque accidit, ut facilius homines eas res æstimentur, propter quas discendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas disciplinas* (De Doctr. Christ. 2. c. 37.).

CAPUT SEXTUM.

De Demonstratione, aliisque argumentationibus.

§. I.

Demonstratio.

213 Demonstratio est deductio alicujus propositionis e principiis certis, atque evidentibus. Quæ quidem deductio, aut *proxima* est, aut *remota*. Primæ demonstrationes geometricæ proximæ sunt: deducuntur enim immediatè e principiis, vel axiomatis, quæ in ipso geometricæ limine stabiliuntur, atque ab omnibus sensu communi præditis percipiuntur. Remotæ sunt illæ, quæ ab demonstratis descendunt, illisque admissis, ac bene perceptis, non potest intellectus, quin illis assentiatur.

214 Rursus demonstratio vel unico syllogismo exponitur, & dicitur *simplex*: vel pluribus ratiocinationibus coalescit, & *compotita* vocatur. Utraque directa, aut indirecta esse potest. Quæ rem a principiis, aut notionibus certis, ac evidentibus, prædicatum subjecto convenire ostendit, *directa* nuncupatur: eam verò, quæ absurdum aliquod ostendit sequuturum, ni res ita esset, *indirectam* appellant, vel *apogogicam*. Sane non semper aliqua evidens ratio ex ipsismet rei notionibus occurrit, e qua directa demonstratio erui valeat; absurdum tamen licet reperire quod nasceretur, si contrà, atque asserimus, res se haberet. Quumque duo contradictoria simul vera esse non possint, eo quod res simul esse, & non esse sequeretur; hujusmodi demonstratio invicta est, atque ad contradictionem reducit; sive, ut ajunt, ad *impossibile*.

215

215 Denique tres alias demonstrationum species assignare solent dialectici: a *priori*, a *posteriori*, atque a *simultaneo*, aut *concomitante*. Rem a priori demonstramus, si medium demonstrationis sit causa, aut aliquid natura sua rem antecedens. Hujusmodi sunt effectuum existentia a naturæ legibus descendentium demonstrata; uti aeris, ignis, aliorumque corporum vel levissimorum gravitas ex universali lege gravitatis corporum ostensa, aliaque sexcenta.

216 A posteriori illa dicitur demonstratio, quæ ab effectibus causam ostendit. Videre licet in secundo de natura Deorum elegantem Tullii sermonem, quo Dei providentiam demonstrat, & quem Balbo attribuit Stoicorum partes agenti. Fusius has demonstrationes in metaphysica exponemus, ubi a posteriori existentia Dei contra Atheos invictè demonstratur.

217 Non omnes tertium membrum divisionis modò allatæ libenter recipiunt; existimantes, demonstrationem a *simultaneo* in prima divisionis parte contineri. Rem in medio relinquimus, satis judicantes, quid nomine demonstrationis a simultaneo intelligant, exponere: quam quidem sic explicant. „ Demonstrationes a *simultaneo*, aut per *ideam* dicuntur illæ, in quibus rerum proprietates per ideam ipsam, quam de illis nobis formamus, demonstrantur: illæ exempli causa in quibus trianguli proprietates per ideam ipsam, quam trianguli habemus, demonstrantur. Tertium hoc demonstrationis genus, insistit *Para*, in quibus de rebus affirmamus, quæ penitus in earum idea inclusa videmus, omnes geometricas demonstrationes fundat, & statuit. Nullam aliam rationem habet geometra .... ut has atque illas proprietates triangulo, *ceteris* tribuat, quam *intrinsecam exigentiam* harum figurarum: neque earum intrinseca exigentia illi aliunde demonstratur, quam ex idea ipsa, quam illarum habet. „ *Notat tamen idem auctor*, demonstrationem per ideam, in *ideali* tantum statu locum habere: in quo nullas alias hæ proprietates habent, nisi quas ideæ abstractæ a nobis mente conceptæ illis tribuunt: neque vim ullam habere in physico rerum statu, in quo earum natura non sanè id tantum est, quod libeat menti nostræ eam esse. „

§. II.

Demonstrationes præpostera.

218 Demonstratio vitio laborare potest tum ratione *formæ*, quum etiam ratione *materiæ*. Si in aliquam ex regulis syllogismorum (178) peccaverit, vitiosam formam

continebit; ejusque consequentia nulla erit, quantumvis propositio vera sit. Quod si principia demonstrationis extra controversiam non sint, aut aliquid obscurum, dubium, vel quod detestandum magis esset, falsum poneretur, *materiam* vitiosam facit, ac demonstrationem præposteram.

219 Licet tamen quandoque exactam demonstrationem cudere, quæ quidem talis sit ad mentem adversarii, falsa pro veris admittentis. Tunc præmissa falsa veritatem induit invictam contra asserentem, quæ ceteris nullum negotium facesseret. Hoc genus argumentationis ad *hominem* dicitur. Sic Cotta in tertio de Nat. Deor. refellit Balbum, eo quod iste plura e fabulis ethnicorum, atque stoicorum absurda inseruerit; quæ si omisisset, nullum adversario insectandi locum dedisset. Monet tamen Horvatus, causam nostram veram debere esse ac justam; ne adversarium ex uno in alium errorem, non sine calliditatis nota traducamus.

220 Indirectam demonstrationem adhibere, quum suppetit directa; si minus demonstrationem præposteram adhibere; at præposterè agere certè est. Nam indirecta demonstratio propositionem falsam esse non posse, minimè verò rationem, cur vera sit, ostendit: quod quid præcipuus doctrinæ scopus esse debet. Dutensius asserit, veteres mathematicos prius demonstratione directa theoremata, ac problemata invenisse; deinde tamen in suis scriptis indirectam plerumque adhibuisse. Si hæc vera sunt, contra ac nos monemus, egerunt; rectè autem eos fecisse, nemo umquam, vel ipse antiquitatis adorator Dutensius, pronunciabit.

221 Demum nullus ea, quæ manifesta, atque evidentia sunt, demonstrabis. Ceteroqui, demonstratio tua obscuriorem veritatem faciet, quæ per se ipsa luculenter intellectui manifestabatur. Sane id demum est actum agere, mentem velle convincere, quam veritas captivam primo intuitu jam duxit.

§. III.

Argumentatio probabilis.

222 Quum ex dogmatis syllogisticis (186) *conclusio sequatur debiliorem partem*, argumentatio illa erit *probabilis*, quæ utramque, aut alterutram ex præmissis habuerit probabilem. Quid autem probabilis propositionis nomine intelligere liceat, ex art. 90, & 94 facile deduces.

223 Schol. Nobilis Philosophus, Italiæ Scholis satis cognitus, ad argumentationem probabilem deveniens, sic pro-

propositionem probabilem definit: si *prædicatum subjecto tribuitur ob rationem non sufficientem, propositio dicitur probabilis*. Improbabilem citius ego dicerem; quæ enim sine sufficiente ratione asseruntur, probabilitate omni destituantur, necesse est. Mirandum igitur non erit, qui hujusmodi probabilitatis notionibus imbutus sit, si in Ethica doceat, contra jus fasque agere in re morali, probabilitatem sequentes.

224 Ceterum probabilitatis gradus augeri, ac minui possunt; veritatis non item: nam ut fert scholarum paræmia, *veritas consistit in indivisibili*. Et quidem veritas statum rerum independentem a modo nostro concipiendi respicit: probabilitas, quemadmodum & evidentia ad modum nostrum concipiendi plerumque referuntur. Major probabilitas a numero, & pondere rationum, seu notionum, quas de rebus habemus, æstimanda est: ita ut illa conclusio, præmissa, aut propositio magis probabilis dicatur, quæ pro se majorem rationum numerum habet, atque ejus contradictoria; quæ proinde minus probabilis dicetur. Quod si utrinque rationes, aut notiones sint æquales, *æque probabiles* dicentur.

225 Corol. Fieri igitur potest, ac nonnumquam evenisse compertum est, ut conclusiones, quæ minus probabiles videbantur, accessu aliarum notionum decursu temporis acquisitarum, non solum ad majorem probabilitatem, verum etiam ad certitudinem, atque evidentiam evehantur. Nimirum quam in se veritatem continebant, intellectuique humano occultabatur, vel densis tenebris obruta, vix erumpebat; his omnino, aut propemodum dissipatis, rerum statum commutavit; & quæ primum probabilia minus habebantur, ad certitudinis, vel saltem majoris probabilitatis gradum promota sunt. Copernicanum systema, quod duobus abhinc sæculis inter delirantis phantasiæ commenta habebatur, nunc jam eum probabilitatis gradum obtinet, ut in demonstratis ab nonnullis recenseatur, sacro Indicis tribunali haud reclamante.

§. IV.

De Fallaciis.

226 Duplici modo intellectus noster in fallacias impingere potest: imprudenter, quod humanæ conditionis miseræ sorti adscribendum est: aut sciens, & prudens depravatæ voluntatis vitio veritatem, vel occultantis, vel fastidientis, atque eamdem e ceterorum animis evellere cupientis. Nonnumquam tamen accidit, ut sunt hominum mores, gloriæ maximæ sibi duxisse philosophos, parado-

xa quædam invenire, sustinere, aliis persuadere, quæ vel ipsi absurda putavissent: aut aliorum opiniones perverso syllogismorum, fallaciarum citius dixerim, usu atque abusu evertere, ut ingenii laudem mererentur. Videre mihi videor a Michaele Cervantes confictum illum dementem, cujus nomen abhorret latinus sermo, ad rem litterariam traductum, qui paratus ubique, contra atque ipse sentiret, sentientes in singulare certamen provocare: aut etiam animi ergo secum sentientes impugnare, ut egregiam laudem, & spolia ampla devicti illusionum putidarum armis adversarii, referat: ea nimirum laus tota sita est in aliorum plausibus, qui æquè, atque ipsi, plus tribus anticyris indigent ad mentis sanitatem restaurandam. Apud Græcos philosophos mos iste adeò invaluerat, ut qui magis ceteros fallaciis irretiret, Διαλεκτικότατος haberetur, quod de Crysippo scribit Plutarchus. Nihil est igitur, cur miremur testantem Senecam, simul & irridentem, id temporis philosophos, sollecismos, barbarismos, syllogismosque animalia esse, disputavisse. Sed hæc hactenus, quum vel sophistarum nomen nunc ubique probro jam, ac ludibrio vertatur.

227 Sophismatum, ac Paralogismorum (177) fontes sunt sequentes. 1. *Quartus terminus in syllogismo furtivè aut fraudulenter latens* (178, & seq.); quod quidem ad mutationem suppositionis plerumque referendum est. Voces *æquivocæ*, *amphibologicæ* aliæque hujusmodi, ex quibus vitiosi syllogismi nascuntur, huc reducendæ sunt: &, ni fallor, ceterorum vitiorum analysis ultima hæc est, syllogismum aliquam fallaciam includentem, quatuor terminis constare; ut periculum facienti planum fiet.

228 2. *Deductio a sensu composito ad sensum divisum: sive fallacia divisionis*. Hoc vitio laborat hic syllogismus: *Apostoli sunt duodecim: Andreas est Apostolus: ergo est duodecim Apostoli*. Planum est, prædicatum majoris collectivè sumi, seu sensum compositum indicare, in conclusione autem distributivè, seu sensum divisum reddit. En 4. terminos.

229 3. *Deductio a sensu diviso ad compositum, sive fallacia compositionis*. *Omnis homo potest ambulare: Petrus catenis vinctus est homo: ergo catenis vinctus potest ambulare*: fallaciam prædictam continet hujusmodi deductio. Homo enim facultatem ambulandi habet in sensu diviso ab impedimentis musculos corporis compescentibus; in conclusione verò sensus compositus deducitur, ambulandi nimirum dum membra catenis irretiuntur. Quatuor igitur terminos includit syllogismus.

230 4. *Transitus ab uno ad alium statum*. Vulgò hæc fallacia his tribus modis exponitur. *Ab hypothetic̃ dicto ad absolute dictum: a dicto simpliciter ad dictum secundum quid: a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Manifestum est, in his argumentationibus quatuor terminos includi, quum in altera propositione sensum diversum habeat, atque in altera acceptus fuit. En tres breves ratiocinationes tribus prædictis vitiis laborantes. *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis: ergo peribitis*: falsa deductio ab statu hypothetico ab absolutum. 2. *Non occides*: ergo *injustum vitæ agressorem, etiamsi nulla supersit via mortis evadendæ, non possum occidere*. Peccat hæc consequentia *a dicto simpliciter ad dictum secundum quid* rerum, statum commutans. Demum: *via lactea est cælum albicans: ergo totum cælum albescit*, vitium ultimum includit, statum minimæ partis cælestis spatii, toti cælo adscribens.

231 5. *Terminorum extensio, sive deductio a particulari ad universale*. Istiusmodi illusiones frequentes sunt, ac diversis modis irrepere possunt: scilicet 1. *quum a rei accidentibus, ad ejus naturam fit illatio*: juvenis quidam, qui a catholica Religione defecerat, quum Roma Neapolim diverterem, in via comes additus est: iste ut suam defectionem cohonestaret, plures catholicorum abusus in medium afferebat, perinde quasi sanctitatem, ac veritatem religionis aliquorum ministrorum, & multorum catholicorum abusus labefactaret. 2. Ab individuo ad speciem, ab specie ad genus, ab una ad aliam speciem fallax deductio est. Non enim inferior superiorem, at superior continet inferiorem; neque species una alteram continet; genus enim esset, si illam contineret (18). *Aliqui ministri cultus divini suo ministerio perperam funguntur*: ergo *sacerdotium extirpandum, aut contemnendum est*: fallax consequentia sæpe sæpius in quorumdam scriptis iterata, ac subinde etiam plausibus imperitorum recepta. 3. *A parte ad totum*, sive *a toto ad partem* etiam fallaciam inducere potest, si consequentia ab uno ad alterum eo modo, quo ipsum non continet, aut in illo continetur, deducatur. En binas consequentias hoc modo illatas: *Ora maritima zonæ torridæ fervet nimio solis calore adusta*: ergo *omnis regio americana a calore inhabitabilis est. America benigno cælo gaudet*: *ergo etiam ora maritima perpetuo vere incolas recreat*.

232 6. *Causa apparens pro vera asserta*; sive *illusio causæ non causæ*. In phænomena physica hujusmodi fallacia frequenter irrepit: plerumque enim inferri solet, *hoc post hoc*; ergo *hoc ex hoc*, ut vulgo dicitur. *Aere extracto in antliis fluida sursum ascendunt*: ergo *natura nihil vacuum esse permittit*. Hæc consequentia horrorem vacui tamquam causam confinxit, quæ postea inanis detecta est.

233 7. *Ignoratio elenchi, sive mutatio thesis*. Nimirum id ab nonnullis probandum assumitur, aut impugnandum, quod

quod ab adversario negatum, aut assertum non fuit. Solemnis hic esse solet hominum præjudicatarum opinionum morbo laborantium mos, fingere hostem, quem feriant. Ego equidem ita existimo, plerasque contentiones litterarias dissipatum iri, si utrinque quæstionis status, ut vocant, luculenter exponeretur: quod aut partium studio, aut contendendi cupidine plerumque fieri non solet.

234 8. *Petitio principii*, *sive circulus vitiosus* fit, quum id, quod probandum est, assumitur tamquam medium probationis. Quemadmodum si probaturus, Globum terraqueum esse centrum universi, id a descensu gravium in terram deducerem; atque huic descensui pro causa assignarem tellurem esse centrum universi. Enimverò perspicaci ingenio opus est ad hoc vitium animadvertendum. Fieri enim potest, ut latenter adeò irrepserit, ut vix, aut ne vix quidem dignoscatur: contra vero nonnulla, quæ speciem petitionis principii, aut circuli vitiosi exhibere solent, legitimæ sunt deductiones, e diversis mediis descendentes.

235 Schol. Si ad rigorem metaphysicum ratiocinationes ponderandæ essent, aut in demonstrationibus, aut in sophismatis recenseri deberent. Nam res omnes veritatem habent determinatam, cui si ratiocinium conformetur, ad demonstrationem trahit: si minus, aliqua fallacia laborat, quam ob imbecillitatem intellectus nostri, & ob arcanas naturæ compages, quæ prorsus nos latent, discernere non possumus. Quod si res omnes intueri penitus nobis daretur; opiniones cessarent, scientiæ imperio undique diffuso; & quæ probationes hinc illinc ad stabiliendas opiniones adducuntur, vel genuinæ demonstrationes, vel pura puta sophismata invenirentur. Quid enim aliud significant distinctiones præmissarum vel conclusionis inter disputandum; negatio consequentiæ, præmissis concessis; intorsiones in adversarium, illius ratiocinium ratiocinio simili retundentes; nisi vitium latens in argumentatione detectum fuisse? Distinctio enim duplicem sensum propositionis patefacit: duplicem igitur terminorum acceptionem continebant præmissæ, ex quibus conclusio deducta fuit. Sed hæc animadversio eatenus exposita a nobis est, quod nonnihil ad naturam ratiocinii dignoscendam conferre putavimus: ceterum ad praxim parum, aut nihil utilitatis afferre, candidè profitemur.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE METHODO.

CAPUT PRIMUM.

Methodus analytica, ac synthetica.

236 Methodus generatim accepta est ordo, sive dispositio conveniens in rebus: sic methodicè res suas agere dicitur, qui ordinem convenientem in operando servat. Methodus scientifica, de qua nunc sermo nobis est, ad scientias vel comparandas vel tradendas pertinet: in *analyticam*, ac *syntheticam* vulgò tribuitur. *Analyticam* sive *resolutionis* plerumque ad veritatem inveniendam usurpatur: est enim apta ratio totum in suas partes distribuendi, ut ex partium speculatione veritas detegatur. Exemplum in Chymia, a qua nomen accepit, habes luculentum artis analyticæ: quemadmodum enim actione ignis corpora resolvuntur, atque ex residuis partibus, quid eorumdem compositionem ingrediatur, deducimus; ita in scientiis ad veritatem inveniendam, rem in partes dispescimus, ac partium inspectione, quid lateat, deducimus, unde tot scientiarum theoremata, ac problemata dimanarunt. Idcirco methodus inventionis appellatur.

237 Synthetica methodus sive *compositionis* est continua dispositio veritatum, methodo analytica inventarum, ut eas aliis communicemus: propterea methodus *doctrinæ* est dicta, eo quod ad docendum aptissima sit. Geometria nitidissimum exemplar est methodi syntheticæ; simplicissimas veritates omnibus obvias proponens, e quibus gradum pedetentim faciens, atque unam alteri adnectens, ad sublimissima demum theoremata, ac problemata conducit.

238 Utriusque methodi leges generales sunt. I. Ne quæstio aliqua versanda assumatur, cujus enodatio intellectus humani, aut proprii ingenii vires superare compertum sit. *Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam viribus*, monebat Horatius. *Quadraturam circuli*, ut ajunt, aut *pun-*

ctum

quod ab adversario negatum, aut assertum non fuit. Solemnis hic esse solet hominum præjudicatarum opinionum morbo laborantium mos, fingere hostem, quem feriant. Ego equidem ita existimo, plerasque contentiones litterarias dissipatum iri, si utrinque quæstionis status, ut vocant, luculenter exponeretur: quod aut partium studio, aut contendendi cupidine plerumque fieri non solet.

234 8. *Petitio principii*, *sive circulus vitiosus* fit, quum id, quod probandum est, assumitur tamquam medium probationis. Quemadmodum si probaturus, Globum terraqueum esse centrum universi, id a descensu gravium in terram deducerem; atque huic descensui pro causa assignarem tellurem esse centrum universi. Enimverò perspicaci ingenio opus est ad hoc vitium animadvertendum. Fieri enim potest, ut latenter adeò irrepserit, ut vix, aut ne vix quidem dignoscatur: contra vero nonnulla, quæ speciem petitionis principii, aut circuli vitiosi exhibere solent, legitimæ sunt deductiones, e diversis mediis descendentes.

235 Schol. Si ad rigorem metaphysicum ratiocinationes ponderandæ essent, aut in demonstrationibus, aut in sophismatis recenseri deberent. Nam res omnes veritatem habent determinatam, cui si ratiocinium conformetur, ad demonstrationem trahit: si minus, aliqua fallacia laborat, quam ob imbecillitatem intellectus nostri, & ob arcanas naturæ compages, quæ prorsus nos latent, discernere non possumus. Quod si res omnes intueri penitus nobis daretur; opiniones cessarent, scientiæ imperio undique diffuso; & quæ probationes hinc illinc ad stabiliendas opiniones adducuntur, vel genuinæ demonstrationes, vel pura puta sophismata invenirentur. Quid enim aliud significant distinctiones præmissarum vel conclusionis inter disputandum; negatio consequentiæ, præmissis concessis; intorsiones in adversarium, illius ratiocinium ratiocinio simili retundentes; nisi vitium latens in argumentatione detectum fuisse? Distinctio enim duplicem sensum propositionis patefacit: duplicem igitur terminorum acceptionem continebant præmissæ, ex quibus conclusio deducta fuit. Sed hæc animadversio eatenus exposita a nobis est, quod nonnihil ad naturam ratiocinii dignoscendam conferre putavimus: ceterum ad praxim parum, aut nihil utilitatis afferre, candidè profitemur.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE METHODO.

CAPUT PRIMUM.

Methodus analytica, ac synthetica.

236 Methodus generatim accepta est ordo, sive dispositio conveniens in rebus: sic methodicè res suas agere dicitur, qui ordinem convenientem in operando servat. Methodus scientifica, de qua nunc sermo nobis est, ad scientias vel comparandas vel tradendas pertinet: in *analyticam*, ac *syntheticam* vulgò tribuitur. *Analyticam* sive *resolutionis* plerumque ad veritatem inveniendam usurpatur: est enim apta ratio totum in suas partes distribuendi, ut ex partium speculatione veritas detegatur. Exemplum in Chymia, a qua nomen accepit, habes luculentum artis analyticæ: quemadmodum enim actione ignis corpora resolvuntur, atque ex residuis partibus, quid eorumdem compositionem ingrediatur, deducimus; ita in scientiis ad veritatem inveniendam, rem in partes dispescimus, ac partium inspectione, quid lateat, deducimus, unde tot scientiarum theoremata, ac problemata dimanarunt. Idcirco methodus inventionis appellatur.

237 Synthetica methodus sive *compositionis* est continua dispositio veritatum, methodo analytica inventarum, ut eas aliis communicemus: propterea methodus *doctrinæ* est dicta, eo quod ad docendum aptissima sit. Geometria nitidissimum exemplar est methodi syntheticæ; simplicissimas veritates omnibus obvias proponens, e quibus gradum pedetentim faciens, atque unam alteri adnectens, ad sublimissima demum theoremata, ac problemata conducit.

238 Utriusque methodi leges generales sunt. I. Ne quæstio aliqua versanda assumatur, cujus enodatio intellectus humani, aut proprii ingenii vires superare compertum sit. *Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam viribus*, monebat Horatius. *Quadraturam circuli*, ut ajunt, aut *pun-*

ctum

tum fixum longitudinis geographicæ dimetiendæ inquisiturus, contra hanc legem peccaret.

239 II. Apta materia ad tractandum inventa, quam nitidissime exponatur: vocabula ambigua, aut nonnihil obscuritatis præseferentia perspicuè exponantur, quo sensu accipienda sint, ostendendo. Quæ minus ad rem pertinent, omittantur, certa ab incertis separentur: quæ scitu necessaria sint, ad tractationem præmittantur.

240 III. Lex. Si materia in plures veluti ramos discriminatur, præmittenda est membrorum divisio, singulaque seorsim tractanda sunt. Nec enim imbecilla mens hominum plures res simul comprehendere valet. Cavenda tamen nimia subjecti divisio, quæ intellectum onerare solet, citius quam juvare (72); quemadmodum & prolixa verborum copia, qua obscuritas, claritatis vice, diffunditur: quod etiam nimiæ brevitatis vitium esse, notavit Horatius.

241 IV. Lex. Progressus ab una in aliam veritatem tum demum fiat, quum præcedens perfectè stabilita erit. Nam si fundamenta nutaverint, ædificium corruat, necesse est.

242 V. Lex. Notiones mediæ inquirendæ sunt, e quibus progressus ab uno in aliud fieri possit; donec demum ad propositam quæstionis solutionem devenerimus. Certum enim est, *meditando artes extundi*, quod fieri non potest, nisi idearum mediarum inventione.

CAPUT SECUNDUM.

De Criterio veritatis.

§. I.

Evidentia.

243 Magni nominis ab ingenio captandi inordinata cupido usque eo solet homines transversos agere; ut quod maximo naturæ humanæ probro ducendum sit, sustinere non erubescant. Nihil percipi posse, cimmeriis omnia involuta tenebris, intellectum perpetua illusione versari, aliaque ejusmodi, Scepticorum commentum fuit, quod & Academicos nonnihil infecit, ac recentiorum quorumdam absurdissima etiam antiquitatis inventa excitantium, ingenii egregium extat monumentum. Per hos Philosophos nullum est veritatis criterium, quo verum a falso discernere possimus. Plerique tamen, quos non pudet cum ceteris hominum vera sentire, quatuor assignant criterii veritatis fontes: evidentiam, sensum communem, externos sensus, atque auctoritatem. Singillatim de his omnibus disserendum est.

244 Ac primo quidem evidentiam jam innuimus (85) esse lumen illud mentis, quo rei veritatem æquè perspicuè attingimus, ac si illam nitidissimè intueremur. Bis tria sex componere, ita cuilibet sanæ mentis homini evidenter apparet, tamquam se in humanis degere, aut, quæ ipsi dicuntur, sentire. Quæ quidem evidentia e triplici capite originem ducit: ex intimo videlicet sensu, aut conscientia, qua rem in nobis fieri adeò ineluctabiliter sentimus, ut sciens, & prudens quis dissentire non possit. 2. Ex terminorum simplici perceptione, vel inter se comparatione: quæ quidem *immediatam* evidentiam præbent. Mediatam verò e legitimo ratiocinio, quo ex identitate, aut distinctione extremorum in tertio convenientiam, aut repugnantiam inter se deducimus. Quartum ego adderem evidentiæ caput; innatam scilicet vim, ac securitatem, seu lumen rationis velis appellare, quo mens nostra tactu quodam interno, atque ineffabili, verum a falso secernit. Sed hoc fortasse ad unum ex supradictis capitibus revocari posse, quis contenderit? quod integrum cuique relinquo.

245 Candidè tamen fatendum est, nonnumquam evenire, ut quæ perspicua credebamus, atque in evidentibus posuimus, tractu temporis illusiones mentis inventa sint. En igitur notas, quibus germanam a fucata evidentia discernere queas. I. Si ea, quæ nobis evidentia videntur, ab omnibus, qui se existere non dubitant, perinde habeantur, ac nos concipimus. Omnes enim ad unum falli, tantum sibi persuadebit, cui mens aliter conformata, ac ceteri habent, contigerit. *Consensus enim omnium hominum naturæ vox est*, ajebat Tullius. Quod si de rebus scientificis sermo sit, ea erunt in evidentibus computanda, quæ a viris doctis illius disciplinæ post longam discussionem, præsertim si plurium ætatum examen sustinuerint, tales habentur. II. Sæpius ita perspicuæ res nobis apparent, ut vel sciens, & prudens quis assensum cohibere non possit. Quod si hæc vis veritatis constans semper sit, neque mutationem experiamur illius luminis mentem irradiantis; signum est, evidentiam genuinam adesse. Se existere, bis tria sex componere, ita perspicuè semper menti sistuntur, ut velis, nolis, assentire cogaris. III. Quæ etiamsi primo statim aspectu assensum non extorquent, tamen intellectus vera judicavit, ac postea semel, iterum, ac sæpius tranquilla mente ad trutinam revocata, eamdem continenter nobis perspicuitatis speciem referunt; ea in evidentibus tutò collocare licet. Paralogismus enim, aut fallacia, fulguris instar, mentem claritate quadam perfundit; longam tamen discussionem sustinere non potest, quin latentem errorem prodat. Ap-

pa-

parens enim evidentiæ fulgor, dum sæpius res versatur, mutatur, decrescit, ac tandem dissipatur. IV. Si ex propositione, cujus veritas nobis evidenter objicitur, legitimo ratiocinio nihil deduci queat, quod absurdum sit, aut rectæ rationi adversetur. E vero enim falsum sequi non potest.

246 Schol. Propositiones quas hoc capite comprehendemus, ad metaphysicam citius, quam dialecticam spectare nemo nescit: eas tamen hic enucleare decrevimus, ne a præjactis notionibus separemus, quæ earum præludium sunt, ac deberent iterum reproduci, si ad metaphysicam hæ quæstiones traducerentur. Sit igitur

247 Positio prima. *Evidentia hactenus exposita tutissimum est veritatis criterium*. Prob. I. Nisi quis desipiat, dubitare non potest, se existere, vivere, cogitare, sentire &c. at certitudo horum judiciorum ab evidentia modo hactenus exposito provenit: ea igitur est tutissimum veritatis criterium. 2. Eodem modo ac *me existere*, assentior huic veritati, *bis tria sunt sex*, atque aliis similibus; ita ut sciens, ac prudens seriò dissentire nequeam; atqui hoc fieri non posset, nisi eademmet evidentia ejusmodi, ac superiores veritates proponerentur: ergo hæc perspicuitas optimum est veritatis criterium, etiam pro rebus extra me existentibus. Atque hæc quidem ad evidentiam immediatam (244): quod ad mediatam attinet, sic procedo. 3. Semel ac præcedentibus veritatibus assensi, non possum quin has immediatè ex illis deductas admittam: *si existo, alicubi existo*: *existentiam a me ipse non habeo* &c. *si bis tria sunt sex*, ter sex *sunt duodeviginti*: atque innumera, quæ ex præcedentibus evidenti deductione inferuntur: perceptis enim dilucidè terminis, æquè ac præcedentes veritates, velim nolim, assensum extorquent, uti experientia omnes docet, qui sibi, atque aliis illudere in animum non induxerunt.

248 Confirmatur. Homines hactenus in actionibus suis, in scientiis, in artibus constanter experti sunt nullo errore se procedere, quoties ad leges evidentiæ prædictis insignitæ notis operantur: sic cibum sumis: dormitum petis: rationes ducis: geometra suas dimensiones; astronomus cursus siderum, eclipses, conjunctiones, distantias planetarum: artifices omnes sua artefacta, agricolæ terræ, sationumque culturam persequuntur, quin umquam nullus mentis compos dubitaverit, ea omnia aliter eventura, atque hactenus experti sunt. Ergo ambigere non possumus, quæ perspicuitatis characteribus gaudent, falsa esse non posse: ac proinde metaphysicam certitudinem, ac scientiam (82) de his habemus. Demum homo ab auctore suo rationis particeps conditus est: at rationis finis est veritas: ergo in id creatus est, ut veritatem assequeretur. At si nullum extat veritatis criterium, ipsam assequi homo non potest: nam etsi eam quandoque arriperet, certus se eamdem obtinuisse, numquam esse posset: ergo vel homo ratione præditus non est, aut medium ipsi datum est ad dignoscendam veritatem. Porrò medium aliud nullum assignari potest promptius, universalius, tutius, quam evidentia: ipsa igitur est veritatis criterium.

249 Corol. Ex dictis non invitè descendit, optimum veritatis criterium esse regulas logicæ, ac præsertim ratiocinii leges (178, & seq.) Nam mediatam evidentiam (244) ratiocinando obtinemus: quamobrem si veritatem aliquam ratiocinio exegeris, ac deductionem ad leges prædictas; veluti ad lapidem lydium probaveris, ea servando, quæ n. 245. inter perspicuitatis notas recensuimus, evidentiam mediatam obtinebis, regulis logicæ in auxilium vocatis. Quod quidem viri docti, Wolfius, & Jaquerius adeò extendunt, ut veritatis criterium in regulis logicæ tantum consistere, affirmare non dubitent. Tamagna vero non infimæ notæ philosophus sic Wolfium modeste rejicit: „ Quomodo hoc Wolfius concludat, non video. Etenim potest logica præstare . . . ut cognoscamus, utrum prædicatum propositionis demonstrabilis conveniat subjecto: at si propositiones indemonstrabiles sint, ad evidentiam est appellandum, non autem ad regulas logicales. „

Argumenta contra Positionem.

250 Arg. 1. Plura tractu temporis falsa detecta sunt, quæ a sapientissimis philosophis in evidentibus habebantur: ergo nullum datur veritatis criterium. R. *dist. ant.* & ea erant prædictis evidentiæ characteribus supra expositis insignita, *neg. ant.* & talibus notis carebant, *conc. ant.* Sane plura sunt etiam in mathematicis, quæ decursu temporis a perspicacioribus puri puti paralogismi inventi sunt: attamen quæ luculentioribus evidentiæ notis gaudent, neque hactenus detecta sunt falsa, neque detegentur; quale est illud vulgare perspicuitatis exemplum: *anguli ad verticem oppositi æquales sunt*. Illa, quæ per longam deductionem, ac multiplicem consequentiarum seriem nimis implexè inferuntur, paralogismis obnoxia sunt; qui quidem, si latent, iterato examine a viris sagaci mente pollentibus tandem deteguntur. In præfatis paralogismis obscuritas quædam semper remanet, ac menti identidem obversatur, quæ prorsus aliena est a præjactis evidentiæ conditionibus.

251 Instabis 1. Quæcumque demum sit cognitio, a sensibus initium ducit; atqui sensus fallere semper possunt: „ er-

ergo quovis perspicuitatis charactere supponatur donata, falsitati obnoxia est. R. 1. *neg. major.* nam me *cogitare*, *existere*, *idem simul esse*, & *non esse* fieri non posse, atque alia ejusmodi, immediatè a sensibus non habentur. 2. *Dist. maj.* a sensibus, tamquam occasionem præbentibus cognitioni, initium ducit, *conc. maj.* ita ut in ipsis veritas innitatur, ac per sensus obtineatur, *neg. maj.* Etiamsi ad perceptionem sensatio quædam interna præcedere debeat, ab ea non dependet cognitionis veritas, aut falsitas: imo etiam ex fallaci mentis apprehensione, puta spectri ab imaginatione repræsentati, certissima internæ cogitationis, ac perturbatæ mentis cognitio evidentissima in nobis oritur.

252 Inst. 1. Si ad evidentiam genuinam dignoscendam, opus est eamdem prædictis notis insigniri, criterium ipsum alio criterio indiget: at hoc absurdum redolet; nam huic aliud etiam criterium assignari deberet, & sic deinceps; ergo &c. R. *dist. maj.* alio criterio indiget ut *reflexè*, uti ajunt, cognoscatur, *transeat maj.* ut *directè* cognoscatur, *neg. maj.* Nullum criterium cujuscumque tandem scientiæ, aut veritatis sit, assignari potest, quod ad examen non revocetur, seu rectius ad applicationem in casu peculiari non trahatur: quod quidem non est criterium criterio adhibere, sed periculum facere, utrum notæ a criterio requisitæ inveniantur in casu singulari.

253 Schol. Brevitatis gratia plura hic cursim indicasse sufficiat, quæ ab irreligiosis auctoribus perperam in religionem intorquentur. 1. Consensus in *Polytheismum* non adeo universalis fuit, ut ad unum omnes populos secum abriperet: imo diversitas ipsa deorum ab ethnicis pro diversitate nationum inducta, satis probat, ipsos supremum numen agnoscentes, perperam ad res creatas hanc notionem transtulisse. Qui quidem universalis consensus, Divinitatis existentiam invictè probat: ipse in objecto assignando dissensus, vanitatem cultus convincit. 2. Religionem christianam minime ab evidentia probamus; *fides* enim *est argumentum non apparentium*: quod si evidens esset nostræ religionis veritas in sensu quæstionis, de quo solum procedit argumentum, meritum omne amplectendæ, ac sustinendæ fidei pessundaretur. 3. Fides non docet falsas esse sequentes veritates. 1. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se.* 2. *Omne totum est majus sua parte.* 3. *Idem corpus non potest eodem tempore pluribus in locis reperiri.* 4. *Mala sunt impedienda.* 5. *Nullus est culpæ capax, nisi existat.* Nam ad primam deveniendo, quo sensu in Trinitate explicandum sit axioma primum, de identitate in natura, non in personis, satis a theologis enucleatum est. De corpore Christi in Eucharistia certum est a fide, ini-

nibi totum reperiri; quomodo autem in qualibet particula existat, varias explicationes admittit, quæ non sunt hujus loci. 3. Quod idem corpus in pluribus locis simul existere non possit, juxta leges quidem ordinarias naturæ manifestum est; quemadmodum & gravia deorsum ferri: at contradictionem involvere, nullus adhuc valida demonstratione ostendisse gloriabitur. 4. Quomodo mala impedienda sint, & quo sensu a Deo permittantur, postea videbimus. Demum peccatum originale nemo contrahit, nisi qui filiorum Adam numero adscriptus sit: locutiones illæ, *omnes in Adam peccaverunt*, atque alia ejusmodi, quo rectissimo sensu intelligantur, satis novit, qui religionem per religionis speciem irridere non audet, ut Baylius, qui hæc, ut pyrrhonismum promoveret, excogitavit. Hæredibus in testamentis, qui necdum lucem viderunt, plura legantur, injunguntur, coarctantur, quin ex eo deducat Baylius, hanc propositionem, *nullus est dominii capax, nisi existat*, a jure falsam declarari.

254 Argum. 2. Homo sæpius decipitur: ergo potest semper decipi. R. *neg. consequentiam*, quæ a particulari ad universale deducit (183). Quod homo nonnunquam decipiatur, a naturæ humanæ conditione provenit: si illum error ubique comitaretur, in naturæ Auctoris probrum redundaret, quod creaturam ratione præditam pejoris conditionis fecisset, ac sint cetera animantia ratione destituta; quibus certissima media præstituit, ut ea, quæ ad propriam conservationem conducunt, assequantur. Vide dicta num. 248. *Probat. conseq.* Fingamus, millia fore in homine judicia, nullum est inconveniens si semel, bis, tertio, denique si nongentiès nonagiès noviès decipiatur; ergo neque si continenter decipiatur. R. *Fallax* est hæc argumentatio; arguit enim a sensu diviso ad sensum compositum (299): itaque *dist. ant.* nullum est inconveniens si semel, bis &c. in sensu diviso aliorum errorum, *conc. ant.* in sensu composito, *neg. ant.* Granum frumenti acervum non constituit; quid si aliud adjungas? neque tum erit acervus: at ex concessis unicum granum acervum non facit: ergo si secundo, ac tertio unum addideris, neque tum erit acervus: ergo eriamsi nongentiès nonagiès noviès addideris, acervum non perfeceris.

255 Inst. 1. Amentes continenter decipiuntur, quin ullum argumentum contra naturæ humanæ Conditorem ex eorumdem perpetua deceptione deducatur; sed amentes homines sunt: ergo possunt homines continenter decipi, quin probrum in Deum redundet. R. 1. *neg. maj.* Amentes plures cognitiones habent erroris immunes; ex. g. totum esse majus sua parte, aliasque practicas, quæ ex modo illorum operandi satis discernuntur. 2. *dist. min.* homines

sunt

sunt usu rationis *carentes*, *conc. min.* usum expeditum rationis habentes, *neg. min.* Quamobrem consequentia nulla est a *dicto secundum quid ad dictum simpliciter* concludens (230).

256 Inst. 2. Nullum in Deum probrum redundare potest, dummodo media homini præpararit, quibus errorem vitet: atqui ejusmodi mediis præparatis potest homo nolle uti, ac vitio suo semper errare: ergo continua deceptio dari potest. R *neg. min.* Prima principia, velis, nolis, semel ac intellectui proponuntur, amplecti necesse est. *Prob. min.* Causa erroris in homine est inconsultò agere, sive neglectus mediorum, quæ Deus ipse præparavit ad dignoscendam veritatem: at neglectus ejusmodi est voluntarius: ergo potest velle non uti &c. R. *dist. maj.* causa erroris in his, quæ evidentia non sunt, est neglectus &c. *conc. maj.* in rebus perspicuitate donatis, *neg. maj.* Quæ enim evidentia sunt, statim rapiunt assensum, quin opus sit media adhibere ad ea pensanda, ut assentiamur.

257 Argum. 3. Nullum est medium, quo statum somnii a vigilia distinguamus: at in somniis continenter fallimur: ergo saltem dubium nobis semper erit, utrum decipiamur, necne. R. *neg. maj.* Intima conscientia, quam habemus utriusque status, satis nos discernere facit, vigilantes ne simus, an somniemus. *Nego etiam minorem*, cujus falsitas, vel ex eo constat, quod nonnumquam somniantes, perinde ac vigilantes, recte nos ratiocinari experiamur. *Prob. maj.* Petrus Apostolus e vinculis exemptus, *existimabat se somnium videre: & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum:* ergo &c. *dist. maj.* & tunc erat mentis compos, *neg. ant.* & postea *ad se reversus* plenè cognovit differentiam vigiliæ a somno, *conc. ant.* Sane in somniis nulla est rerum series, & connexio: vultus, colores, personæ, loca temerè mutantur: ordo ille rerum, quem vigilantes experimur, connexionem causarum cum effectibus semper vigilanti ac perspicaci menti ostendens, in somniis deficit; omnia confunduntur, nec aliud ex alio procedit, ac veluti ægri somnia vanæ finguntur species, quæ delirantem phantasiam, non rectæ rationis criterium indicant. Quod si series rerum ita se habeat, ut unum ex alio sequatur, sive antecedens sit ratio consequentis, tunc rectè concludimus, non somnii ludibria esse; sed eventus ordine naturæ fieri.

258 Argum. 4. Si evidentia criterium est veritatis, quod evidens uni est, omnibus evidens esse deberet: at plurima sunt, quæ aliis evidentia, aliis falsa, aut dubia sunt; quod in præsenti quæstione manifestum fit: ergo nullum est veritatis criterium. R. *dist. maj.* quod evidens re vera est, omnibus tale esse deberet; *conc. maj.* secus; *neg. maj.*

maj. Axiomata, ac prima cognitionum principia nemo rationis compos umquam vel negavit, vel in dubium adduxit. Si qui fuerunt, aut sunt, qui in controversiam revocent ipsorum evidentiam, more Græcorum sophistarum agere credendi sunt, *qui contentionis*, ut ait Tullius, *amantiores sunt, quam veritatis.*

259 Argumentum 5. Qui negat aliquid sciri posse, optime dispositus est ad fidem tuendam, ac suscipiendam: sibi enim diffidens, a Patre luminum tantum veritatem assequi confidit, omniaque dubia, nisi a Deo revelata sint, ducens; facilius fucatas incredulorum hominum fallacias declinat: ergo &c. R. *neg. ant. cum adjunctis probationibus.* Nam quum *fides sit ex auditu*, quomodo certus ero vera me audire, qui de omnibus dubito? Quomodo Ecclesiam audire possum, utrum Ecclesia loquatur, subdubitans? Quod si *non plus sapere, quam oportet sapere*, debemus: debemus *etiam sapere ad sobrietatem*. Legesis Lactantium Div. Inst. lib. 3. cap. 4, 5, 6, ubi plura hanc quæstionem attinentia invenies. Equidem mirari non satis possum, Huetium doctrinæ, ac pietatis laude pollentem virum, pyrrhonismum fulcire etiam a religione voluisse, quod quidem etiam Bayerus, ac Baylius præstiterunt; eodemne animi candore, ac Huetius, alii viderint. Quod ad rem litterariam spectat, quam de ipsa bene meriti sint Sceptici, luculenter ostendit Lactantius, caput 6. supra citatum ita concludens: „ Quis enim velit laborare, ne quidquam sciat? aut ejusmodi suscipere doctrinam, ut communem scientiam perdat? Quæ si doctrina est, scientia constet, necesse est: si non est, quis tam stultus est, ut discendum id putet, in quo aut nihil discitur, aut omnino dediscitur? „

§. II.

Sensus externi.

260 Sensuum externorum notiones habes num. 2. hic recolendas. *Testimonium* sensuum est perceptio illa, quæ in nobis excitatur occasione objectorum externorum in sensus incurrentium. Porrò ut hæ impressiones legitimæ censeantur, opus est, 1. Sensibus bene valentibus gaudere. 2. Sensus ultra proprium limitem non extendere: atque unumquemque intra suam provinciam continere: 3. Sensuum testimonium constans, perseverans atque uniforme esse debet. 4. Ratio præsidere debet, non duci a sensibus; eorum scilicet relationes prius debet perpendere, cum aliis conferre, nec nisi post maturum examen judicium ferre.

261 Positio 2. *Testimonium sensuum, sive evidentia e sensuum testimonio acquisita, alterum est veritatis criterium ad rerum sensibilium existentiam, affectiones, qualitates, relationes indagandas. Prob.* Sapientissimus naturæ Auctor animam corpore includens, sensus externos illi aptavit tamquam media, ut cum externis rebus commercium haberet: at prorsus illusorie egisset, ipsi media præparans, quibus continenter falleretur: ergo sensus externi rite applicati sunt veritatis criterium. *Confirm.* contra Scepticos catholicos, qui omne testimonium sensuum rejiciunt. Christus Dominus veritatem resurrectionis discipulis comprobaturus a sensuum testimonio illam demonstravit, ad *palpandum*, & *videndum ipsos invitans*, eo quod *spiritus carnem* atque *ossa non habeat*: ergo sensuum testimonium veritatis criterium est tutissimum.

262 *Prob.* 2. Contra Berclejum, ac Malebranchium assérentes perpetua deceptione sensus nostros laborare. Berclejus quidem omnia corpora de medio tollit, ac sensationes nostras ad Deum refert: Malebranchius autem existentiam corporum non a sensibus haberi contendit: nosque omnia in Deo videre, ceterasque sensationes a Deo immediate in animam agente proficisci; & a divina revelatione easdem intellectui immediatè ostendente. Fac Berclejanum aut Malebranchianum mundum reapse existere; omnia tandem ita evenient, quomodo etiamnum evenerunt: videlicet ea, quæ videmus, audimus, olfacimus, gustamus, sentimus, eodem modo se habebunt, quoad productionem sensationum in animam nostram; ita ut certissimè pane famem depellam, aqua sitim temperem, somno membra reficiam, omnia denique, quæ actiones humanas ad sensus pertinentes dirigunt: enimvero hoc demum est, quod sensuum testimonium vocamus: ergo etiam si mundum phantasticum fingas, testimonium sensuum admittere debes. Quid plura? Si rem acu tangimus, de nomine tantum lis instituitur: ergo illud dico esse corpus, solidum meos afficere, esse album, nigrum, dulce, amarum, cetera, quod tu vocas operationes Dei in phantasia mea ejusmodi perceptiones excitantis; veruntamen utrinque convenire oportet, easdemmet sensationes excitari in quibusdam circumstantiis, quocumque demum modo excitentur. Atqui eas perceptiones in talibus circumstantiis necessario sequuturas, sensuum testimonium ad veritatem existentiæ illarum perceptionum, criteriumque veritatis appellamus: ergo quocumque modo tibi fingas mundum, sensuum testimonium admittere debes.

263 Oppones 1. Sensus frequenter nos decipiunt; plurima enim non videmus, quæ nos circumstant; alia aliter ac sunt, conspicimus: rerum figura, distantia, motus, co-

colores plerumque nobis illudunt: corpora sapida, amara, frigida, cetera putamus, quæ ejusmodi qualitates in se non habent, quum sint organorum corporis patientis modificationes: ergo criterium veritatis a sensibus haberi non potest. *Dist. ant.* sensus frequenter nos decipiunt, si ritè applicati sint, conditionibus supra expositis, *neg. ant.* si tales conditiones non adsint, *cons. ant.* Hoc adjunctæ probationes convincunt, sensus non ritè applicatos occasionem esse deceptionis, quod nemo umquam negaverit. Dixi *occasionem*; nam error in sensibus nullus est, ea enim referunt, quæ juxta physicas leges referre debent. Incurvum remum demersum in aqua vides, quod juxta refractionis canones accidere necesse est: mentirenturque oculi, qui remum in aqua demersum rectum animo præsentarent. Mens igitur præcipitanter e sensuum relationibus sententiam ferens, in errores labitur: sensuum relatio exactissima ad naturæ leges semper est.

264 Insistunt. Ex eo deducimus sensationum uniformitatem, quod omnes nigrum, viride &c. dicant, quod nobis tale esse apparet: at possunt sensus aliorum aliter affici ac nostri, ex consuetudine tamen eadem nomina usurpare: ergo veracitas sensuum ex uniformitate sensationum deduci non potest. *Dist. min.* possunt aliter affici diversitate aliud objectum indicante, *neg. min.* retenta ejusdem objecti repræsentatione, *cons. min.* Major, aut minor intensitas, claritas, distinctio (27, & seq.) in perceptionibus intervenire quidem potest juxta organorum diversitatem: oculus ex. g. magis convexus, humor crystallinus crassior, aut purior, nervorum fibrillarum textura delicatior, &c. fortuitam, sive ut ajunt, *accidentalem* varietatem in perceptiones inducere potest, *substantialem* non potest. Quæcumque illa sit diversitas, nemo umquam inficiabitur, objecta mollia, dura, aspera, plana, convexa, alba, nigra, solida, liquida, cetera, ubique gentium talia haberi, qualia nosmetipsi experimur; eademque nomina respondentibus perceptionibus indere; quod satis est ad veracitatem sensuum affirmandam. Deinde anatomica sectio corporum uniformem oculorum texturam ubique gentium indicat; quod de aliis etiam corporis partibus verum est. At uniformes causæ uniformes effectus producere ex physica habemus; quod satis est ad asserendum omnium hominum sensus æqualiter affici.

265 Inst. 1. Existentiam corporum eo modo habemus, quo corpora esse odora, amara, dulcia, colorata: enimvero hæ notiones a physicis negantur, prout vulgò easdem usurpamus: ergo nulla est deductio a sensuum testimonio. R. *neg. paritatem majoris*. Sensationes quidem in nobis productas eodem modo habemus, atque existentiam

corporum; ab his enim illam deducimus. Quod autem corpus sit odorum &c. eo sensu, quo vulgò creditur, judicium est intellectus præposterè de rebus judicantis; atque adeo testimonium sensuum exactum non est ad regulas ante expositas.

266 Inst. 2. Dum corpora sapida repræsentantur, intellectus errorem corrigere debet: ergo etiam dum persuasiones a corporibus imprimi videntur, fidem abnuere debet intellectus. *Prob. conseq.* Dormientes similes sensationes experiuntur, quin ab objectis externis producantur: potest igitur idem evenire vigilantibus, ideoque intellectus errorem sensus corrigere debet. R. *neg. cons.* ad cujus probationem *dist. ant.* quin ab objectis producantur in præsentia, *conc. ant.* quin producantur, nec productæ umquam fuerint, *neg. ant.* Differentiam vigiliæ a somno antea assignavimus, eamque satis novit, quisquis non dormitat vigilans, aut *sibi somnia fingit*. Somniorum autem causas aliàs exposituri sumus. Interim ratum sit, somniantium sensationes similes esse memoriæ nostræ: quæ ea tantum revolvere potest, quæ prius sensibus hauserit.

267 Oppon. 2. Potest Deus per se ipse sensus nostros, aut mentem agitare, nullo interveniente corpore: at nihil habemus, unde constet, hoc Deum in nobis non operari: ergo saltem dubia est existentia corporum, & criterium desumptum ab ipsis. R. *neg. min.* Sensus communis, qui vox quædam naturæ est, sive rectius Dei naturæ auctoris, satis nos commonefacit, causam externam sensationum esse corpora in sensus agentia; Deus nos deciperet, menti nostræ perpetuò illudens, si contra sensum communem res agerentur. Præterea omninò extranea est a præsenti quæstione illa de existentia corporum, aut causarum occasionalium. Quid enim? minus afficiuntur sensus, aut effectus non sequuntur juxta præscriptum naturæ ordinem, ex quo isthæc inventæ sunt opiniones? Verum enimvero id tantum est, quod requiritur ad sensuum testimonium pro criterio veritatis assumendum. Illæ equidem speculationes meræ sunt, quæ nihil rerum ordinem immutant: ac perinde est mihi cibum sumenti, quod illæ sensationes immediate a cibo, vel a Deo originem ducant, ut nutrimentum, ac vires recipiam.

268 Inst. Nihil detrahit veracitati divinæ, quod omnes fere homines qualitates corporibus tribuerent, quæ reapse in illis non reperiuntur: ergo neque illusio corporum. R. *neg. cons.* primus error *theoreticus* est; alter *practicus*, ex quo innumera absurda sequerentur. Scientia illa, quæ ad colores, sapores &c. spectat, ex illis est, quæ meram curiositatem continet; parumque interest, utrum peripateticæ qualitates, aut modificationes recentiorum, disputa-

tationes sapientum exerceant. Certum tamen est, ab omnibus semper easdem sensationes expertum iri, omniumque ideas in hoc convenire; ad præsentiam corporum frigidorum, sapidorum &c. se frigus, saporem intelligere, quicumque demum sit modus, quo hæ sensationes peraguntur, quod physicorum est examinare; quibus Deus non promisit judiciorum in rimandis naturæ arcanis securitatem, sive, ut ajunt, *infallibilitatem*.

269 Inst. iterum. In Ven. Altaris Sacramento ejusmodi deceptio semper contingit, quin hæc sensuum illusio Deum dedeceat: ergo in physicis etiam potest accidere. R. *dist. ant.* & Deus non præmonitos voluit hujus illusionis ad fidem exercendam convenientis, *conc. ant.* secus, *neg. ant.* Quod ad reliquas apparitiones attinet, quæ in Scripturis narrantur, satis ex circumstantiis manifestum erat, nullam per ipsas illusionem a Deo venire hominibus; neque error nisi occasione præposteri judicii oriri poterat.

270 Oppon. 3. Circulus vitiosus committitur, Dei existentiam e corporum existentia demonstrando; atque iterum hanc a Dei veracitate deducendo: ergo nullæ sunt adductæ probationes. R. *neg. ant.* vel claritatis gratia sic *distinguo*: committitur circulus, si agatur apud eosdem, *conc.* si apud diversos, *nego*. Adversus admittentes corpora, demonstramus esse Deum a corporum existentia; quemadmodum ad credentes Dei veracitatem, ab hac deducimus esse corpora. *Disting.* etiam inclusam *prob.* Dei existentia adversus eos, qui corpora admittunt, demonstratur e corporum existentia, *conc.* contra *phantasticos*, *neg.* Phantastici, qui admittunt principia religionis, Dei veracitatem pro aris, ac focis tuentur, atque ex illa deducitur argumentum in ipsos. Aliter procedendum esset contra atheos phantasticos, si qui sunt; quos nullos existere hactenus audivi. Atheorum enim dogma fundamentale est: *tangere, & tangi, nisi corpus nulla potest res: E nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*.

§. III.

Sensus communis.

271 Quoniam ad sensum communem superiori §. appellavimus; pauca hic adnectere placuit, quæ eamdem notionem explanarent. „ Communis sensus naturæ, ait sapienter *Horvath*, est quædam hominibus naturaliter insita vis, qua ii, postquam rationis usum consecuti sunt, sentiunt se inclinari ad commune, & constans judicium ferendum de quibusdam objectis, quorum veritas *summa*

perspicuitate sese non manifestat. Tale judicium est ex. g. quo sentimus non posse fieri, ut ex minimis corpusculis temerè commixtis coalescat quodpiam lexicon numeris omnibus absolutum. „

272 „ Judicia, *insistit prælaudatus auctor*, a communi sensu promanantia his caracteribus sunt discernenda. Primò sola natura duce, ac magistra concipi debent, quin ulla præcedat alia institutio, aliudve externum ita sentiendi motivum, ut auctoritas, numerusque ita sentientium, spes, metus &c. Hinc poetarum fabulæ, polytheismus, superstitiones variæ, dolo, armis, imperio, integris licet regnis, ac nationibus persuasæ, prorsus non erant communis naturæ sensus dogmata. Similiter perperam attribuerentur communi naturæ sensui ea judicia, quæ ei sensuum testimonio innituntur, quod legitima ratiocinatione erroneum, & falsum esse deprehenditur. Cujusmodi est ex. g. *Solem tam annuo, quam diurno motu circa terram quiescentem gyrari*. Secundò judicia a communi sensu provenientia debent esse communia omnibus, vel saltem majori parti humani generis; iis nimirum, qui ratione, & attentione, ut par est, utuntur. Tertiò sint uniformia oportet, ita nimirum, ut unum ejusmodi judiciorum alteri non adversetur: secus enim, natura res oppositas doceret. Quartò denique sint stabilia, ita ut nulla temporum vicissitudine queant extingui, juxta illud Cic. de Nat. D. lib. 2. cap. 2. *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*. „

273 Positio 3. *Sensus communis, sènsu modò exposito est etiam veritatis criterium tutissimum, ita ut errare non possimus, dum communem sensum consectamur. Prob. primò.* Existit communis sensus naturæ: at munus illius est discernere verum a falso in quibusdam rebus non adeò perspicuis, ut sunt prima principia: ergo tutissimum est veritatis criterium. *Prob. maj.* Indubium est, quædam judicia hominibus, natione, moribus, genio, cæli temperie discrepantibus, esse communia, quæ notis modò adductis insignita sunt: enimverò hoc sensum communem vocamus: ergo &c. *Prob. maj.* „ Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat „. Cic. 1. de leg. c. 8. Idem dicere oportet de aliis dogmatibus hominum generi promiscuis: ex. g. *Numen colendum: vindicem malorum, bonorumque remuneratorem esse: nuditatem vestibus tegendam: quasdam actiones esse honestas, alias turpes: liberè hominem bonum vel malum amplecti:* atque alia sexcenta, quæ & in nobismetipsis experimur, atque e testimonio historicorum universum per orbem vigere novimus.

274 Confirm. Divinam sapientiam, ac bonitatem decebat, in rebus necessariis, quales modò expositæ sunt, per naturæ ipsius ductum nos instituere, quem sequendo errare non possemus. Nam harum veritatum evidentia non statim se prodit, quum alioquin necessariæ sint ad religionem, mores, propriam conservationem &c. Quot enim & quanta mala hominum genus invaderent, si ea nimia intellectus contentione, longis speculationibus, ratiociniis, ut ceteræ artes, & scientiæ condiscenda forent? Et quidem in nobismetipsis comperimus, quasdam actiones ad leges physicas, nec opinantibus nobis conformari, puta corpus ad alteram partem inclinare, dum pondus ab altera sustinemus &c. quod quidem naturæ quodam ductu, ac sensu fieri, quis neget? Sanè providentissimus naturæ Auctor mutis animantibus sensum quemdam indidit, quem *instinctum* vocant, ut ea, quæ ad propriam conservationem, propagationem, atque etiam meliorem statum attinent, assequerentur. At hominibus ratione utentibus non minus illa necessaria sunt, quum *cultus*, *moralitas*, *societas*, quæ ex illis veritatibus supra expositis omninò pendent: ea igitur sensus communis ministerio hominibus impressit Deus.

275 Prob. 2. Impulsus ille naturalis, quem omnes experimur ad ferenda judicia de rebus non perspicuis nuper indicatis, quum sit omnibus ratione utentibus communis, ab Auctore naturæ originem ducere necesse est: atqui naturæ Auctor perperam ageret, si eam naturæ vocem omnes audire compelleret, quæ in errorem transversos ageret: ergo ipsa est tutissimum veritatis criterium. Et quidem, uti ajebat Tullius (Tusc. 1. c. 13.) „ Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est . . . atque hæc ita sentimus, natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina „: quæ verò ejusmodi sunt, si nos in errorem inducerent, naturæ Auctori deceptio attribueretur; quum maxime rationi consentaneum sit, naturæ ductum sequi: ergo &c.

276 Oppones: Quæ nos a communi sensu provenire tenemus, communia omnium gentium dogmata esse deberent: at Historicis testibus Californii, Orinochenses, aliæque nationes apud Oceani insulas a Cookio detectæ, aut in ejusdem circumvectionis historia descriptæ, nudi incedebant, alii nullum signum religionis, aut numinis cultus edebant &c. ergo communis sensus assertus prorsus commentitius est. R. *dist. maj.* Communia omnium gentium belluino more viventium, ac rationem veritatis callo veluti obductam habentium, dogmata esse deberent, *neg. maj.* gentium ratione expedita utentium, *conc. maj.* Quousque homo ratione abuti queat, ut tandem parum a brutis

animalibus differat, exempla adducta factis ostendunt: eos tamen antequam ad ejusmodi feritatis gradum devenerint, naturæ voces non sensisse, iisdemque moribus semper usos esse, neque historia testatur, & ratio ipsa contradicit. Deinde plura sunt, quæ a peregrinantibus præpropera nimis sententia definiuntur, quæ maturius examen postularent. Qui enim internum animi sensum rimari possunt, quum linguam barbarorum ignorent; ut nullam ipsis divinitatis notionem inesse tam asseveranter affirment? Demum experimento postea compertum est, barbaros ad meliorem frugem conversos, sponte illa præstare, quæ communis sensus omnes docet. Quod ad atheos spectat, qui magno animi vigore *in corde suo dixerunt: non est Deus*, interdiu quidem apud alios hæc jactant, *noctu tamen & soli dubitant:* inquiebat Seneca.

277 Insistes: hæc, quam naturæ propensionem, sive vocem vocamus, potest esse vitium naturæ, quemadmodum aliæ in malum inclinationes, maxime post Adami lapsum, quum intellectus, ac voluntas a nativa perfectione declinaverunt: at si hæc ita se habent, criterium veritatis a sensu communi deduci non potest: ergo &c. R. *neg. maj.* Ad adjunctam a *paritate* probationem, reddo *disparitatem*, quæ in eo consistit, quod & propensiones illæ in malum, quæ naturales sunt, quamvis a peccato etiam deterioris conditionis homo devenerit, atque in pura natura fuisset; nec in naturæ opificem redundant, quum libera voluntate, qua homo donatus est, utens, malum possit vitare: non ita esset, si ad ea, quæ natura duce conducitur, falsa esse possent; quum eorum ministerio ad finem suum tam naturalem, quam supernaturalem hominem perducat naturæ conditor Deus.

278 Oppones 2. Quæ a communi sensu proficiscuntur, carent indiciis, quæ a perspicuitate habentur: ergo possunt in errorem ducere, *prob. cons.* Opiniones ideò quandoque in errorem ducunt, quod careant evidentiæ notis: enimverò quamdam etiam obscuritatem admixtam habent, quæ a sensu communi dictantur: ergo &c. R. *neg. primam cons.* ad cujus *prob. dist. maj.* Ex eo dumtaxat quod careant evidentiæ notis, opiniones in errorem nonnumquam ducunt, *neg. maj.* Plura certa sunt, quam evidentia: quod si de opinionibus generatim verum esset, eas errori subjectas non esse, sine ullo errandi periculo quamlibet sequi possemus: quod jam de rebus a sensu communi nobis dictatis supra ostendimus.

§. IV.

§. IV.

Auctoritatis criterium.

279 Auctoritas, vel divina est, vel humana. Divinitatem fontem esse inexhaustum veritatis, nemo, qui atheus non sit, umquam negabit. Quæ verò ad divinam auctoritatem pertinent, theologorum sparta sunt, quibus ea pertractanda relinquimus. Nobis humanæ auctoritatis pondus ac limites perquirenda sunt, quippe ad veritatis criterium maxime conducunt. Plura enim sunt, quæ neque a perspicuitate, neque a sensuum testimonio, neque a sensu communi vera deducimus. Ceteroqui nobis non minus necessaria, ac scitu digna, quam ea sunt, quæ ab his tribus veritatis fontibus haurimus. Romanam Rempublicam, Imperium, res gestas testimonio hominum persuasi, extitisse credimus, æquè ac totum majus sua parte esse, aut solem quotidie oriri, credamus. Hic assensus *fides humana* dicitur, ut eam a divina fide distinguamus, quæ assensus est mentis, Dei loquentis testimonio innixus. (92).

280 Experimentum in nobismetipsis capere licet, non æquè res omnes testimonio hominum compertas amplecti, neque eamdem fidem ex. g. Gookianæ navigationis narrationes, atque existentiam Romani Imperii a nostra mente extorquere (82, 83). Oportet igitur canones quosdam statuere, quibus genuina illa testimonii humani certitudo, a fallibilibus hominum attestationibus secernamus. Res quidem sensu communi magis, quam ullis præceptis definienda foret. Novimus enim nonnullos tactu quodam mentis, si ita loqui fas est, adeò subtili præditos, ut vera a falsis nec opinantes etiam, aut præceptis destitutos secernere; quod alii longa institutione præstare non possunt. Quæ tamen solent assignari conditiones, ut hominum testimonium moralem certitudinem pariat metaphysicæ supparem, sunt sequentes.

281 I. *Testium numerus:* videlicet, quem homo prudens majorem non aveat. Sinas existere, imperium amplissimum obtinere, artes excolere &c. a tot scriptoribus, ac testibus confirmatur, ut nisi demens sim, dissentire non queam. II. Testium *gravitas*, & *æquitas:* gravitatem, sive pondus testimonii ab ætatis maturitate, mentis acie, cultura, ceterisque adjunctis; æquitatem a moribus, probitate, rectitudine, integritate, veracitate sumimus: ita tamen ut utraque simul in teste adducto reperiatur; neque enim sufficit, hominem probum esse, si aut ætatem, aut culturam &c. sufficientem non attigerit, ut ea quæ testatur, ere-

creditu digna sint : aut etiamsi hæc habeat, probitate destituatur. III. *Constantia*, & *concordia in testimoniis :* ne sibimetipsi, aut invicem contradicant : quod apud historicos non rarum est. Quod si in summa rerum conveniant ; diversitas quædam in narrationibus, quæ vel ab stilo, vel a commentariorum copia provenire potest, testimonium non infirmat. Si unus, aut alter contradicat ceteris ; historicorum qualitates, ingenium, religio, aliaque adjuncta, ex quibus illorum character intelligi possit, perpendi debent. *Dum laudat cives, condemnat Pagius hostes ; tam bonus est civis, quam malus historicus.* IV. Testes oculati, aut coævi præferendi sunt non oculatis, aut remoto tempore ab rerum eventu dissitis. Testibus item juratis, ni perjurii alias convicti sint, præ non juratis assentiri oportet : quod ad viros dignitate conspicuos etiam extendendum est, quorum testimonium majus pondus plerumque habet, quam privati cujusdam. V. Si ea narret historicus, aut testis, quæ sensum communem lædunt, ac fieri non posse manifestum est, falsitatis statim damnandus. Quæ verò insolita sunt, aut a virtute humana excedente, patrata asseruntur, non ideò rejicienda sunt, quod eorum causas non assequamur : at maturius examen expectandum, judiciumque eatenus suspendendum, quoad veritas elucescat. VI. Plura sunt, quæ ab uno fonte hausta, ac per diversos canales postea derivata, etiamsi plures testes conflare videantur, reapse unum tantum in originem inveniés. Ejusmodi esse, quæ de bello Trojano, aut Ulyssis erroribus circumferuntur, ab uno Homero, poetam, non historicum agente, desumpta, existimant nonnulli : quod ad Æneæ in Italiam adventum, a Virgilio traditum, extendunt alii ; qui ut Augusto regium sanguinem ab Ænea assereret, anilem fabulam adoptavit.

282 Ad *argumentum*, ut vocant, *negativum*, sive auctorum synchronorum silentium, quod attinet, paucis hæc habe. Quæ ab omnibus synchronis scriptoribus silentio prætermittuntur, ac demum post longam temporum seriem ab aliquo auctore in lucem eduntur, nullo authentico documento firmata ; inter fervidæ phantasiæ deliria, aut latentis malignitatis commenta recensenda sunt ; quandoquè etiam oscitantis, nec maturi judicii scriptoris indicia produnt. Unius, alteriusve synchroni silentium non satis firmum argumentum est ad ea perneganda, quæ ab aliis ejusdem ætatis auctoribus referuntur : quum etiam nostra hac tempestate experiamur, a quibusdam scriptoribus plura reticeri partium studio, brevitatis amore, monumentorum defectu, aut motivis politicis, timoris, adulationis &c.

283 Positio quarta. *Auctoritas humana omnibus notis superius relatis insignita tutissimum est veritatis criterium.*

Prob. I. Sensus communis nos docet factum aliquod a nube testium confirmatum, rejici non debere, quando plurimi diversæ conditionis, ætatis, ingenii, nullo timore, spe, fraude adacti, constanter unanimiterque testantur, se vidissse, audisse &c. id quod affirmant, aut scribunt : ex. g. Ludovicum XVI. Lutetiæ Parisiorum trucidatum obiisse Conventus nationalis decreto : enimverò sensus communis in errorem nos impingere non potest (273) : ergo auctoritas humana tutissimum est veritatis criterium.

284 Prob. 2. Nullum medium aliud habemus ad res præteritas, aut absentes cognoscendas, quarum notitia non minus nostra interest, quam illarum ad propriam conservationem, societatem &c. (274) spectantium, nisi hominum testimonium ; sed providentissimus naturæ Artifex nobis defuisset, si media ad ea, quæ ad conservationem &c. necessaria sunt assequenda, non præparasset : ergo etiam defuisset, si auctoritatem humanam, tamquam medium tutissimum ad veritatem nanciscendam, non præstituisset. Equidem plurima sunt religionem, societatem, scientias spectantia, quæ ab hominum testimonio prorsus dependent : ex. g. traditiones, authentica divinorum librorum identitas, jura, possessiones, experimenta, observationes &c. : quæ omnia pessundare necesse est, auctoritate humana a criterio veritatis relegata. Quæ contra hanc propositionem opponuntur, sunt sequentia.

285 Argum. I. Facta historica nullam rigorosam demonstrationem admittunt : sed quæ demonstrari non possunt, assensum non merentur, quum probabilitatis gradum non excedant : ergo auctoritas humana, quæcumque illa sit, in veritatis criterium assumi non potest. R. *dist. maj.* nullam rigorosam demonstrationem metaphysicam, aut aut physicam admittunt, *conc. maj.* moralem, *nego*. Omnis certitudo iis fundamentis niti debet, cujus ordinis est : neque enim geometricam veritatem ab hominum testimonio demonstramus : aut leges naturæ e principiis geometricis deducimus. Eodem modo de certitudine morali discurrendum est, cujus demonstratio ab ipso ordine morali desumi debet. Insanus sit, oportet, qui a me Romam existere affirmante, quum Romæ scribam, demonstrationem hujus *theorematis*, ut eidem assentiatur, serio contendat.

286 Argum. II. Certum & probabile *essentialiter* differunt, sive sunt ordinis diversi : sed quæ ejusmodi sunt, ab uno in alterum ordinem migrare non possunt : ergo probabile probabili adjunctum ad certitudinem evehi non potest. Subsumo. Sed quodlibet testimonium seorsim in hu-

humana auctoritate probabilitatis tantum est argumentum: ergo tota collectio certitudinem parere non potest. R. Alteram huic ratiocinationi similem formando, sive, ut ajunt, *retorquendo argumentum*. Singulare, & plurale sunt ordinis diversi; sed quæ ejusmodi sunt, ab uno in alterum ordinem migrare non possunt: ergo singulare singulari adjunctum ad numerum pluralem evehi non potest: sed quilibet homo est singularis: ergo tota collectio pluralem numerum non componet. Jam *dist. min.* ab uno in alterum ordinem migrare non possunt in eodem ordine remanendo, *conc. min.* ordinem primum deserendo, *neg. min.* Evidens est, singulare quodvis numerum pluralem componere non posse, solitarium manens: attamen alteri adjunctum, singularitatem deserendo, plurale fit: idem ad ordinem moralem transferendum est. „ Certum est, inquit *Para*, plura humana testimonia fieri posse ex eorum collectione verum certitudinis motivum: fieri enim potest, ut hæc testimonia simul collecta ita gravia, & multiplicia sint, ut indefectibiliter cum rei, quam referunt, veritate connexa sint: unicum testimonium auctoritas est; alterum altera auctoritas est, quæ primam auget, ac roborat; atque ita porrò. Quum plures graves, & concordes auctoritates tam multæ sunt, ut sint, & appareant indefectibiliter cum facti historici veritate connexæ; tunc auctoritates hæ, ita accumulatæ, & se invicem roborantes, non amplius puræ probabilitatis, at veræ, ac perfectæ certitudinis motivum sunt. Non semper præcisè definiri potest, ubi probabilitas cesset, & subeat certitudo in factis historicis: at sæpissimè definiri potest, hoc, vel illud factum historicum plena, ac perfecta certitudine gaudere. „

287 Inst. 1. Testimonia hæc simul collecta naturam non mutant: at seorsim probabilitatem tantùm efficiunt: ergo & simul. R. *Retorquendo iterum argum.* Homines simul collecti naturam non mutant: at seorsim quilibet bis mille pondo elevare non potest: ergo neque simul cum aliis. Jam *dist. maj.* naturam non mutat quoad effectum producendum, *neg. maj.* naturam quoad interna constitutiva, *conc. maj.* Vel aliter ad scholæ modum magis accedens: naturam *physicam*, *conc. maj.* naturam *moralem*, *neg. maj.* Exempla adeò sunt communia, ut oleum atque operam perdere sit ea accumulare. Receptum scholarum axioma huic ratiocinio optimè quadrat: *argumentum multum probans, nihil probat*.

288 Inst. 2. Singuli testes seorsim nos fallere possunt: ergo & tota collectio: *prob. cons.* Optime deducitur: *singuli homines sunt mortales*: ergo & *tota collectio*: ergo etiam prior consequentia recta est. R. *Dist. primum consequens*: ergo & tota collectio fallere potest, potentia numquam ad actum reducenda, *conc. cons.* potentia, quæ nos in dubium prudens veritatis adducat, *neg. cons.* Jactus venereus centies millies replicatus possibilis est; numquam tamen hoc eveniet, ut quis talis ludens jactum supremis punctis notatum centies millies sine intermissione jaciat: nec quisquam adeò demens fuit, ut hoc evenisse, aut eventurum aliquando, sibi persuadeat. Quod ad paritatem attinet, dico: in mortalitate hominis ad actum reducenda nullam absurditatem sensum communem lædentem reperiri; imò contrarium ratio ipsa persuadet: at in factis, quæ universali hominum testimonio firmantur, plenè acquiescere, sensus communis, sive naturæ vox omnes hortatur.

289. Inst. 3. In casu plenæ auctoritatis non esset liberum testibus falsò testari; aut Deus teneretur, si quando contingeret, deceptionem impedire: at hoc nullo fundamento innititur: ergo &c. *Prob. maj.* Si liberum est, possunt libertate abuti, atque inde falsò testari: hoc autem non admittimus: ergo ipsis liberum non est falsò testari. R. *neg. maj.* cujus *prob. dist.* possunt omnes libertate abuti possibilitate eventum obtentura, *neg. maj.* possibilitate nunquam verificanda, *conc. maj.* superiore artic. hoc satis explicatum arbitror.

290 Arg. III. Quò magis humanum testimonium ab origine recedit, eò magis illius pondus decrescit: sed plerumque ita sunt, quæ ab humana auctoritate habentur: ergo &c. *Prob. maj.* Experientia *quotidiana* constat, facta historica decursu temporis augeri, immutari, minui, *cetera*: at hoc maxime illorum pondus minuit: ergo &c. R. *neg. maj.*, & *dist. majorem prob.* constat, facta historica augeri &c. quoad minusculas circumstantias, *conc. maj.* quoad rei caput, *subdist.* si adsint conditiones a nobis in positione requisitæ, *neg.* aliàs, *conc. maj.*

291 Arg. IV Quo magis humanum testimonium ab origine recedit, *crescit eundo*, ita ut quod initio unius dicto nitebatur, decursu temporis, plenam auctoritatem acquirat, per accessum testium, qui unus, atque idem origine sunt: at ex concessis (281) hoc non sufficit ad auctoritatem plenam faciendam: ergo auctoritas numquam assumi potest in criterium veritatis. R. *neg. maj.* cum adjunctis probationibus, siquidem in sensu positionis eam accipimus. Neque enim facta illa, de quibus hactenus loquuti sumus, ejus indolis sunt, quæ ab uno accepta temere in posteritatem divulgata sint. Exemplum sunto Moysis, aut Josue narrationes, quas ejusmodi argumentorum artifices maximè respiciunt, ut fidem scripturarum divinarum elevent. Sanè si monumenta consulamus illorum temporum, nulla præter eorum scripta reperiemus: at-

attamen ejusmodi narrationes divulgatæ sunt apud eos, qui, vel testes oculati fuerant eventuum posteritati consignandorum; vel traditionem eorum, quæ ipsi non viderant, a majoribus habebant, eo modo acceptam, quo nos Japones, & Sinas existere, aut Romanos, Græcos, Persas rerum potitos. Hæc ita dicta sint, quasi auctoritatem humanam tantum Historici sacri sibi conciliarent, quos ceteroqui, Spiritu Sancto dictante loquutos, catholicè profitemur.

292 Schol. Denique ne plura, quam par est, congeramus, quæ repetitiones fere sunt argumentorum hactenus solutorum; animadvertendum, quæcumque in historia reperiuntur absurda, dissona, falsa, exaggerata &c. contra præfatas conditiones (281) plenam auctoritatem constituentes, peccare. Neque enim omnia amplecti indiscriminatim oportet, quæ ab scriptoribus eduntur; verum omnem historiæ auctoritatem elevare, id demum est sensum communem ejurávisse. Ingenuè fatendum, plerumque historicos partium studio omittere, addere, exaggerare, elevare facta, quæ genti suæ dedecus, aut rivali gloriam accersere possunt: idcircò magna cautela legendi sunt scriptores, præsertim nostræ ætatis, quorum sublesta fides satis, superque nota est. Fucatis namque eloquentiæ coloribus, atque energica quadam dicendi vi phantasiam rapiente; humana, divinaque omnia miscentes; nihil antiquius habent, quam ut religionem, societatemque evertant, ac alium rerum ordinem humaniorem, si diis placet, introducant. Quid tum postea? an minus verum erit, Gallorum regnum eversum? Ludovicum XVI. trucidatum? bellum per universam fere Europam propagatum? Humanum sanguinem ad satietatem usque sitientis soli undique perfusum? Atqui hæc sunt, quæ ab humano testimonio plenam auctoritatem habent, ut pro criterio veritatis adsciscantur (281), non illa *peculiaria*, & *minuta*, *quæ præsertim in historia parum tuta sunt*, ut ait Leibnitius. Sed hæc hactenus.

CAPUT TERTIUM.

Methodus disputandi.

293 Concertationes litterariæ tum privatim in scholis ad exercitationem instituuntur: tum publicis in theatris exhibentur ad annui profectus adolescentium ostensionem: quum denique, quod rarius apud nos fit, ut aliqua controversia discutiatur, veritasque, quoad fieri potest, elucidetur. Miror, quosdam philosophicarum institutionum scriptores, præcepta methodi disputandi hunc tertium modum respicientia tradidisse, quæ fere nullius sunt usus. Obse-

Obsecro, mi bone, adolescentinè, quæ tu dictasti, defendenti, hoc præceptum tradis? *Disputetur animo veritatis. Hinc paratus uterque sit ad defendendam sententiam suam, si eam falsitatis convinci videat?* Non puto. Quid igitur est causæ, cur ejusmodi præcepta tradas, quæ non usuveniunt? Satius igitur duco, leges diversas pro diversitate disputationis quam brevissimè proponere, juxta triplex disputandi genus modo enuntiatum.

294 In scholis concertationes fere quotidianæ habentur, ut juvenes positiones a magistro dictatas, aut ab auctore, cui operam navant, typis vulgatas propugnent, atque impugnent; tum se ad disputationem exercendi gratia; quum etiam ut quæ privatim didicerint, altius infigantur, acriusque ingenium a disputatione acquirant. Usu magis, quam verbis addiscenda sunt, quæ ad præludia disputationis spectant: concertatio verò sic instituitur. Defendens argumentum ab contradicente propositum integrum repetit, sive ut vulgò ajunt, resumit, quod fieri debet totidem verbis, aut saltem eumdem sensum reddentibus: deinde singulas propositiones expendit, *negans*, *concedens*, *distinguens*, postquam singillatim quamlibet repetiverit. Quod si propositio talis sit, quæ maturius examen exposceret, neque contra conclusionem ex ea aliquid deducatur; *permittit* propositionem: quando verò omninò ad rem non pertineat, aut alterius scientiæ provincia sit; *omittitur*, aut *transmittitur*, quod etiam voce *tranſeat* exprimere solent; quod idem fere sonat, ac ejus discussionem nolle assumere. Concessis præmissis, consequentia negari debet, aut consequens distingui; imò nec *consequens* distinguere oportere vult Tamagna, nisi prius ex præmissis alterutram distinxeris, quod non ab omnibus usu receptum video. Nonnumquam argumentum solet retorqueri, quod ut præ oculis poneremus, supra exhibuimus (286, 287). Quod ad oppugnantem attinet: negatam propositionem, pro consequentia sui syllogismi, aut entymematis elicere debet; secus, eamdem non probaret. Quum vero distinctione usus est respondens, partem negatam, aut concessam ita assumere debet, ut semper contra thesim nervos intendat; nec longius vagetur ab scopo deflectens. Disputationi eatenus insistendum est, quoad aliquid novi contra thesim proponatur: soluta jam difficultate, aut respondente ipsam nihil enodante, ab disputatione cessandum est. Cavenda tamen est puerilis petulantia nimis de victoria impotenter exultans, atque adversario exprobrans ingenii imbecillitatem, eo quod aut victus sit, aut negata probare impar est. Convicia enim, dicteria, sarcasmi, arrogantia, contemptus, aliaque hujusmodi, quæ inter disputandum nonnumquam interseri solent, non modo ur-

ba-

attamen ejusmodi narrationes divulgatæ sunt apud eos, qui, vel testes oculati fuerant eventuum posteritati consignandorum; vel traditionem eorum, quæ ipsi non viderant, a majoribus habebant, eo modo acceptam, quo nos Japones, & Sinas existere, aut Romanos, Græcos, Persas rerum potitos. Hæc ita dicta sint, quasi auctoritatem humanam tantum Historici sacri sibi conciliarent, quos ceteroqui, Spiritu Sancto dictante loquutos, catholicè profitemur.

292 Schol. Denique ne plura, quam par est, congeramus, quæ repetitiones fere sunt argumentorum hactenus solutorum; animadvertendum, quæcumque in historia reperiuntur absurda, dissona, falsa, exaggerata &c. contra præfatas conditiones (281) plenam auctoritatem constituentes, peccare. Neque enim omnia amplecti indiscriminatim oportet, quæ ab scriptoribus eduntur; verum omnem historiæ auctoritatem elevare, id demum est sensum communem ejurávisse. Ingenuè fatendum, plerumque historicos partium studio omittere, addere, exaggerare, elevare facta, quæ genti suæ dedecus, aut rivali gloriam accersere possunt: idcircò magna cautela legendi sunt scriptores, præsertim nostræ ætatis, quorum sublesta fides satis, superque nota est. Fucatis namque eloquentiæ coloribus, atque energica quadam dicendi vi phantasiam rapiente; humana, divinaque omnia miscentes; nihil antiquius habent, quam ut religionem, societatemque evertant, ac alium rerum ordinem humaniorem, si diis placet, introducant. Quid tum postea? an minus verum erit, Gallorum regnum eversum? Ludovicum XVI. trucidatum? bellum per universam fere Europam propagatum? Humanum sanguinem ad satietatem usque sitientis soli undique perfusum? Atqui hæc sunt, quæ ab humano testimonio plenam auctoritatem habent, ut pro criterio veritatis adsciscantur (281), non illa *peculiaria*, & *minuta*, *quæ præsertim in historia parum tuta sunt*, ut ait Leibnitius. Sed hæc hactenus.

CAPUT TERTIUM.

Methodus disputandi.

293 Concertationes litterariæ tum privatim in scholis ad exercitationem instituuntur: tum publicis in theatris exhibentur ad annui profectus adolescentium ostensionem: quum denique, quod rarius apud nos fit, ut aliqua controversia discutiatur, veritasque, quoad fieri potest, elucidetur. Miror, quosdam philosophicarum institutionum scriptores, præcepta methodi disputandi hunc tertium modum respicientia tradidisse, quæ fere nullius sunt usus. Obse-

Obsecro, mi bone, adolescentinè, quæ tu dictasti, defendenti, hoc præceptum tradis? *Disputetur animo veritatis. Hinc paratus uterque sit ad defendendam sententiam suam, si eam falsitatis convinci videat?* Non puto. Quid igitur est causæ, cur ejusmodi præcepta tradas, quæ non usuveniunt? Satius igitur duco, leges diversas pro diversitate disputationis quam brevissimè proponere, juxta triplex disputandi genus modo enuntiatum.

294 In scholis concertationes fere quotidianæ habentur, ut juvenes positiones a magistro dictatas, aut ab auctore, cui operam navant, typis vulgatas propugnent, atque impugnent; tum se ad disputationem exercendi gratia; quum etiam ut quæ privatim didicerint, altius infigantur, acriusque ingenium a disputatione acquirant. Usu magis, quam verbis addiscenda sunt, quæ ad præludia disputationis spectant: concertatio verò sic instituitur. Defendens argumentum ab contradicente propositum integrum repetit, sive ut vulgò ajunt, resumit, quod fieri debet totidem verbis, aut saltem eumdem sensum reddentibus: deinde singulas propositiones expendit, *negans*, *concedens*, *distinguens*, postquam singillatim quamlibet repetiverit. Quod si propositio talis sit, quæ maturius examen exposceret, neque contra conclusionem ex ea aliquid deducatur; *permittit* propositionem: quando verò omninò ad rem non pertineat, aut alterius scientiæ provincia sit; *omittitur*, aut *transmittitur*, quod etiam voce *tranſeat* exprimere solent; quod idem fere sonat, ac ejus discussionem nolle assumere. Concessis præmissis, consequentia negari debet, aut consequens distingui; imò nec *consequens* distinguere oportere vult Tamagna, nisi prius ex præmissis alterutram distinxeris, quod non ab omnibus usu receptum video. Nonnumquam argumentum solet retorqueri, quod ut præ oculis poneremus, supra exhibuimus (286, 287). Quod ad oppugnantem attinet: negatam propositionem, pro consequentia sui syllogismi, aut entymematis elicere debet; secus, eamdem non probaret. Quum vero distinctione usus est respondens, partem negatam, aut concessam ita assumere debet, ut semper contra thesim nervos intendat; nec longius vagetur ab scopo deflectens. Disputationi eatenus insistendum est, quoad aliquid novi contra thesim proponatur: soluta jam difficultate, aut respondente ipsam nihil enodante, ab disputatione cessandum est. Cavenda tamen est puerilis petulantia nimis de victoria impotenter exultans, atque adversario exprobrans ingenii imbecillitatem, eo quod aut victus sit, aut negata probare impar est. Convicia enim, dicteria, sarcasmi, arrogantia, contemptus, aliaque hujusmodi, quæ inter disputandum nonnumquam interseri solent, non modo ur-

ba-

banitatem dedecent; verum christianam etiam charitatem proscindunt. Denique vociferationes, clamores, inconcinni motus, aliaque phræneticum magis, quam sapientiæ alumnum decentia, omninò vitanda sunt. Neque virorum alioquin litteris, maturitate, ac gravitate pollentium quemquam movere debet consuetudo: nam contra urbanitatem, ac decentiam exempla allegare nefas est, imò & illa sequi turpissimum.

295 Ad publicas concertationes quod attinet; meminisse oportet finis illarum institutionis, quem nonnumquam oblivisci videntur, qui in eis contradicunt. Ego quidem sic existimo, ideò a majoribus nostris publicas disputationes inventas fuisse, ut adolescentuli philosophicis, aut theologicis studiis operam navantes, ad studium incenderentur, animo reputantes, se in publica palæstra ratione eorum, quæ in scholis didicissent, reddituros. Quamobrem nimis inurbanè eum se gerere dixerim, qui tamquam pro aris, & focis decertaturus, adolescentem publicas theses defendentem, argumentorum vi opprimere nititur: egregiam scilicet laudem, & spolia ampla referre se existimans, si eumdem circumveniat, aut etiam si fieri potest, præceptorem ipsum disputationi præsidentem. Neque enim positionis veritas, aut falsitas discutienda proponitur in publica disputatione, ut athleticis ejusmodi conatibus dimicandum sit: neque locus, & tempus hujusmodi disquisitionis aptum est theatrum illud litterarium, in quo etiamsi victoria opponenti contingeret, non a falsitate thesis, verum ab ejus in disputando solertia, aut defendentis imbecillitate repeteretur. „ Tantum abest, inquit Eduardus Corsinus, ut concertationes illæ, quæ fieri subinde solent, inquirendæ veritati conferre possint, ut omnem potius ipsius inveniendæ spem nobis eripiant. Innata siquidem gloriolæ cupiditas, contradicendi spiritus, disputationis ardor, ingenii ostentandi studium, & pervicax quædam in asserendo constantia nos interdum transversos abripit, ut veritatem assequi non possimus; vel si forte ea nobis affulserit, negligamus. „ Unde ego concluderem, hisce disputationibus omninò alium finem præstitui debere; nimirum periculum faciendi, atque auditoribus exhibendi discipulorum in studiis profectum; quovis alio ingenii ostentandi, aut si mavis, etiam veritatis inquirendæ studio remoto. Ceteroqui inutiles, atque mirificè vitiosos esse congressus illos, qui publicè peraguntur, ut populus spectator, idemque judex accedat, in quibus amor unus vincendi dominetur, ac dissidentium quilibet eo consilio disserat, ut quicumque disputationis exitus sit futurus, semper tamen opinionem eamdem ex colloquio constantissimè referre debeat, cum prælaudato scriptore non invitus profitebor. 296

296 Quocirca, ut ad tertium disputationum genus veniamus, ad inquirendam veritatem congressus illos tantum valere dixerim, qui remotis arbitris, partium studio seposito, sine ullo contendendi ardore, aut gloriosa ingenii ostentandi cupidine instituuntur. Si qui umquam peracti sunt, aut peragentur præfatis conditionibus, simillimos esse pronunciabo Academicorum disputationibus, quas si diis placet, ejusmodi fuisse, persuadere ipsi nituntur. „ Nostræ, inquit Tullius (in Lucullo c. 13.) disputationes non quidquam aliud agunt, nisi ut in utramque partem dicendo, & audiendo eliciant, & tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat „.

CAPUT QUARTUM.

Methodus legendi, seu studendi.

297 Memini, me adolescentulis studendi præcepta tradere, qui philosophiæ operam dant; diversas postea scientias pro ingenii captu, munerum suscipiendorum ratione, aut animi propensione exculturis. Primùm igitur methodum philosophiæ studendæ; deinde generaliores alias leges, quamlibet scientiam spectantes, proponemus. In antecessum tamen, quod omne studiorum genus respicit, monitos omnes volo, ad legendum, animum ab omni inordinato affectu vacuum adducere oportere: *in malevolam quippe animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Experimentum quilibet in semetipso capere potest; nihil magis attentionem impedire, quam inordinati impediant affectus, perturbationes animi, aut imagines quædam vividiores phantasiam percellentes, atque animo continenter occursantes.

298 Ad studium philosophiæ cum fructu peragendum, multum conducet labor studendi methodicè susceptus: & primò unumquemque articulum, seu *numeram* attente lege: deinde remotis a libro oculis, quæ legisti, repete, non tam e memoria recitando, quam sensum eliciendo: demum quum singulos articulos præfato ordine didiceris, integrum paragraphum, aut caput continenter repete. Secundò. Multum conferet, postquam mente comprehenderis integrum caput, illud exscribere eo modo, quo memoriæ illud mandasti; scriptum mox cum libro collaturus. Tertiò. Si quid, proprio marte partum, addendum aut animadvertendum occurrat, cum præceptore conferendum, ad calcem adjunge. Quartò. Postquam universam dissertationem exhauseris, de integro eamdem repetere oportet, ut altius memoria insculpatur. Quintò. Quæ negotium

facessunt, aut omninò non percipiuntur, prius debent cum præceptore, aut alio peritiore conferri, nec ulterius progrediendum, donec quæ præcedunt, rite comprehendantur.

299 Quod si jam studium proprio ingenio suscipiendum foret, duo maxime cordi esse debent: delectus disciplinæ, cui danda est opera, ac librorum eamdem pertractantium. Lectio namque vaga, & fortuita sine ullo fine scientiæ alicujus addiscendæ, aut obvium quemque scriptorem temerè arripiendo, confusionem idearum magis, quam doctrinam parere apta nata est. Primùm igitur oportet ingenium proprium consulere, statum, vires, *quid ferre recusent, quid valeant humeri*. Newtonus, Boscovickius mathesim, ac physicam colant; Turnefortius, ac Linæus botanicem; Bourdalovius, Segnerusque sacram eloquentiam; Suarius, Petavius theologiam tamquam propriam spartam sibi deligant: ceteroqui mathematicus theologum volens agere, quum in calculis plusquam hominem, si ita loqui fas est, se præstiterit; Apocalypsim exponens; humana patietur, ut de Newtono ajebat Volterius. Deinde ad librorum delectum, sive scriptoris optimi, qui methodicè, perspicuè, ac prout ingenium quemque ducit, aut brevitatem cum perspicuitate consociet, aut fusiore calamo rem tractet, animum appellere oportet. Delectus hic maximi faciendus est: ex pravo enim delectu depravatio morum, erronea dictamina, præposterus cogitandi modus, stilus vitiosus, si minus infructuosus studendi labor prorsus dependet. Fateor juvenum non esse scriptorum meritum pensare; attamen & judicio sapientum, quos consulere possunt, & constanti apud eruditos fama, optimos quosque deligere sibi queunt.

300 Postquam auctorem tibi omnibus numeris absolutum delegeris; præter ea, quæ modò diximus de methodo philosophiæ studendi, sequentia accipe. I. *Nullius addictus jurare in verba magistri*, quam voles maximam de ipso præconceptam opinionem habueris: sed veritatis amor pro quacumque parte illa steterit, nos ubique deducere debet, ut probemus, quæ vera aut verisimiliora sunt; & quæ secus fuerint, deseramus. *Obest plerumque*, ajebat Cicero (1. de Nat. Deor. c. 5.) *iis, qui discere voluerint, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant judicatum vident*. II. Non statim ac aliquid displicet, improbandum est. Plura sunt, quæ primo aspectu absona videntur, deinde tamen omnibus, quæ præcesserunt, ac sequuntur, pensatis, aliam rerum faciem repræsentant. Novi hominem, qui tantum non impietatis damnabat recentiorum de speciebus Eucharisticis sententiam; ceterum omnia

omnia convicia in eamdem conjiciebat. Forte fortuna in Monteiri philosophiam incidit, ac primo in ipsum fremere, tum pacatius legere; deinde veluti indulgentior factus, voluit de integro causam instituere: denique ad extremum opinionem præjudicatam deposuit. III. Omninò vitanda est lectio præceps, perfunctoria, aut oscitanter facta. Sunt nonnulli, qui devorare citius, quam libros legere videntur: sunt qui ita legunt, ut si ab eis postea quid legerint, roges; perinde ac si aliud egissent, recordantur. Defectus nimirum attentionis, rei litterariæ pestis, omni cura vitandus est; ac si opus fuerit ad conciliandam attentionem, stilus præ manibus semper habendus, ut simul ac periodum legeris, statim in commentaria referatur. Demum liber in lexici modum præsto esse debet, in quo notentur observatu digniora, quæ in auctoribus legimus, volumine, tractatu, capite, ac pagina indicatis; ut postea quum opus fuerit, loca reperiantur scriptorum, qui materiem tunc nobis necessariam reddant. Quantum usui futura sit hæc praxis, quum aliquid proprio marte componendum sit, experientia docebit, aut pœnitentia eos, qui monitum contempserint.

CAPUT QUINTUM.

Scientiarum Impedimenta.

301 Scientiarum præcipua impedimenta tum a voluntate, quum ab intellectu oriri possunt; ac siquid de meo addendum sit, quod ab paucis notatum reperio, etiam a memoria. Ad voluntatem quod attinet, capite proximo adnotavimus, animi perturbationes nimium quantum mentis attentionem distrahere; quod obstaculum esse maximum scientiis condiscendis, nemo non videt. Verum operæ pretium erit singillatim indigitare plura voluntatis vitia, quæ litterarum acquisitionem vel præpediunt, vel impediunt. Ac primò ignavia ac lassitudo animi, qua laborem detrectant nonnulli, contenti superficialem notitiam rerum tenere, quin enucleatè, atque intimè veritatem rimentur. Nonnumquam etiam reperies homines perfricatæ adeò frontis, qui ut suam ignaviam tegant, scientias omnes despiciunt, quasi nugæ sint litteratorum, magna venditantium pompa, quæ sciri non possunt, aut scire nihil interest. Pyrrhonicos istos diceres, prius omnes scientias accuratissimè perpendisse, atque earumdem inutilitate comperta, in hunc contemptum devenisse. Audivi quemdam ab desidia satis nobilem sæpius inclamantem, se nihil solidum nisi in Scripturis sacris invenire: inibi historiam, geographiam, chronologiam, criticem, astronomiam,

miam, physicam, verbo, scientias omnes addisci. Quis non putaret hujusce hominis bibliothecam SS. Patrum, Interpretum, Versionum omnis generis refertam esse? Scilicet ejus conclavia perlustranti vix, præter breviarium, alium librum aspicere liceret.

302 Secundò. Intemperantia quædam animi, ac sacra sciendi fames, qua torquentur fervidioris naturæ homines, ita ut penè devorent libros; paucisque diebus integras bibliothecas exhauriant: hectica febri laborantibus similes, qui dum plus cibi ingurgitant, magis contabescunt. *Non multa sed multum legere*, his inculcandum est. Verissimè enim & ad animum transferri potest, quod Senibus inculcabat Cicero in Catone: *Tantum cibi, & potionis adhibendum est, ut reficiantur, non ut opprimantur vires.* Quod enim cibus corpori, lectio menti est; quam si nimium oneraveris, nihil concoquet. Invaluit etiam apud litteratos, fato nescio quo rei litterariæ, universalis quædam eruditio, scientias, linguas, artesque omnes complectens; ita ut nisi habeatur illi similis, de quo Juv. Sat. 3.

Grammaticus, rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, schenobates, medicus, magus, omnia novit,

in album eruditorum recipi non possit. Hinc perfunctoria quædam notitia scientiarum omnium, quas neque sciunt, neque ignorant: progressus tamen inde scientiarum sperari potest nullus; hinc *pedantismus*, ut dici solet, in rempublicam litterariam invectus, ita ut si quorumdam elucubrationes legas, ad duas tertias partes citationes ac notas invenies, in quibus auctor hebraicè, græcè, chaldaicè, latinè, gallicè, italicè, hispanicè, anglicè loquitur; atque historiam, medicinam, algebram, antiquariam, physicam, poesin, chymiam, veterinariam, musicam, astronomiam, botanicen, quid plura? omnes artes, ac scientias complectitur. Ego verò neminem nomino, ut quis mihi jure succenseat: hæc autem dici oportere existimavi, ut juvenum ingenia ad genuinam litteraturam conformentur.

303 Tertiò. Inordinatus amor sui, a quo plerumque ducti nos mirificè extollimus; ingenium majus, quam a natura acceperimus, nobis tribuimus; alios contemnimus; simultates scholasticas fovemus, odium in alterius sententiæ auctores creantes, qui nostræ favent, extollentes: nostra studia, elucubrationes, opiniones magis ad gloriolam captandam, quam ad veram scientiam acquirendam, conformamus: demum ab hoc fonte inexhausto præter alia quidam contradicendi ardor enascitur, ac reprobandi quæ alii dixerint, aut scripserint, & pertinacia quædam insuperabilis proprias opiniones sustinendi; quæ colloquia etiam familiaria ad altercationes perpetuas traducit.

304 Age jam, atque offendicula, quæ intellectus scientiis

tiis opponit, videamus. Neque verò hic tarditatem ingenii in medium adducere est animus: qui ita a natura conformatus est, aliam sibi vivendi rationem comparare debet, ac litteris valedicere. Quod si solers ingenium a natura sortitus fueris, præjudicia omnino exuere oportet, quæ rei litterariæ perniciem maximam afferunt. Præjudicium, ut ipsa vox sonat, est sententia animi ante tempus lata, aut concepta. Errores omnes in præjudiciis haberi possent; sunt enim judicium mentis præposterum, eo quod sine ratione sufficiente ad ferendam sententiam, intellectus illam profert, atque idcirco miserandum in modum in errorem impingit. Præjudiciorum fontes sunt.

305 Primus *Educatio*: Ab infantia servis, fœminis, ac personis vulgaribus septi, deinde pueris aliis consociati, qui errores a suis haustos, quos a domesticis non accepimus, nobiscum communicant, acceptos confirmant; incredibile dictu est, quot præjudicia sensim, ac sine sensu imbibamus. Secundus *Auctoritas* parentum, pædagogi, præceptorum, aliorumque, quos veluti oracula a pueris revereri assueti sumus, præjudicatas opiniones adeo tenaciter in cereis puerorum mentibus infigere solent; ut vix, aut ne vix quidem, postea ipsos evincere queamus, ut dociles præbeant aures melioribus disciplinis. Si nos contra hæc præjudicia animum non obfirmassemus, enimverò hororem vacui, qualitates occultas, aliaque ejusdem furfuris etiamnum pro aris ac focis sustineremus. Tertius *Sensuum illusio*, seu rectius dixerim, propensio ad judicandum statim ac sensus referunt, quin eorumdem relationem discutiamus, ratione in judicem adscita. Vitium hoc adeò genus hominum pervasit, tamque naturæ nostræ insitum est, ut nemo unus sit, qui gloriari possit, se a sensibus numquam illusum. Audeo dicere, Copernicanum systema minus ab auctoritatibus sacræ Scripturæ, quam a sensuum nostrorum præjudiciis labefectari. Quartus *Pravæ affectiones*. De his jam modò egimus, quum de voluntate disserebamus. Audi nunc Tullium (lib. 2. de Orat. c. 42.) „ Plura multò homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate „.

306 Ab ideis etiam obscuris & confusis nostri intellectus (27, & seq.) profectum in scientiis impediri, indubium est. Nonnulli ita conformati sunt a natura, ut etiamsi tardioris ingenii non sint, tam obscurè, aut confusè res percipiunt, atque in mente collocant, quas si explicare postea velint, nec ab aliis percipiantur, & ipsi se non intelligant. Alii autem nitidam mentem nacti, a properata, aut etiam oscitante lectione, quas concinnas

habere possent ideas, confusas accipiunt. Utrique pro acquirendis notionibus claris, ac distinctis, sequentia monita damus. Primum; Lectio properans, aut perfunctoria omnino vitanda. *Præstat otiosum esse, quam nihil agere*, his dici potest, qui ita legunt, quasi nihil agant. Secundum; Plura simul objecta contemplari cavent; multitudo enim parit confusionem. Quod si res discutienda multiplex sit, atque implexa, separatio facienda est, in membra quasi concidendo, ac singillatim unumquodque perpendendum. Tertium; Ordo etiam in meditatione servandus, ne quæ sunt ultima, primis præponantur: sed res eo, quo fluunt ordine, inspiciendæ, atque examinandæ sunt, naturæ methodum sequendo: eoque fiet, ut præcedentia lumen sequentibus affundant. Quartum; Juvabit etiam ulterior in quolibet membro contemplando divisio, quæ in notas proprias resolvat, ac veluti analysin partium efficiat. Prolixior tamen resolutio confusionem parere potest, quoniam mens etiam idearum numero obruitur (72). Sextum; Ubi materia externis signis, ut fit in geometria, repræsentari potest, plurimum juvabit ea adhibere, ad imaginationem firmius in objecto retinendam. Denique; notiones, quæ initio claræ, & distinctæ fuerunt, tractu temporis delentur paulatim, atque obscuræ, sin minus confusæ, fiunt. Quamobrem quæ semel ad amussim didicimus, sæpius repetere oportet, atque altius imprimere, ne deleantur, aut confundantur. Sed hoc jam ad memoriam pertinet.

307 Et quidem magnum a memoria adjumentum ad scientias comparandas haberi, solus ille negabit, qui, nos tantum scire, quod memoria retinemus, ignoret. Plures qui in Republica litteraria magnum sibi nomen fecerunt, memoriæ magis, quam mentis viribus excelluisse, ab eorum scriptis luculenter apparet. Non is ego sum, qui memoriæ artem tradere velim. Simonides id se invenisse profitebatur apud Tullium (2. de Orat. c. 86) ex eo, quod post collapsum conclave, in quo cum Scopa, aliisque cœnabat, atque interitum fortuitò, in colloquium extra triclinium evocatus vitasset, cadavera oppressorum ex ordine, quo accumbebant, recognoscens, indicavit. Sane plurimum juvare memoriam puncta quædam figere, quæ tanquam symbola sint rerum, in memoriam revocandarum, experimento quisque in semetipso comprobare potest. Ad ea tamen, quæ scientias comparandas spectant, nulla alia certior est via, quam sæpius repetere, quæ memoriæ commissa fuerint; ceteroqui fructus omnis præteriti laboris evanescet. Hoc sensu intelligi oportere ciceronianum illud, *memoria excolendo augetur*, vel experientia, vel metaphysica, quam jam aggressuri sumus, nos docebit.

IN-

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ.

habere possent ideas, confusas accipiunt. Utrique pro acquirendis notionibus claris, ac distinctis, sequentia monita damus. Primum; Lectio properans, aut perfunctoria omnino vitanda. *Præstat otiosum esse, quam nihil agere*, his dici potest, qui ita legunt, quasi nihil agant. Secundum; Plura simul objecta contemplari cavent; multitudo enim parit confusionem. Quod si res discutienda multiplex sit, atque implexa, separatio facienda est, in membra quasi concidendo, ac singillatim unumquodque perpendendum. Tertium; Ordo etiam in meditatione servandus, ne quæ sunt ultima, primis præponantur: sed res eo, quo fluunt ordine, inspiciendæ, atque examinandæ sunt, naturæ methodum sequendo: eoque fiet, ut præcedentia lumen sequentibus affundant. Quartum; Juvabit etiam ulterior in quolibet membro contemplando divisio, quæ in notas proprias resolvat, ac veluti analysin partium efficiat. Prolixior tamen resolutio confusionem parere potest, quoniam mens etiam idearum numero obruitur (72). Sextum; Ubi materia externis signis, ut fit in geometria, repræsentari potest, plurimum juvabit ea adhibere, ad imaginationem firmius in objecto retinendam. Denique; notiones, quæ initio claræ, & distinctæ fuerunt, tractu temporis delentur paulatim, atque obscuræ, sin minus confusæ, fiunt. Quamobrem quæ semel ad amussim didicimus, sæpius repetere oportet, atque altius imprimere, ne deleantur, aut confundantur. Sed hoc jam ad memoriam pertinet.

307 Et quidem magnum a memoria adjumentum ad scientias comparandas haberi, solus ille negabit, qui, nos tantum scire, quod memoria retinemus, ignoret. Plures qui in Republica litteraria magnum sibi nomen fecerunt, memoriæ magis, quam mentis viribus excelluisse, ab eorum scriptis luculenter apparet. Non is ego sum, qui memoriæ artem tradere velim. Simonides id se invenisse profitebatur apud Tullium (2. de Orat. c. 86) ex eo, quod post collapsum conclave, in quo cum Scopa, aliisque cœnabat, atque interitum fortuitò, in colloquium extra triclinium evocatus vitasset, cadavera oppressorum ex ordine, quo accumbebant, recognoscens, indicavit. Sane plurimum juvare memoriam puncta quædam figere, quæ tanquam symbola sint rerum, in memoriam revocandarum, experimento quisque in semetipso comprobare potest. Ad ea tamen, quæ scientias comparandas spectant, nulla alia certior est via, quam sæpius repetere, quæ memoriæ commissa fuerint; ceteroqui fructus omnis præteriti laboris evanescet. Hoc sensu intelligi oportere ciceronianum illud, *memoria excolendo augetur*, vel experientia, vel metaphysica, quam jam aggressuri sumus, nos docebit.

IN-

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ.

METAPHYSICÆ PROLEGOMENA.

Metaphysicæ nomen casus quidam invexit. Aristotelis opera ad longum tempus sub terra jacuerunt testæ figulinæ commissa. Inde postea extracta, ab humiditate corrosa, ac variis lacunis deturpata inventa sunt. Quibus plagis ut mederentur, meliori quo possent modo, medicam manum adhibuerunt, primum Apellico Tejus, deinde Tyrannio grammaticus, & Andronicus Rodius. Plura ex his ad certam classem redigi poterant, alia non item: quumque melius aliquid non occurreret, hujusmodi libros post opera physica relegarunt, eisque titulum *post Physica* indiderunt; id enim τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ græce sonat, quod deinde latino more in *Metaphysica* translatum est. Hinc nobilissima scientia, quæ & Physica sublimior dici posset, nomen, atque originem ducit.

Ejus partes sunt *Ontologia*, quæ entis generatim, atque ejusdem affectionum speculationem complectitur: *Cosmologia* rerum mundanarum qualitates intelligibiles contemplatur: *Psycologia*, seu *Pneumatologia*, quæ *Anismatica* a Peripateticis recentioribus audiebat, spiritus ac rerum immaterialium tractationem continet: ac demum *Theologia* naturalis, ea, quæ de Deo lumine rationis assequi possunt, dilucidat.

IN-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM

Disquisitio Præliminaris.

Quodnam sit humanarum cognitionum principium.

Præsens investigatio ad nullam ex partibus metaphysicæ commodè referri potest, quum ejus naturæ sit, quæ & ordine præcedere debat, neque unam citius quam aliam directè respiciat. Quamobrem eamdem præmittere placuit, quasi quoddam præliminare ad scientiam metaphysicam: qua stabilita statim ad Ontologiam gradum faciemus.

§. I.

Principium Contradictionis.

1 Principium contradictionis appellant metaphysici effatum illud: *idem non potest simul esse, & non esse*, eo quod, qui pugnantia loquitur, in contradictionem incurrit, sive asserit idem esse simul & non esse. Huic affinia sunt & illa axiomata satis trita in scholis: *Quolibet vel est, vel non est; de eodem & secundum idem non possunt simul verificari affirmatio & negatio.* Aristoteles, atque ab eo denominata Peripateticorum schola, primum humanæ cognitionis principium axioma illud contradictionis statuit, asserens scientiarum omnium ædificium in illo principio tamquam fundamento inniti. Cartesio placuit enthymema illud, *ego cogito, ergo sum*, velut initium scientiarum ponere; ita ut a demonstratione propriæ existentiæ proficisci debeat, qui litterarium curriculum metiri exoptat. Ipsius verò asseclæ effatum hoc; *quidquid in idea clara cujusvis rei perspicuum est, id de ea potest affirmari*, veluti basem omnium veritatum statuerunt.

2 Ut rem meliore in iumine collocemus, animadvertendum est; primi principii nomine non illud esse intelligendum, quod primum menti obversatur, aut ex quo cetera demonstrentur directa ratiocinatione. Quis enim definire potest, quænam veritas prima menti sistitur, quum lumen rationis assequimur, aut qua demonstratione prima principia demonstrari possunt, quæ sunt medium aliarum demonstrationum. Id tantum inquirimus, quodnam sit illud

lud principium, quo negato, cetera axiomata ruant; aut eodem admisso, si reliqua pervicaciter negentur, ab illo possint demonstratione apogogica (Log. 213) stabiliri? En quæstionis sensum: en sententiam, quam amplectimur.

3 Positio 1. *Principium contradictionis sensu modo explicato est primum humanarum cognitionum principium.* Probat. Principium contradictionis est axioma per se notum ita, ut sua perspicuitate omnibus manifestum sit; ejusque veritate nutante, reliquorum principiorum veritas corruit; eadem stabilita, ab ipso fulciuntur cetera: at iste sensus est præsentis disquisitionis: ergo principium contradictionis est primum cognitionis humanæ principium. Et quidem quod omnibus ratione utentibus ejus veritas perspicua sit, nemo sanæ mentis negabit: secundam partem majoris propositionis sic probo: quæcumque axiomata in medium adducantur, ex. g. *quodlibet dum est, est: quidquid in idea clara, & distincta alicujus rei elucet, de ipsa est affirmandum* &c. a principio contradictionis stabiliuntur, atque ipso negato corruunt. Nam si quodlibet potest esse simul & non esse; potest dum est, simul non esse, quo posito, ruit primum axioma, atque adeò etiam veritas enthymematis cartesiani *ego cogito; ergo sum*, quum posset cogitare, & simul non cogitare: effatum pariter cartesianorum posset esse simul verum & falsum: illa autem, & quæcumque alia axiomata per deductionem ad impossibile demonstrari possunt, admisso principio contradictionis, ut periculum facienti constabit.

4 Opponunt primo. Plura sunt axiomata, quæ nobis perspicua sunt sine recursu ad principium contradictionis: ergo illud non potest esse primum nostrarum cognitionum principium. R. *conc. ant. neg. cons.* Neque enim asserimus ab hoc axiomate pendere cognitionis humanæ perspicuitatem: sed tantum ex ejus veritate reliqua posse firmari, siquis pervicaciter eadem negaverit; atque ipsum a nullo posse confirmari, negata ejus veritate.

5 Oppon. 2. Ab hoc axiomate, *quidquid in idea rei clarè relucet, de ea potest affirmari*, demonstrari potest principium contradictionis: ergo illud primum est humanæ cognitionis principium. Prob. ant. Hic syllogismus *rectè* concludit: *quidquid perspicuum est, verum est: at perspicuum est non posse rem simul esse, & non esse: ergo hoc axioma verum est*: ergo ab idearum perspicuitatate demonstratur principium contradictionis. R. *neg. ant.* & *dist. ant. prob.* rectè concludit, stabilita prius veritate principii contradictionis, *conc. ant.* ipsa non admissa, *neg. ant.* Qui enim principium rejecerit, omnes propositiones negabit prædictæ demonstrationis. Quamvis enim perspicuum

sit,

sit, quum simul possit non esse; eodem jure dici potest verum non esse.

6 Insistunt: certi sumus de veritate principii contradictionis; quia nobis perspicuum est, *quodlibet non posse simul esse, & non esse* (Log. art. 144): ergo veritas hujus axiomatis ab altero demonstratur, *quidquid perspicuum est, verum est*. R. *dist. ant.* certi sumus &c. quia nobis perspicuum est perspicuitate ab ipsis terminis principii proveniente, *conc.* perspicuitate, quam hauriamus a reflexione in illud axioma, *neg. ant.* Ad modum scholæ sic etiam distingui posset *ant.* certi sumus *exercitè* de veritate, *conc.* certi sumus *reflexè*, *neg. ant.* Hujusmodi ambiguæ significationes terminorum perennes fontes sunt *paralogismorum* in quæstionibus, ac dissidiis litterariis. Omnia axiomata a perspicuitate nativa terminorum, sive ab evidenti convenientia subjecti & prædicati nobis certitudinem pariunt, quin opus sit reflectere ad effatum illud, *quidquid perspicuum est, verum est*; quod evincere nititur argumentum. Et quidem nisi staret veritas istius effati, neque principii contradictionis veritas subsisteret: quemadmodum si hujus nutaret, & alterius etiam corrueret; quod vinculum quoddam inter prima principia intercedere tantum convincit; non tamen alterum per alterum demonstrari, ut jam supra ostensum est.

7 Oppon. 3. Non omnia axiomata reducuntur ad principium contradictionis: sed in hoc fundamento nititur assertio positionis: ergo &c. *Prob. maj* hoc effatum, *totum est majus sua parte*, ad principium contradictionis reduci nequit: ergo &c. R. *neg. maj.* & *ant. prob.* En quomodo reducatur illud axioma ad contradictionem, si quis præpræfractè illud negaverit. Totum quod non esset majus sua parte, esset totum ut supponitur; at simul totum non esset, quippe sui parti æquale: ergo simul esset, & non esset totum.

8 Inst. Axioma, *totum est majus sua parte*, est propositio affirmativa, principium verò contradictionis negativa: enimverò propositio affirmativa per negantem demonstrari non potest (Log. 186.): ergo a principio contradictionis nulla est deductio illius axiomatis. R. *dist. min.* Propositio affirmativa per negantem demonstrari non potest apogogicè sive indirectè, *neg. min.* demonstratione ostensiva, *conc. min.* Vide dicta *Dissert. 3. Log. art.* 214.

9 Inst. iterum. *Totum est majus sua parte*, propositio simplex est, principium contradictionis composita: at simplex prius est composito: ergo prima ab altera demonstrari non potest. R. *dist. min.* simplex propositio prior est composita in ordine propositionis, *conc. min.* in ordine ad demonstrationem, *neg. min.* In præsenti assertione illud tantum

tantum intendimus, a principio contradictionis ceterorum veritatem pendere, ipsum verò a nullo alio deduci. Hæc tamen dependentia non ita est accipienda, ut omnem humanam cognitionem ab illa principii contradictionis incipere dicamus. Nam cognitiones abstractæ, atque universales, quales sunt axiomatum, ac principiorum, posteriores sunt singularibus, a quibus abstrahendo originem ducunt. Quo sensu tantum dici possit primum cognitionis humanæ principium, habes ex *art.* 2. 4 &c.

§. II.

De principio rationis sufficientis.

10 Nihil in rerum natura fieri sine *ratione sufficiente*, cur potius res sit, quam non sit, adeò omnibus persuasum est, ut nec cogitantes, dum aliquid insolitum evenisse audimus, illius *causam*, sive *rationem sufficientem* inquiramus solliciti; nec quiescamus, donec aut causam inveniamus, aut saltem arcanam esse comprehenderimus. Principium igitur, *nihil fieri sine ratione sufficiente*, antiquum est; applicatio verò hujus principii ad peculiare quoddam systema Leybnitio debetur, ut suum *Mundum optimum* conderet, de quo infra occurret nobis sermo.

11 Fato nescio quo rei litterariæ in hac egestate temporis placuit nonnullis philosophis novas quæstiones excitare, quæ dissidia sunt terendo tempori magis apta, quam ad profectum in litteris obtinendum. Ipsimet Cartesio, qui omnem lapidem movit, ut vel vocabula peripateticorum antiquaret, *ratio sufficiens* idem fuit ac rerum causa. „ Nulla, *inquit*, res existit, de qua non possit quæri, quænam sit causa, cur existat. Hoc enim de ipso Deo quæri potest, non quod indigeat ulla causa ut existat, sed quia ipsa ejus naturæ immensitas est causa, propter quam nulla causa indiget ad existendum. „ En quomodo cum principio rationis sufficientis antiquum scholæ effatum, *nihil fit sine causa*, conciliari optimè possit. Quam enim rationem afferunt nonnulli in Deo causam suæ existentiæ non dari, rationem sufficientem dari, ut evertant illud principium; explicatione a Cartesio nuper allata explosa omnino est, ac res explicata. *Ratio* igitur *sufficiens*, propter quam res sunt potius quam non sunt, nihil aliud est quam *causa rerum*, sive illud propter quod concipimus res esse, quod procul dubio nihil aliud est, quam ipsarum causa.

12 Quod ut clarius intelligatur, triplex genus *rationis sufficientis* juvat distinguere. Primum est ratio sufficiens *possibilitatis*; nimirum id, per quod res est possibilis; si-

ve

ve ut alii explicant, per quod intelligitur, quod res possit existere. Secundum est *actualitatis*, sive ratio, cur res existat potius, quam non existat. Tertium denique est ratio sufficiens *cognitionis*, videlicet id, per quod concipimus rem cognosci. Remotis igitur altercationibus, sequentem propositionem statuimus, velut axioma generale in physicis, ac metaphysicis, ex quo veritates contingentes possunt demonstrari; unde non injuria alterum humanæ cognitionis principium dici potest.

13 Axioma. *Nihil est in universitate rerum sine ratione sufficiente*, sive ut amicus ille Jobi dicebat, *nihil in terra sine causa fit*. (Job. 5. v. 6.) Nam quæcumque demum res existere quoquo modo supponatur, ponendâ etiam est ratio, cur potius existat, quam non existat: ceteroquin eodem jure affirmari posset de ipsa, quod existat, quam quod non existat, quod cum principio contradictionis pugnat. Enimverò ratio, propter quam affirmamus quod aliquid sit potius, quam non sit, est ipsamet ratio sufficiens, per quam res existit; adeoque perspicuum est, atque inter axiomata collocandum, *nihil esse sine ratione sufficiente*.

14 Corol. 1. Ratione sufficiente cujuscumque rei existente, & ipsam rem existere necesse est. Si enim ponas rem tunc non existere; unà verum erit, quod sufficiens existentiæ sit ratio ut asseritur; & quod sufficiens eadem non sit, quum rei existentiam non determinet (10). Neque dixeris, Deum esse rationem sufficientem existentiæ creaturarum qui ab æterno existens nullam in æternitate creaturam, produxit; imo etiam in tempore omnia succedunt, neque simul producuntur. Nam Deus est ratio sufficiens existentiæ creaturarum pro tempore illo, quo divina voluntas decernit illas creare; ceteroqui res contingentes essent necessariæ, quum ipsarum ratio sufficiens necessaria sit. Quamobrem quum Deus sibi ratio sufficiens suæ existentiæ sit, necessariò existit: creaturæ verò habentes in divina voluntate rationem sufficientem suæ existentiæ, tum existent, quum veniet eas producendi tempus ab æterno decretum.

15 Corol. 2. Quidquid rationem habet sufficientem; eam vel in semetipso, vel in alio ente a se distincto habere debet. Prima ratio sufficiens *interna*, altera *externa* dicitur; eo quod in alio ente sita sit. Hinc ad veritates contingentes demonstrandas principium rationis sufficientis validissimum est argumentum; atque inter prima principia collocandum. Nam dum alicujus propositionis veritas inquiritur, id demum est subjectum disquisitionis, utrum adsit ratio sufficiens objecti in propositione asserti; qua existente, & ipsum poni necesse est (14). Quod si probe-

betur nullam adesse rationem sufficientem, eo ipso falsitas asserti demonstratur, quum nihil esse possit sine ratione sufficiente (13).

16 Corol. 3. Neque idcirco negandum est omne id, cujus rationem sufficientem non assequimur: plura enim sunt, quæ nos latent, sive quorum rationem sufficientem non cognoscimus. Id tamen, cujus ratio sufficiens manifestè dari constat; asserere: cujus evidenter non dari, assequimur; tuto negare possumus. Hinc plures veritates etiam necessarias in scientiis ope principii hujus demonstrare licet, quod non uno in loco ostendemus.

DIS-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISSERTATIO I.

DE ONTOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

Notiones generales Entis.

§. I.

Ens, Essentia, & Existentia.

17 *Ens* dicitur omne id, quod existit, aut existere potest; sive quod contradictionem non involvit. Si in natura rerum sit, vocatur *Ens actuale;* si inter ea, quæ tantum existere possunt numeretur, erit *Ens potentiale*, aut *possibile*. *Ens fictum*, *rationis*, aut *chimæricum* illud appellant, quod inter delirantis phantasiæ commenta locum tantum habere potest, ut mulier formosa supernè desinens in atrum piscem. Et hoc quidem est *ens rationis* sine *fundamento in re*, ut ajunt Scholæ: alia autem sunt *entia rationis;* quæ cum *fundamento in re* dicuntur, ut sunt genus, species &c. quæ licet in rebus non existant, ipsæmet res præbent intellectui fundamentum illas ita concipiendi (Log. 20.).

18 Aliud etiam est ens *positivum*, quod veram habet existentiam; aliud *negativum*, quod existere non potest, idque etiam *non ens* dicitur: ac demum ens *privativum*, quod rem quamdam non existentem, sive defectum rei in subjecto aliquo denotat; puta tenebras, cæcitatem, quæ absentiam lucis, ac visus tantum important: *carentias* vocabant nonnulli, *privationes* alii. *Privatio* tamen capacitatem in subjecto *ad terminum*, quo privatus est, ostendit; *carentia* non item.

19 Primum, quod in ente considerandum venit, est ejus *essentia*: hæc enim est illud, per quod res est hoc, quod est, & non aliud. Essentiam duplici modo possumus concipere, sive dividere in *physicam*, & *metaphysicam*. Es-

Essentia physica est complexum omnium proprietatum, quæ in natura cujusque entis inveniuntur. Metaphysica est illud attributum, aut attributa, ex quibus reliquæ proprietates descendere, ac veluti fluere videntur. Si mavis *logicam* etiam adjunge, quæ ex *genere proximo* & *ultima differentia* componitur, (Log. 18.) & *speciem* constituit.

20 Corol. 1. Essentia igitur rerum est necessaria, ita ut nullum ens possit suam essentiam amittere. Est enim essentia id, per quod res est id, quod est: ergo si essentiam amitteret, esset, quod est; nam adhuc supponitur esse ens; at simul non esset, quia amitteret id, per quod est tale ens: ergo essentia est necessaria.

21 Corol. 2. Essentia est immutabilis, ita ut ens aliam essentiam induere non possit. Eadem quippe contradictio verificaretur, quam modò indicavimus, si ens mutaret essentiam: nam necessariò supponi debet esse idem ens, quod aliam induit essentiam; & simul idem non esse, quum amittat id, per quod est id quod est, & non aliud.

22 Corol. 3. Essentia est æterna. Nimirum semper verum fuit ens A, *ex. g.* necessariò, atque immutabiliter id esse quod est, & non aliud. Neque dicas transmutationes rerum in alias continenter videri, puta lignum in ignem, cineres: hæc quippe mutatio non est essentiæ in essentiam, sed tantum importat lignum existere desivisse, aliaque ejus vice existere cœpisse. Ab æterno enim verum est necessariò, atque immutabiliter lignum, ignem, cineres essentias diversa habere.

23 Diversitas hæc ab attributis, sive notis characteristicis entis cujuslibet desumenda est, in hisque essentia constituenda. Contendebant cartesiani, ex unico attributo proprietates reliquas descendere, adeoque unum attributum tantum essentiam constituere. Fatendum est, sæpe plures notas characteristicas non inveniri, ex quibus reliquæ profluere concipiantur: tamen plerumque non ab una tantum, sed ab pluribus essentia potest definiri. Si a nota characteristica *rationis*, facultate *sentiendi* exclusa, hominem definires, cum aliis ratione utentibus confunderes, quales Angelos esse credimus.

24 Corol. 1. Notæ igitur, ex quibus reliquæ proprietates profluere concipiuntur, sunt *essentiales*, sive essentiam componunt, reliquæ extra essentiam erunt. In homine ex. g. vis sentiendi, & ratiocinandi notæ characteristicæ sunt, ex quibus profluere intelliguntur facultas ridendi, loquendi &c. quæ idcircò *proprietates* dicuntur.

25 Corol. 2. Notæ, quæ essentiam constituunt, a priori (Log. 214) demonstrari non possunt: secus est dicen-

dum de proprietatibus, quæ ab essentia dimanant; hæ quippe ab attributis essentialibus demonstrari possunt: ex. g. *est animal rationale*: ergo *est capax ridendi*, consequentia est a priori deducta. Vis enim ridendi a facultate ratiocinandi profluit.

26 Corol. 3. Ens, cujus attributa essentialia perspecta nobis non sunt, accuratè definire non possumus: quumque pauca sint in rerum universitate, quorum notas characteristicas intimè rimari possimus; essentias rerum ignotas nobis esse fateri debemus, & paucas definitiones acratas habere. Loquor de rebus in statu physico consideratis: aliter enim de rebus moralibus, atque abstractis dicendum est. Neque assentior Philosopho cuidam satis nobili, rationem discriminis ita explicanti: „ Ideo mens nostra *essentias entium abstractorum*, cujusmodi sunt objecta geometriæ, & moralis philosophiæ, tanta perspicuitate dignoscit, quia hæc entia nihil sunt, præter suarum idearum objecta: neque hæc aut sunt, aut quidpiam in se habent, nisi quod illis mens ipsa tribuit, quodque intuitivè percipit . . . . Ideò *entium physicorum essentias* tantum imperfectè admodum mens nostra dignoscit, uti Deum, materiam, animam hominis, aut brutorum; quia entia hæc essentiam habent ab ideis nostris minimè pendentem, quamque nonnisi summa difficultate, observationes meditationesque nostræ attingere possunt. „ Mihi quidem discriminis ratio hæc esse videtur, quod res geometricæ & morales plerumque notis simplicissimis constant, quas distinctè mens nostra percipere potest: secus evenit de rebus in statu physico consideratis, quarum notæ adeò involutæ & complicatæ sunt, quæ aut nullo modo, aut nonnisi admodum confusè percipiantur. Quod si prima explicatio magis alicui arriserit, eam adoptare per me licet.

27 In duplici statu essentia considerari potest, *actuali* nimirum, & *intelligibili*. In statu intelligibili essentiæ rerum sunt, quæ nondum existunt, aut esse jam desierunt. Status hic nihil positivum importat, neque aliud essentiæ intelligibiles sunt, quam ipsum objectum cognitionis divinæ, prout in mente Dei attributa essentiam constituentia aliquod esse logicum habent. Rem exemplo declaro. Globum terraqueum incendio periturum certò scio. Conflagratio ejusmodi in præsentiarum nullum esse habet nisi in mente mea, cujus cognitionem terminat, quin ignis ille e vinculis phlogisti dissolutus ultro citroque terrestris machinæ ligamina disrumpat, atque in *vulcanum* convertat. Hæc igitur incensio nunc purè intelligibilis est, suo tamen tempore extitura, atque ab statu intelligibili ad statum existentiæ transitura.

28 Quod si a me quæras, quid status hic existentiæ, sive ipsa existentia sit? Respondeo rem ex eorum numero esse, quæ facillimè a quovis concipiuntur, difficulter tamen explicantur; sive quæ explicatione obscuriores fiunt, quam simplici terminorum expositione. Complementum possibilitatis eam appellat Volfius; actualitatem essentiæ alii, alii *realitatem*. Fingas verba licet, nihil umquam clarius dices, quam quod verbum ipsum *existentia* præ se fert; satis enim norunt omnes, verbum hoc indicare, ens, de quo id dicitur, in rerum natura reperiri.

29 Quod si ens illud in se rationem sufficientem suæ existentiæ non ab alio, at in semetipso contineat, existentia ejus erit necessaria. Hoc autem Enti Supremo tantum convenire potest, quod ab infinita sua natura nullius indiga in semetipsa, includit necessitatem existendi. Reliquæ verò creaturæ a fœcunda Omnipotentis manu e nihilo ad *esse* translatæ, in productione creatoris rationem habent sufficientem existendi. Vide infra dicenda art. 120.

30 Corol. 1. Existentia nihil distinctum est ab essentia: est siquidem status (27) essentiæ, quæ ab actione Dei transfertur a non esse, ad esse. Globus ne tormento bellico explosus distinguitur a semet quiescente? Idem ipse est, motu impresso ab pulvere nitrato translatus ab uno in alium locum. Eodem modo concipere licet inertes rerum essentias perpetuo, ut ita dicam, suo nihilo jacentes, ab energica vi omnipotentiæ transferri ab statu non existendi ad existendum.

31 Corol. 2. Quum status intelligibilis diversus sit ab actuali (27); optimè cohæret quod essentia intelligibilis sit necessaria, æterna, immutabilis (20, & seq.); existentia vero contingens, temporaria, ac mutabilis. Rei status est alius, res eadem est. Status *actualitatis* addit solum actionem creatoris transmutantis rem ab statu purè intelligibili ad statum actualitatis, ut exemplo modò allato explicatum est.

§. II.

Attributa & Modi.

32 Attributa dicuntur notæ illæ, quæ ab essentia profluere concipiuntur, quæque etiam *proprietates essentiales* appellantur, eo quod in essentia rationem sufficientem existendi habeant. Neque hoc purum metaphysicorum commentum putes, perindè quasi essentiæ *res* tantum *conventionis* sint, uti placuit Lockio excogitare; idemque

esset facultatem ridendi in notam characteristicam assumere ad essentiam hominis constituendam, ac vim ratiocinandi, ut nunc fit, pro fonte proprietatum collocare. Sensus enim communis (Log. 273) nos ducit, ad eas notas in quolibet ente rimandas, quæ nobiliores sunt, atque inter ceteras peculiarem characterem imprimunt, quo ab aliis discernatur: ut quid res sit, exponamus, aut illius ideam nobis formemus. Signum igitur est, a natura ipsa nos instituì, ut notas, quas præcipuas in ente cognoscimus, ac veluti characteristicæ sunt, illud in tali *specie entis* constituentes, essentiam ejusdem componere.

33 Corol. Attributa essentiæ necessariò insunt, ab illaque abesse non possunt; idcircò ea quæ de essentia supre asseruimus (21) esse æternam, necessariam, immutabilem; ad attributa pariter transferendum est. Posita igitur essentia, & attributa poni necesse est, quum illa sit ratio sufficiens attributorum; positaque ratione sufficiente, & id, cujus est ratio sufficiens, poni debeat (14); & versa vice, attributis existentibus, essentiam poni necesse est, a qua rationem sufficientem existendi ipsa habent.

34 Plura sunt, quæ neque entis essentiam constituunt, neque ab ipsa dimanant, & tamen in eo reperiuntur, ita ut & abesse possint. Entis *modi* hi appellantur; quos & accidentia vocare solebant peripatetici. In homine præter vim sentiendi, ratiocinandi, ridendi &c. quæ essentialia constitutiva, & proprietates illius sunt, notantur colores, durities, figura, quæ passim in eodem individuo mutari animadvertimus: hos modos vocamus, aut si magis arrideat, etiam *accidentia* dicere, nullus contradicet.

35 Corol. 1. Modi rationem sufficientem in essentia tantum habere non possunt: alioqui, ipsa posita, necessario ponerentur, neque abesse umquam possent. Necessarium quidem est, essentiam aliqua accidentia comitari, adeòque ipsa est ratio sufficiens, cur accidentia existant: cur autem hæc potius, quam illa ponantur, ratio extra essentiam debet inquiri.

36 Corol. 2. In attributis pariter inquiri non debet ratio sufficiens existendi modorum, propter adductam nuper rationem: essent enim necessarii, quemadmodum necessaria sunt & attributa. Ab alio igitur extra essentiam hæc ratio petenda est, quam definire circumstantiæ ipsæ docere nos debent.

37 Schol. In modis concipere etiam possumus essentiam, & proprietates, quæ nihil aliud sunt, quam ipsorum existendi modus. Omne enim quod ens est, habere debet id, per quod tale ens est, & non aliud (19); a quo etiam

etiam fluunt quædam agendi, aut existendi proprietates, quæ in modificationibus facile distingui possunt. Motus, qui est quædam modificatio substantiæ, est *translatio corporis ab uno in alium locum*: en ejus essentiam. *Velocitas* autem, *rectitudo &c.* tanquam ejus proprietates concipi possunt. Alia infra dabimus §. 2. cap. 5.

CAPUT SECUNDUM.

Entis possibilitas, & impossibilitas.

§. I.

Notiones, & divisiones possibilis, & impossibilis.

38 Possibile est omne id, in cujus essentia nulla datur incohærentia notarum illam constituentium; sive quod nullam involvit contradictionem, adeòque ejus essentia ab statu intelligibili ad statum actualitatis transferri potest (27). Manifestum est hanc constitutivorum concordiam, ex qua entis non repugnantia ad existendum exoritur, ipsi *intrinsecam* esse debere. Alia enim est *possibilitas extrinseca*, quæ sita est in causa producente, a qua res transfertur ab statu *potentialitatis* ad statum existentiæ. Hinc prima dicitur possibilitas *intrinseca*, & *formalis*; altera *extrinseca*, & *causalis*.

39 Ex notione possibilis altera ipsi opposita sponte descendit. Quidquid nempe contradictionem inter constitutiva essentialia involvit, neque esse ullum intelligibile habere potest, neque ad statum actualitatis tranferri; adeòque *non possibile* sivè *impossibile* erit. Impossibilitas ab incohærentia sivè repugnantia notarum, quæ illius essentiam componere deberent, repetenda est. Quadratum rotundum ideò impossibile concipitur, quod nota sive character *quadraturæ angulositatem* includit, cui omninò repugnat altera rotunditatis: idcircò quadratum rotundum esset simul quadratum, quod supponitur; & simul non esset, quia rotundum; cujus idea idem fere exprimit ac non *angulorum*, aut saltem quatuor angulis non distinctum. Impossibilitas hæc dicitur *absoluta*, & *metaphysica*.

40 Corol. Quidquid existit in natura rerum, aut olim extitit, vel existet, possibile est: non tamen quidquid est possibile, necessariò existentiam habere debet. Valet igitur deductio ab *actu* ad *potentiam*, ut ajunt Dialectici: nulla est a *potentia* ad *actum*. Ea quæ numquam potentiam existendi ad actum reducunt, purè *possibilia* non incongruè dicuntur.

41 Plura sunt etiam, quorum aptitudo ad existendum

ex hypothesi repugnat, ut modo enuntiata purè possibilium, quæ ex suppositione, quod sint *pure possibilia*, existere non possunt: alioqui existerent, ut ponitur, & simul non existerent, quod ipsamet notio *purè possibilis* includit. Hæc impossibilitas *conditionata*, aut *hypothetica* dicitur. Altera est *impossibilitas naturalis*, quæ, attentis naturæ viribus, aliquid fieri non posse denotat, eo quod leges ab Auctore naturæ dictatæ hujusmodi indolem rebus impresserunt. Quum verò leges naturæ impositæ liberrimè sint; ipse, qui eas dictavit, sibi facultatem non interdixit, aliter operandi. Descensus gravium, a lege imposita rebus materialibus invicem *gravitandi* profluit: ipse tamen, qui hoc jussit, ferrum contra naturalem gravitatem sursum per aquas ferri atque ad manum Elisæi venire, imperare potuit. Demum, quæ nonnisi magna difficultate, adeòque raro admodum evenire solent, *moraliter impossibilia* dicuntur.

42 Corol. Ex hactenus dictis haud ægre deduces, quænam *naturaliter possibilia* sint; ea nempe quæ naturæ vires non excedunt. At quæ, licet viribus naturæ resistant, Omnipotentis manus patrare valet, *supernaturaliter* possibilia dicuntur; denique omnia, quæ, nulla difficultate obstante, accidere facile possunt, *moraliter possibilia* dictitantur.

§. II.

Rerum possibilitas intrinseca rursus examinatur.

43 Cartesius, vir acerrimo ingenio præditus, ut nonnulla, quæ ejus systema convellebant, explanaret, possibilitatem rerum a libera Dei voluntate pendere excogitavit. Per ipsum quadratum rotundum ideò impossibile est, quia Deus ita decrevit: quod si quadrata rotundis miscere voluisset, nullam hæc figura chimerica contradictionem includeret. In rebus metaphysicis hujusmodi paradoxa invenire, atque utcumque sustinere difficile non est; ea tamen intellectui a partium præjudiciis libero persuadere, numquam eveniet.

44 Positio. *Rerum possibilitas intrinseca non dependet a libera Dei voluntate*. Prob. Si possibilitas penderet a Dei voluntate, posset facere, quæ contradictionem includunt, sivè ut res simul esset, & non esset; hoc fieri non potest: ergo possibilitas est independens a libero Dei arbitrio. *Prob. min.* Per actionem, qua Deus faceret, ut res esset, illam poneret; per alteram, qua faceret, illam non esse, eamdem destrueret: nimirum duobus viribus oppositis, ac se invicem destruentibus operaretur: ergo nullus se-

sequeretur effectus. Quod si dicas, hoc facere Dei voluntatem, ut tollatur hæc contradictio, ac vi decreti divini, id quod prius contradictionem includebat, amplius eam non involvat; pugnantia loqueris, ac tuo te cultro jugulas. Nam si circulum quadratum ex. g. Deus vellet existere, & contradictionem non involvere; vellet circulum esse, ut ponitur: at si hic circulus est, in ejus idea clara, & distincta continetur exclusio *angulositatis* quadratæ: ergo possum affirmare illum non esse quadratum: coteroqui ponis illum esse a voluntate Dei quadratum: ergo adhuc remanet contradictio.

45 Confirm. Essentiæ rerum sunt necessariæ, & immutabiles (20); at si possibilitas a Dei voluntate manaret, essentiæ contingentes, ac mutabiles essent; quippe vi decreti divini, id quod in suis constitutivis nullam incohærentiam involvebat, eam involveret; ac versa vice: ergo corruit effatum illud Leibnitii Cartesio conniventis: *Deus essentia sua est fons possibilitatum, voluntate sua essentiarum*.

46 Corol. 1. Omnipotentia Dei non est intrinseca rerum possibilitas, sed tantum extrinseca, a qua dependet tamquam a causa producente. Sublata igitur omnipotentia, adhuc remaneret cohærentia constitutivorum, in qua rerum possibilitas sita est; quamvis in illa absurda hypothesi possibilitas extrinseca, qua entia ad statum existentiæ traducerentur, auferatur. Neque aliquod constitutivum intrinsecum, nempe dependentia a Deo, ab ipsis tolleretur: semper enim verum esset, quod si aliquando existerent, ab omnipotentia suam existentiam nanscici deberent.

47 Corol. 2. Illud tantum est dicendum *metaphysicè impossibile*, cujus notæ characteristicæ pugnare invicem perspicuè videntur. Hinc magna attentione opus est ad definiendum, num res aliqua sit impossibilis. Posset enim contingere, pugnam illam ab adjunctis provenire, quin rerum intrinseca constitutivæ contradictionem involvant; quod rem solum *hypothetice* impossibilem redderet (41). Demum quum energia naturæ intimè nobis perspecta non sit, non idcircò res *naturaliter impossibilis* dicenda est, quod introspicere nequeamus, qua ratione aliquid fieri possit. Ceteroquin, quæ contra leges naturæ pugnare videmus ea perspicuitate, qua cetera juxta naturæ leges fieri conspicimus, *naturaliter impossibilia* esse, sensus communis nos docet.

48 Arg. 1. Si rerum possibilitas ab voluntate Dei non penderet, ejus omnipotentia minueretur: hoc non est admittendum: ergo possibilitas a Dei voluntate repeti debet. R. *neg. maj.* In idea omnipotentiæ perspicue, atque

evidentissimè solum involvitur id facere, quod fieri potest; minimè chimærica atque absurda patrare. Quæ enim esset illa potentia, quæ duas actiones, aut vires invicem pugnantes, ac semet destruentes exereret, ut rem produceret? quod in rebus chimæricis fieri supra ostendimus (44). Neque carere ejusmodi absurda potentia, est aliqua perfectione minui: imò quia est infinitè perfecta, ad absurda extendi non debet; quemadmodum quia est infinitè sancta, caret potentia ad peccandum.

49 Insistes. Si possibilitas non dependet a voluntate Dei, voluntas Dei pendet a possibilitate: at hæc dependentia est imperfectio: ergo. R. *dist. maj.* pendet a possibilitate, tamquam a termino extrinseco suæ actionis, *conc. maj.* tamquam ab aliquo potentiam suam adjuvante, *neg. maj.* „ Nonne Deus, ait P. Mako, etiam ad res cognoscendas opus habet cognitionum suarum objecto? Nec tamen ulla in eum redundat imbecillitas. Nempe non indiget Deus his tamquam causis molitionem adjuvantibus, sed tamquam terminis, quibuscum operatio Dei effectrix connectatur „. *Mako Ont. n.* 26.

50 Inst. 2. Res non possunt habere suarum notarum concordiam, nisi a voluntate, aut ab omnipotentia Dei: ergo ab alterutra est repetenda possibilitas. *Prob. ant.* Hæc concordia est perfectio: at omnis perfectio descendit a Deo: ergo. R. *dist. ant.* non possunt habere &c. in statu purè *intelligibili* aut *logico*, *neg. ant.* in statu physico, *conc. Dist.* etiam *maj. prob.* hæc concordia est perfectio intelligibilis, & logica, *conc. maj.* physica, *subdist.* quando est in statu purè intelligibili, *neg. maj.* in statu physico, *conc. maj.* Eisdem terminis procedi debet ad distinctionem minoris.

51 Argum. 2. Ab æterno existit rerum possibilitas: atqui ab æterno solum attributa divina existunt: ergo in his est ponenda, nimirum in omnipotentia, a qua producuntur. R. *dist. maj.* ab æterno existit *logicè*, sivè in statu purè intelligibili, *conc. maj.* existit *physicè*, *neg. maj.* vide dicta *art.* 22. id enim, quod de essentia inibi diximus, possibilitati ad amussim quadrat.

52 Inst. Non potest admitti aliquid etiam *logicè* æternum, præter Deum: ergo. *Prob. ant.* Non potest admitti aliquid neque *logicè* infinitum, præter Deum: ergo neque æternum. *Prob. cons.* ideò primum, quia infinitudo est attributum divinitatis: at æternitas est etiam ipsius attributum: ergo. R. *negatis duobus ant. dist. maj.* ultimi syllogismi. Ideò *dumtaxat* quia est attributum divinitatis, *neg. maj.* & quia infinitudo *logica* necessariò arguit etiam *physicam*, *conc. maj.* Infinitudo *logica* est infinitas possibilis, quæ eo ipso, quod possibilis sit, & *physicè* existere debet. Si enim perfectio existentiæ illi deficeret, infinita non esset. Ex eo autem, quod res sint possibiles, minimè deducitur easdem existere: imò deducitur ipsas ab æterno non extitisse, eo quod tantum logicè æternæ sint.

53 Corol. Ex hactenus dictis spontè deducitur, *adæquatam* rerum possibilitatem, quæ & *intrinsecam*, atque *extrinsecam* includit, statuendam esse in omnipotentia Dei, & concordia constitutivorum essentiam componentium.

CAPUT TERTIUM.

De generalibus Entis affectionibus.

Generales Entium affectiones illas vocant Metaphysici, quæ cuilibet enti communes sunt: proprietates etiam *transcendentes* licet appellare, eò quod omnia entium genera pervadant, aut transcendant. Veteris scholæ Auctores has sex affectiones transcendentes posuerunt *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Unum*; videlicet de omni, quod intra universitatem possibilium concipi potest, verè possunt sex hæc attributa prædicari, quod sit *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*. Parum de vocabulis solliciti, id tantum explicare debemus, quod aliquam notionem dilucidiorem continet. Manifestum quippe est, tria illa *Res*, *Ens*, *Aliquid* pura puta vocabula esse, quæ idemmet ferè significant, quin thesaurum metaphysicarum notionum adaugeant. Quare de veritate, bonitate, atque unitate entis tantum nobis dicendum erit.

§. I.

De veritate Entis.

54 De veritate logica jam disseruimus alibi (Log. 139.): sermo hic nobis est de *veritate metaphysica*, per quam res verè est id, quod est; idcircò eam definire sic possumus: *conformitas entis cum sua essentia*. Essentiæ autem omnes rerum possibilium *esse* quoddam logicum, sivè *intelligibile* habuerunt ab æternitate in mente divina, in qua ideæ *archetypæ* rerum omnium existebant, ac veluti in tabula (si ita loqui fas est) universitas rerum, ac futurorum omnium eventuum series repræsentabatur. Conformitas igitur uniuscujusque entis cum illa imagine archetypa ea omnia exhibente, quæ ab æterno veluti in tabula designabantur, veritas metaphysica dici etiam potest.

55 Corol. Omnia igitur entia veritatem transcendentalem habent; nempe vera sunt eo sensu, quo omnis res est id, quod est: sivè conformis est essentiæ, quæ in divi-

vina mente repræsentatur. Mendacium ipsum hoc sensu veritatem metaphysicam continet, ac verum est, ipsum *esse dictum tuo objecto non conforme*.

56 Schol. Nonnulli veritatem entis in eo sitam esse ajunt, quod res sint cognoscibiles, ac respondeant notionibus, quas de ipsis intellectus formare potest. Alii in eo ponunt, quod ens eo ipso quod possibile sit, a contradictione liberum est, ac proinde cum principio contradictionis congruit. Deinde quoniam nihil est, nec esse potest sine ratione sufficiente, quodlibet ens congruit cum principio rationis sufficientis; atque in hujusmodi convenientia cum utroque principio veritatem trascendentalem collocant. Explicationes diversæ sunt, idem tamen objectum referunt.

§. II.

De Entis bonitate.

57 *Bonitas metaphysica*, de qua hic nobis sermo, nihil commune habet cum bonitate morali, nisi quod & hæc rationem bonitatis metaphysicæ participat. Ceteroqui malum ipsum morale bonitatem suam habet *transcendentalem*, seu metaphysicam. Hæc nimirum est ratio illa, per quam ens perfectum in sua essentia constituitur; seu nihil illi deest, ut sit tale, & non aliud: unde & *perfectio* ab aliis solet nuncupari. Neque hæc explicatio multum differt ab ea, quam passim adhibent recentiores, *perfectionem*, seu *bonitatem transcendentalem* in eo statuentes, quod res quælibet apta sit ad finem sibi ab Auctore naturæ præstitutum. Hoc enim sponte descendit ex eo, quod ens habeat ea constitutiva, per quæ in suo genere perfectum constituitur.

58 Bonitas, seu perfectio duplex distinguitur; altera *essentialis*, quam art. antec. explicavimus; ac tale nomen sortitur, quod ab ente salva ejus essentia abesse nequit: *accidentalis* altera, quæ idcircò abesse potest, immutata rei essentia; eam tamen quodammodò perficit. In homine membrorum integritas, vigor, concinnitas perfectiones sunt, quas frustra in omnibus requiras, etiamsi perfectione essentiali numquam destitui possint.

59 Corol. In duplici sensu accipi potest, quod res sit in suo *genere perfecta*. Si de perfectione essentiali sermo sit, res omnes hoc sensu perfectæ sunt: quum nihil illis desit, ut sint id, quod sunt, ac fini ab rerum Conditore præstituto deserviant. Quod si de perfectione accidentali loquamur, illud erit *in suo genere perfectum*, cui omnes perfectiones accidentales sibi respondentes obtigerint.

60 Schol. Non abs re erit alias hic inserere notiones, quæ etsi ad thema propositum non pertineant, affinia tamen sunt, atque ex præjactis notionibus descendunt. Perfectio *comparativa*, quæ ad *accidentalem* referri debet, ab entium collatione definitur. Illud altero perfectius dicitur, quod majorem numerum notarum perfectionem accidentalem constituentium includit; aut easdem notas majore perfectione donatas possidet. Vir litteris excultus perfectior erit altero, qui nescit quatuor conjungere verba. Ceterum comparatio intercedere debet inter notas ejusdem generis; plerumque enim accidit, ut res perfectior in quodam genere, in altero imperfectior sit. Rusticus Philosophum sæpius viribus, ac bona valetudine superat; etiamsi ab illo mentis cultura excedatur. Gradus etiam imperfectionis modo hactenus exposito æstimari debent. Non quod ens aliquod perfectione, seu bonitate transcendentali carere possit: omnia quippe in se spectata perfectione gaudent, qua perfecta in suo genere (59) constituuntur; sed quia cum aliis collata, minoris sint perfectionis, ac proindè imperfecta dici possint. Sic animalia quædam imperfecta dicimus, quæ omnem perfectionem sui generis continent, ut insecta; quia cum aliis perfectionibus comparata, deterioris sunt conditionis. Hoc sensu creaturæ imperfectæ, imò imperfectissimæ censendæ sunt, si cum infinita Entis supremi perfectione eas conteulerimus.

§. III.

De Entis unitate.

61 Illud dicitur *unum* in suo genere, quod non est divisum in plura ejusdem denominationis: ex. g. acervus frumenti erit unus, quamdiù grana simul congesta sint: quæ si in minores conglomerationes distribuantur, jam loco unius plures acervi consurgent.

62 Corol. 1. Res eadem diversimodè considerata potest esse una, & multiplex. Insistendo exemplo modò allato, acervus tritici est unus acervus, quamvis non sit unum granum, sed ex pluribus coalescat. Hoc passim occurrit in his, quæ tota per *aggregationem* vocantur. Divisio igitur entis in plura alterius denominationis, ejusdem unitatem non destruit.

63 Corol. 2. Non est confundenda unitas cum absoluta *indivisibilitate*. *Tota* enim *per aggregationem* divisibilia sunt in plura minora ejusdem denominationis. Ens tamen eo genere, quo unum, indivisibile etiam est. Acervus tritici indivisibilis non est; neque verò illum diviseris, quin pri-

primam ejus unitatem destruxeris, fiantque plures acervi.

64 Schol. Ex unitate hactenus exposita notio *individui* spontè fluit. Individuum illud explicant, quod est *indivisum a se*, & *divisum ab aliis*. Ens quodlibet eo sensu, quo est unum, etiam est individuum, sive indivisum a se, & divisum ab aliis. Nimirum principium seu ratio sufficiens individuationis, est unitas essentiæ, qua quisque suo modo *essendi*, & existendi ab aliis divisus est.

65 Corol. Unitas *individualis* dicitur etiam *numerica*; est enim id, per quod ens unum numero constituitur in sua specie. Unde etiam *unitatem specificam* distinguere oportet, qua plures numero distincti in specie conveniunt; uti Petrus, & Paulus, qui etiamsi numericè distincti sint, sub eadem specie humana comprehenduntur. Quæ verò etiamsi *numero*, & *specie* differant, *genere* conveniunt (Log. 19), *unitatem genericam* habent: sic omnia facultate sentiendi prædita, sub genere animalium includuntur. Unitas, *identitas* etiam solet nuncupari: unde non infrequentes sunt loquutiones; esse *idem specie*, *genere* &c. *identitas specifica*, *generica*, quæ tantum similitudinem, sivè unitatem in genere, aut specie indicant.

66 Rursus unitas, vel est *simplicitatis*, vel *compositionis*. *Unum* erit simplex si partibus distinctis non coalescat, ut Deus, Angelus, anima; quod si partibus distinctis constet, erit *compositum*, ut homo ex corpore, & anima. Porrò si partes natura sua destinatæ sint ad *unum* componendum; *totum* aut *unum per se* vocatur: quum verò partes fortuitò conglobantur, quin natura sua ad compositionem tendant, dicetur *unum per accidens*. Exemplum habes in anima & corpore, quæ ex se ad hominem componendum intendunt, adeòque *unum per se* constituunt. Plures verò homines civitatem componentes, unum *per accidens* efficiunt.

67 Inter præcipuas *unitatis per accidens* species recensenda est *unitas ordinis*. Ordo est dispositio rerum secundum aliquam analogiam inter ipsas relucentem. Exemplum vulgare est bibliotheca, in qua libri ordinantur juxta classes scientiarum, ad quas pertinent. Ordo vel *simplex* est, vel *compositus*. Simplex ille erit, in quo unica tantum ratio analoga dispositionis relucet: quemadmodum si in bibliotheca nullam aliam regulam sequaris ad libros distribuendos, quam scientiarum diversitatem. Quando verò præter dicta, & molis, & auctorum antiquitatis rationem habueris, ordo erit compositus.

68 Quò plures analogiæ in ordine relucent, concinniot erit, ac venustior; ideò in universitate rerum pulcherrimum opus Omnipotentis manus licet mirari, quod in eo tot sint conglobatæ analogiæ se invicem respicientes, ut ex

ex ipsamet rerum apparente discordia, unitas quædam resultet.

69. Regula, sive analogia, in qua ordo fundatur, adeò multiplex esse potest, ut ipsa rerum disponendarum relatio. Frequentius tamen in ordine attenditur *tempus*, *dignitas*, *natura*, *situs*, *cognitio*, *finis*. Quæ sint ordinata secundum *tempus*, *dignitatem*, & *situm*, facile quisque percipiet. Ordo secundum *naturam* est in illis, quorum unum est alterius causa, aut saltem influxum in alterum exercet. Ordo secundum *cognitionem* idem est ac ordo juxta methodi leges: quatuor partes metaphysicæ una scientia dicuntur, quia juxta methodi regulas ita dispositæ sunt, ut una ad alteram ducat, omnesque integrum objectum disciplinæ exhauriant. Demum *unum unitate finis* illud vocatur, in quo plura ad eumdem finem instituta sunt: hoc sensu universitatem rerum mundum vocamus, quasi unicum esset ens, quod omnia existentia complectatur.

CAPUT QUINTUM.

De affectionibus Entis contrapositis.

§. I.

Identitas, & Distinctio.

70 Notiones *identitatis*, & *distinctionis* adeò perspicuæ sunt, ut frustra illarum definitiones adducere conaris, quin obscuriores evadant. Omnes enim facilè concipiunt, *identitatem* inter aliqua intercedere, idem significare, atque habere *unitatem in essentia*: *distinctionem* verò exprimere *diversitatem* aut rectius *dualitatem*. Non imprudenter hanc correctionem apposui: aliud namque est duo esse *diversa*, ac esse *distincta*: duo pondera unius libræ distincta sunt, non diversa; potest quippe unum pro altero substitui in ordine ad examinandum pondus alicujus rei. Uncia autem, & pondo diversa sunt, quum nequeant invicem substitui modo indicato. Ex his harum vocum notiones haud ægrè concipies: eas tamen promiscuas haberi passim animadvertes. Re tamen vocabula contraposita sunt *identitas*, & *distinctio*, *diversitas*, & *similitudo*. Distinctio separationem notarum essentiam componentium tantum indicat; diversitas etiam dissimilitudinem.

71 Identitas dividitur 1. in *realem & formalem*. Realis inter ea datur, quæ etsi notionibus diversis concipiantur, eamdem habent essentiam: *ut animal*, *& rationale* in homine, quæ re idem sunt, quamvis notiones diversæ sint.

Iden-

primam ejus unitatem destruxeris, fiantque plures acervi.

64 Schol. Ex unitate hactenus exposita notio *individui* spontè fluit. Individuum illud explicant, quod est *indivisum a se*, & *divisum ab aliis*. Ens quodlibet eo sensu, quo est unum, etiam est individuum, sive indivisum a se, & divisum ab aliis. Nimirum principium seu ratio sufficiens individuationis, est unitas essentiæ, qua quisque suo modo *essendi*, & existendi ab aliis divisus est.

65 Corol. Unitas *individualis* dicitur etiam *numerica*; est enim id, per quod ens unum numero constituitur in sua specie. Unde etiam *unitatem specificam* distinguere oportet, qua plures numero distincti in specie conveniunt; uti Petrus, & Paulus, qui etiamsi numericè distincti sint, sub eadem specie humana comprehenduntur. Quæ verò etiamsi *numero*, & *specie* differant, *genere* conveniunt (Log. 19), *unitatem genericam* habent: sic omnia facultate sentiendi prædita, sub genere animalium includuntur. Unitas, *identitas* etiam solet nuncupari: unde non infrequentes sunt loquutiones; esse *idem specie*, *genere* &c. *identitas specifica*, *generica*, quæ tantum similitudinem, sivè unitatem in genere, aut specie indicant.

66 Rursus unitas, vel est *simplicitatis*, vel *compositionis*. *Unum* erit simplex si partibus distinctis non coalescat, ut Deus, Angelus, anima; quod si partibus distinctis constet, erit *compositum*, ut homo ex corpore, & anima. Porrò si partes natura sua destinatæ sint ad *unum* componendum; *totum* aut *unum per se* vocatur: quum verò partes fortuitò conglobantur, quin natura sua ad compositionem tendant, dicetur *unum per accidens*. Exemplum habes in anima & corpore, quæ ex se ad hominem componendum intendunt, adeòque *unum per se* constituunt. Plures verò homines civitatem componentes, unum *per accidens* efficiunt.

67 Inter præcipuas *unitatis per accidens* species recensenda est *unitas ordinis*. Ordo est dispositio rerum secundum aliquam analogiam inter ipsas relucentem. Exemplum vulgare est bibliotheca, in qua libri ordinantur juxta classes scientiarum, ad quas pertinent. Ordo vel *simplex* est, vel *compositus*. Simplex ille erit, in quo unica tantum ratio analoga dispositionis relucet: quemadmodum si in bibliotheca nullam aliam regulam sequaris ad libros distribuendos, quam scientiarum diversitatem. Quando verò præter dicta, & molis, & auctorum antiquitatis rationem habueris, ordo erit compositus.

68 Quò plures analogiæ in ordine relucent, concinniot erit, ac venustior; ideò in universitate rerum pulcherrimum opus Omnipotentis manus licet mirari, quod in eo tot sint conglobatæ analogiæ se invicem respicientes, ut ex

ex ipsamet rerum apparente discordia, unitas quædam resultet.

69. Regula, sive analogia, in qua ordo fundatur, adeò multiplex esse potest, ut ipsa rerum disponendarum relatio. Frequentius tamen in ordine attenditur *tempus*, *dignitas*, *natura*, *situs*, *cognitio*, *finis*. Quæ sint ordinata secundum *tempus*, *dignitatem*, & *situm*, facile quisque percipiet. Ordo secundum *naturam* est in illis, quorum unum est alterius causa, aut saltem influxum in alterum exercet. Ordo secundum *cognitionem* idem est ac ordo juxta methodi leges: quatuor partes metaphysicæ una scientia dicuntur, quia juxta methodi regulas ita dispositæ sunt, ut una ad alteram ducat, omnesque integrum objectum disciplinæ exhauriant. Demum *unum unitate finis* illud vocatur, in quo plura ad eumdem finem instituta sunt: hoc sensu universitatem rerum mundum vocamus, quasi unicum esset ens, quod omnia existentia complectatur.

CAPUT QUINTUM.

De affectionibus Entis contrapositis.

§. I.

Identitas, & Distinctio.

70 Notiones *identitatis*, & *distinctionis* adeò perspicuæ sunt, ut frustra illarum definitiones adducere conaris, quin obscuriores evadant. Omnes enim facilè concipiunt, *identitatem* inter aliqua intercedere, idem significare, atque habere *unitatem in essentia*: *distinctionem* verò exprimere *diversitatem* aut rectius *dualitatem*. Non imprudenter hanc correctionem apposui: aliud namque est duo esse *diversa*, ac esse *distincta*: duo pondera unius libræ distincta sunt, non diversa; potest quippe unum pro altero substitui in ordine ad examinandum pondus alicujus rei. Uncia autem, & pondo diversa sunt, quum nequeant invicem substitui modo indicato. Ex his harum vocum notiones haud ægrè concipies: eas tamen promiscuas haberi passim animadvertes. Re tamen vocabula contraposita sunt *identitas*, & *distinctio*, *diversitas*, & *similitudo*. Distinctio separationem notarum essentiam componentium tantum indicat; diversitas etiam dissimilitudinem.

71 Identitas dividitur 1. in *realem & formalem*. Realis inter ea datur, quæ etsi notionibus diversis concipiantur, eamdem habent essentiam: *ut animal*, *& rationale* in homine, quæ re idem sunt, quamvis notiones diversæ sint.

Iden-

Identitas rationis intercedit inter ea, quorum unum sine altero concipi nequit: hominis notionem numquam habebis, quin esse *animal rationale* cognoscas. 2. In *adæquatam*, & *inadæquatam*: prima intervenit inter ea, quæ secundum omnia sua constitutiva idem sunt: altera inter totum, & illius partem intercedit: binarium ex. g. cum unitate *inadæquate* idem est, quia unitas pars est binarii. 3. In *puram & mixtam*: cave hoc membrum divisionis cum antecedente confundas; neque enim idem est identitas *inadæquata*, *ac mixta*. Hæc tantum inter essentiam & personas divinas reperitur in ineffabili Trinitatis mysterio, ubi natura divina tres personas distinctas inter se, & cum essentia *identificatas* includit. Ceterum in rebus creatis identitas *pura* solum invenitur, videlicet non admixta distinctione. Demum identitas *moralis* illa dicitur, quæ in re physicè variata, in existimatione tamen eadem permanente, invenitur. Qui mutuo dat pecuniam, eamdem recipere dicitur, quum valor ejusdem ipsi a debitore restituitur, etiamsi nummi distincti sint. Quod si idemmet nummi accepti restituantur, *physica* erit.

72 Ex præmissis divisionibus *identitatis*, etiam *distinctionis* partitiones deducuntur. Nam 1. *distinctio realis* inter duo, quorum unum non est realiter aliud, sivè essentias distinctas habent, intercedit. *Rationis* vero, sivè intellectualis distinctio identitatem realem supponit, ac diversitatem tantum inter *conceptus formales* (Log. 12), sivè modum nostrum concipiendi includit, ut inter animal & rationale. 2. *Adæquata distinctio* inter ea, quæ ne *inadæquatè* sunt idem, ut anima, & corpus, intervenit. Corpus verò ab homine *inadæquatè* distinguitur, quum sit illius pars, non totus homo. 3. Quod ad distinctionem *puram & mixtam*, *physicam & moralem* attinet, notiones sunt superfluæ, quum nullibi usurpentur.

73 Alias insuper distinctionum species exponere oportet, eo quod in physica, ac theologia usurpari soleant. Distinctio *modalis* est illa, quæ inter ens, ac ejus modos intervenit (34). Fatendum tamen, hanc modalem distinctionem esse puram putam distinctionem *realem*. Globus enim cereus in cubum, ac mille alias figuras conformari potest, essentia ceræ eadem manente, quod certissimum argumentum est distinctionis realis. Unum tantum discrimen intercedit; nimirum, quod modi sunt inseparabiles a re cujus sunt modi, neque sine illa concipi possunt.

74 Celebres olim fuerunt inter philosophos peripateticos, atque etiam inter theologos locum habent *distinctio formalis ex natura rei*, & *virtualis*. Prima nomen ducit ab attributis essentialibus rei, quæ *formalitates* etiam vocantur. Ex. g. in homine *animalitas*, *rationalitas*, *substantialitas &c. formalitates* sunt, quæ etsi realiter idem sint in homine, ex natura sua formalitates sunt distinctæ independenter a nostro concipiendi modo, inter quas distinctio realis intervenire non potest; quum res non sint, nec separabiles, sed tantum formalitates, quæ verè atque independenter a nostro concipiendi modo plures in ente reperiuntur. Idem pariter ad attributa divina transferunt auctores hujus distinctionis, quam a Joanne Duns, qui ab ejus patria Scotus dictus est, inventam referunt; quamvis ejus notiones in operibus S. Bonaventuræ legantur. Per hos igitur auctores omnipotentia, bonitas &c. tam inter se, quam cum essentia divina distinctione formali ex natura rei modo jam explicato distinguuntur. Quid autem nobis de hac sententia videatur, philosophi e familia Franciscana, per hos, illustris dies Josephi Tamagna verbis exponemus. „ Si quis, inquit laudatus Auctor, a me nunc exquirat, quid de hac nostræ scholæ distinctione opiner, dicam breviter quod sentio. Quod pertinet ad creaturas, nullius mihi videtur momenti hæc controversia: siquid enim in metaphysicis profeci, vidi equidem, nec libertinorum confutandæ insaniæ, nec stabiliendis veris theologiæ naturalis dogmatibus *formalem distinctionem* lucem umquam attulisse: quapropter cum in id nervos omnes intendamus, ut quæ sunt solum necessaria, aut saltem admodum utilia in controversiam revocemus, reliqua autem, quibus inania sapiunt sit propositum relinquere, ideò quæstionem hujusmodi non instituendam ducimus „, (*Ont. Sect.* 2. *art.* 5. §. 1.).

75 Totidem verbis idem de distinctione virtuali dictum habe: ejus tamen expositionem præterire non licet. Distinctio virtualis per auctores hujus sententiæ est virtus distinctionis realis ad evitanda contradictoria, quæ alioqui talia essent, si hæc distinctio non daretur: ex. g. homo per animalitatem similis est leoni, per rationalitatem similis eidem non est; cum lapide in notionibus *entis* & *substantiæ* convenit, reliquis notis *viventis*, *sensibilis* non convenit: en igitur contradictoria, quæ talia forent, nisi virtute distinctionis realis veluti quodam pharmaco sanarentur, quin ipsa distinctio reapse intercedat. Recentiores aliqui aliam distinctionem virtualem confixerunt, quæ nihil aliud est, quam *distinctio rationis*, sivè fundamentum, quod habet intellectus, ut concipiat veluti distincta, quæ realiter sunt idem: hanc etiam *fundamentalem seu virtualem extrinsecam* appellant. Hujusmodi distinctionem tam in attributis divinis, quam in creatis, nullus etiam ex impugnantoribus prædictarum opinionum admittere gravabitur. Quis enim dubitat tam in attributis divinis, quam

a creatarum rerum proprietatibus ansam dari, ut rem unam, puta divinam essentiam, in plures veluti partes cogitatione dividamus? Sapientiam æternam concipimus tamquam mentem immensam, in qua omnes rerum ideæ sine ulla confusione, eo ordine, claritate, qua fuerunt, sunt, ac erunt, veluti in limpidissimo speculo repræsentantur; quin interim de justitia Dei, bonitate, ut sanctitudine cogitemus. A longe inter cespites ignotum objectum aspicio, quod motu progressivo se moventis speciem indubiam præsefert: aliquod animal esse deduco, a sensu communi edoctus, nihil se movere posse, quod capax sensationis non sit: amicum deinde per aliam viam idem nemus ingressum ex ejus allocutione cognosco, ac judico rationis participem, quem prius tantum animal facultate se movendi præditum noveram. En quomodo & fundamentum in rebus, & in intellectu virtus ad separanda ea, quæ extra mentem res una, eademque sunt, reperiatur. Vide quæ diximus art. 37. Logicæ.

§. II.

Singulare & Universale.

76 Ex notionibus *unitatis* (64) individualis deducitur quid sit *singulare*, illud nimirum quod unum est in essentia, seu est omnimodè determinatum, ac proindè unum in sua specie constituitur. Idem enim est esse singulare, ac individuum suæ speciei.

77 Corol. Omnia igitur, quæ in rebus existunt, aut existere possunt, singularia sunt, quum nihil queat poni, quod omnimodè determinatum non sit. A quo tamen hæc determinatio, sive *principium individuationis* provenit? Fuerunt, qui illud in materia constituerent, ita ut *spiritus* omnes diversæ speciei judicarent, puta Angelos, eo quod nec materia concreti sint, nec relationem ad materiam habeant, ut anima hominis.

78 Positio 1. *Principium individuationis statuendum est in omnibus constitutivis, per quæ res determinatur, ut una sit. Prob.* Ab eo sumendum est principium individuationis, per quod res una constituitur *unitate numerica* (64); at hoc præstant omnia sua intrinseca constitutiva: ergo ab his provenit ejus *individuatio. Prob. min.* ratio sufficiens, cur Petrus sit tale individuum speciei humanæ, est, quia habet hæc intrinseca constitutiva, & non alia; his enim positis, intelligitur Petrum esse *indistinctum*, *aut divisum a se*, *& divisum ab aliis*.

79 Objiciunt. Materia efficit rem singularem, atque omnimodè determinatam: ergo ab ea sumendum est principium individuationis. R. *Dist. ant.* Materia efficit *sensibiliter* &c. *conc. ant.* metaphysicè, *neg.* In hunc fortasse scopulum impegerunt, qui ejusmodi opinionem excogitarunt, videntes, res sensibiles nobis fieri atque unam ab alia discerni per concretionem materialem, quam habent. Quod si placeat, *individuationem sensibilem* hanc appellare, atque a materia sumere, per me licet: hæc tamen potius a modis, seu accidentibus sumenda foret, quum materia per illam sensibilis nobis fiat.

80 Universale est *unum in multis*; quod tripliciter concipi potest: 1. *in genere causæ*, sivè ut ajunt, *in causando*: qualis est Deus, a quo omnia procedunt, & causa universalis dicitur. 2. *in genere signi*, sive in *repræsentando*, *significando*, aut *prædicando*: sic vox *homo* repræsentat, significat, & prædicatur de omnibus hominibus. 3. demum *in genere naturæ*, quod *in essendo* dicitur, eo quod revera sit unum, & multiplex.

81 Corol. Duæ illæ species universalis in genere *causæ & signi* sine ulla controversia sunt admittendæ. Quin de Deo loquamur, intellectum nostrum ab singularibus notas quasdam abstrahere, quæ pluribus sunt communes, adeoque & ipsa repræsentant sub illis notis, a quibus etiam significantur, quum voce proferuntur, ac verè de ipsis affirmantur in propositionibus; res est vel ipsis dialecticæ imperitis notissima. Hinc quinque prædicabilia Porphyrii (Log. 18), totidem sunt species universalis, quæ non nisi in intellectu nostro locum obtinent. *Genera* enim, *species*, *differentiæ &c.* sunt notæ essentiales ab intellectu nostro abstractæ, quæ in rebus nonnisi contractæ reperiuntur. At natura cujusque speciei, hominis ex. g. nonne est una, quæ in plura individua dispescitur? Ita sane aliquibus visum est; quid nos sentiamus, sequenti assertione exponemus.

82 Positio 2. *Universale extra mentem nostram nec esse, nec concipi potest.* Prob. Notio *universalis* est, quod sit unum in multis: hoc autem apertè pugnat cum *principio contradictionis*: ergo universale in rebus non datur. *Prob. min.* Idea unitatis *metaphysicè* excludit alteram multiplicitatis; at universale utramque includit: ergo esset simul unum, & non unum, multiplex, & non multiplex. Præterea in rebus omnia determinata sunt, & individua (77): at universale est quid indeterminatum, & vagum: ergo non datur.

83 Objiciunt. Natura humana est multiplex in omnibus hominibus, & singularis in quovis: at hæc est ipsamet notio *universalitatis*: ergo &c. R. *neg. min.* Nam hæc natura singularis in Adamo non est eadem identitate reali, quæ per omnia individua propagatur; quod notio uni-

versalis *in genere naturæ* designat, alioquin omnia individua speciei humanæ essent unicus homo. Similitudo quædam notarum essentialium in individuis cujusque naturæ reperitur, quæ præbet intellectui fundamentum, ut illa confundat, ac veluti unum repræsentet, abstrahens ab notis individualibus, alterum ab altero ex individuis discernentibus. Verùm pudet in hujusmodi ineptiis tempus terere.

§. III.

Simplex, & Compositum.

84 Ens nullas habens partes, *simplex* dicitur: *compositum* verò, quod ex partibus coalescit. Anima hominis *simplex* est; partibus enim prorsus destituitur: homo autem, qui ex anima, & corpore componitur, ens *compositum* erit. Uuitas in serie integrorum simplex est, a binario omnes numeri compositi sunt ex unitatibus.

85 Corol 1. *Simplex* igitur prius est, & concipi debet, composito. Enimverò si extant composita, e partibus coalescere debent. Hæ autem partes, aut compositæ sunt, aut simplices: si compositas illas asseras, rursus incidit quæstio de partibus illis componentibus, simplices ne sint, an etiam compositæ, donec ad illud perveniamus, quod partibus omninò caret, seu simplex est. Ratio itaque sufficiens, cur compositum existat, aliunde quærenda est atque in composito, nimirum in simplici, e cujus conjugatione cum alio simplici compositum oritur. Hoc igitur admisso, & simplex admitti debet, quum sit ultima analysis compositi.

86 Corol. 2. Ens simplex neque ex composito, neque ex simplici oriri potest. Non ex composito, quo prius est, & concipi debet (præc.): neque ex simplici, quum partibus careat, e quo si aliud evelleretur, jam partibus constaret. Loquimur autem de ortu per transformationem, minimè verò de productione ab alio tamquam causa efficiente, e qua omnia simplicia ortum habere debent, nisi in se rationem sufficientem existendi habeant, quod solum in Deo concipitur, qui reliquorum simplicium causa est.

87 Cor. 3. Ens simplex in aliud converti non potest. Aut enim totum esse desineret, & hæc non esset conversio in aliud, sed nova alterius productio: aut tantum aliqua sui parte mutaretur, quod pugnantia cum notione simplicitatis (84) involvit. Deinde essentiæ rerum immutabiles sunt (21), ejusmodi autem conversio essentiæ unius in alteram transitionem necessario includit: neque enim

enim tantum importat modorum varietatem, qua posita, non unius in aliud conversio sequitur, sed novus ejusdem rei existendi modus.

88 Positio. *Ens simplex e nihilo omninò oriri debet, seu crearì.* Prob. Ens simplex ex composito ortum habere nequit (86): porrò neque ex alio simplici per divulsionem, aut conversionem (ibid. & seq.): ergo ex nihilo extrahi debet ab omnipotenti Creatoris manu. Licet enim mens nostra id assequi vi phantasiæ non possit; ratio tamen evidentissima eam certam reddit, rem aliter esse non posse.

89 Corol. In creatione entis simplicis successio nullæ temporis concipi potest, adeòque totum unico instanti e nihilo oriri debet. Pariter ejus destructionem momento temporis fieri necesse est. Ens enim, quod nullas habet partes, successivè poni nequit: nam aliquid ipsius in primo instanti existeret, & aliquid non existeret, quod manifestè divisionem includit. Quando igitur ens, cujus nihil antea existebat, in momento temporis oritur, creari dicitur: quod si existere desinat, momento etiam interire debet, quod, *annihilari* vocant, eo quod abire in nihilum necesse sit, si quando intereat.

90 Quando duo entia simplicia ita conjugata sunt, ut tertium aliquod ens in sua specie *unum* efficiant, compositum oritur. Neque hoc ita dictum putes, quasi omne compositum e simplicibus oriri debeat; verùm hæc est prima compositionis idea, qua e simplici ad compositum gradum facimus. Ceterum composita plerumque ex aliis compositis coalescunt, quæ respectu eorumdem *partes* dicuntur; ens autem ex ipsis proveniens *totum & compositum* promiscuè audit.

91 Partes aliæ sunt *essentiales*, quarum vel una ablata, totum perire debet, quippè ad ejus essentiam pertinens: aliæ *integrales*, quibus demptis, totum remanere potest. Anima in homine pars essentialis est, nasus, aut oculi, integrales. Hinc totum *physicum*, seu *essentiale* illud erit, quod suis partibus essentiam componentibus: integrale, quod etiam illis ad ejus perfectionem concurrentibus constat.

92 Schol. Par *aliquota* illa dicitur, quæ aliquoties repetita totum adæquat; ut binarium respectu denarii, quod quinquies repetitum justè complet. Ea verò pars, quæ numquam æquare potest totum sæpius repetita, sed aut excedit, aut ab eo deficit, *aliquanta* nuncupatur: ita binarium novenarium, si quinquies repetatur, excedet; si quater, unitate minor erit.

93 Corol. Compositum oriri potest, quin fiat ex nihilo; destrui, aut interire, quin ejus partes pereant, aut *anni-*

biletur. Nam plerumque partes componentes præcedunt totum, quod componunt, antequam conjungantur: sæpissime etiam dissociatæ remanent post intertium entis, quod componebant.

94 Schol. Ille nexus, sivè conjugatio partium, quo posito, compositum oritur, *unio* etiam solet appellari; in eaque ratio sufficiens existentiæ compositi statuenda est. Loquutiones illæ, quibus cadaver hominis, puta Petri vita functi, quasi idemmet esset individuum ac prius, solemus appellare, minimè philosophicæ, sed conventionales sunt, ut plures aliæ.

§. IV.

Absolutum, & *Relativum*.

95 *Absolutum* est, quod nullum respectum ad aliud continet sub ea notione, qua ut tale repræsentatur: sic lapis nullum aliud objectum, sivè illius ideam excitat sub notione lapidis. Contrà *relativum*, ut *Pater*, *Dominus*, simul ac proferuntur, alterius objecti, nempe filii, aut servi, memoriam concitant. Hinc *relatio* est mutuus respectus unius ad aliud.

96 Corol. Omnis relatio tria necessariò includit, *subjectum*, *terminum*, & *fundamentum*. Subjectum est, quod refertur; terminus, ad quem refertur; fundamentum est ratio fundandi relationem. In relatione creatoris ad creaturam, Deus est subjectum, creatura terminus, actio productiva fundamentum relationis.

97 Schol. Quæ referuntur, *relata* dicuntur: quod si relatio mutua sit, ut duo parietes albi, in quibus ratio fundandi eamdem utrique tribuit denominationem, *correlata* vocantur. Nec inficiandum, omnem relationem quodammodò *mutuam* dici posse; quum numquam referri possit subjectum ad terminum, quin & terminus ad ipsum respectum habeat, etsi plerumque non eamdem tribuat denominationem. Si pater ad filium refertur, & filius respectum ad patrem includere debet; alteri tamen *patris*, alteri *filii* denominationem attribuit.

98 Relationes entium aliæ sunt *essentiales*, *accidentales* aliæ. Quando fundamentum relationis est aliquid rei intrinsecum, vel quod ab essentia non distinguatur, relatio est *essentialis*; ut est relatio duorum hominum, cujus fundamentum est ipsamet essentia naturæ rationalis. Duo verò æthiopes relationem accidentalem invicem habent in colore fundatam, qui ipsis *accidentalis* est.

99 Rursus dividuntur relationes in *reales*, & *intellectuales*. Reales existunt in rebus independenter a nostro concipiendi modo, supponuntque duo entia realiter distincta. Relatio rationis sive intellectualis suo nomine satis indicat ab intellectu fieri, extrema relationis comparante, ut inter definitionem, & definitum usuvenit, quorum respectus in mente nostra tantum existit.

100 Schol. Sunt, qui relationes omnes intellectus esse opus contendant, nullamque realem inveniri relationem affirment. Verum hujusmodi verborum pugnæ expositione thematis evanescunt, ubi non contendendi, sed rei explanandæ amor succedat. Certum est, collationem duorum entium a mente nostra fieri, ubi fundamentum comparationis existit; independenter tamen a nostris conceptionibus creatorem ad creaturam, patrem ad filium &c. respectum quemdam continere; solum negare poterit, qui numeros sine numerante dari inficietur, atque ab actuali mentis numeratione pendere, quod numeri sint, perfricta fronte contendat. Ego quidem sic rem explicarem; *relationes* in rebus extare; ab intellectu *comparationes* pendere: adeòque relationes *reales* dari posse, comparationes *intellectuales* tantum esse.

101 Ut alias relationis species breviter comprehendamus, *connexio* est veluti nexus duorum; quarum neuter sine altero esse potest, si *connexio mutua* sit: si verò *non mutua*, connexus sine altero termino existere non potest. Divina potentia *connexionem* habet cum possibilitate rerum, quam necessariò includit ejus immensa fœcunditas; quam connexionem etiam potiore titulo habebunt creaturæ ad creatorem. Ipse verò Deus infinite sibi sufficiens nullum nexum habet cum existentia creaturæ, quæ omnino a creatore suum esse habere debet. En connexionis mutuæ, & non mutuæ exempla. *Dependentia* ferè idem est atque explicata connexio: sunt tamen, qui notiones diversas esse velint, ne Deum a creaturis quoquo modo pendere dicatur. Ceterum unum ab alio dupliciter dependere potest; *intrinsecus*, & *extrinsecus*. Primo modo ens a suis constitutivis dependet: ab eo autem, quod ad ejus existentiam necessarium est, *extrinsecus* dependet.

§. II.

Finitum, & *Infinitum*: *Mutabile*, & *Immutabile*.

102 *Limes*, seu *terminus* ferè eamdem notionem præsentat, atque *extremum* rei; scilicet id, ultra quod nihil aliud extat ad eamdem pertinens. Sic ædificii hujus *limites* sunt, ubi illius parietes deficiunt, nihilque ad ipsum pertinens amplius concipimus; quod & alii vocant ulterioris realitatis defectum. *Realitas* nimirum est, quæ aliquid

quid ponit in ente ; cui opponitur *defectus* , sivè ut alii dicunt , *carentia* .

103 *Limites* alii sunt *extensionis* , alii *intensionis* . Id dicitur *extensum* , quod partes extra se positas habet , ut hæc charta . *Intensum* verò quod , intacta extensione , in aliquo genere augeri , aut minui potest , ut *calor* . (*Vide infra dicenda num.* 176.) Limites extensionis sunt id , ultra quod extensum non porrigitur , amplius spatium occupando : intensionis autem determinatus numerus graduum intensitatis , ultra quem incipit defectus talis qualitatis . Gradus porrò sunt veluti partes , in quas dividimus *intensionem* . Calor intensior majorem numerum graduum habebit , quam remissior .

104 Corol. 1. Omne id , quod limitibus circumscriptum est , caret aliquibus realitatibus , quæ in ipso concipi possunt . Nam sivè extensum , sivè intensum sit , eo ipso quod limites habeat , desinit habere omnem possibilem *extensionem* aut *intensitatem* ; quæ sanè ubi deficiunt , incipit earumdem defectus . Et vicissim id , quod non habet realitates omnes , quæ in ipso concipi possunt , limitibus circumscriptum sit , oportet .

105 Corol. 2. Si ens quodlibet limitibus includitur , aliud majus illo concipi potest in eo genere , quo est limitatum . Nam omnes possibiles realitates in tali genere non includens , aliud ens majorem numerum continens dari potest ; quod quidem majus illo propterea esse debet in eo genere , quo plures realitates amplectitur . Et vice versa , si majus illo aliud ens intelligatur ; quod minus est , limitibus conclusum esse , deduci debet .

106 Corol. 3. Similiter ens limitibus clausum , quum augmentum recipere valeat , sui status mutationes pati potest , quando ipsi novæ accessiones fiant . Si enim accessiones recipere nequiret , haberet omnes realitatem , quam in ipso concipere possumus , contra Corol. 1.

107 *Finitum* dicimus id , quod limitibus clauditur , *infinitum* verò , quod nullis limitibus continetur . Quare quum nullum detur medium inter has notiones , omne ens aut finitum , aut infinitum sit , oportet .

108 Corol. Quæcumque de ente limitibus septo modò statuimus , nimirum carere aliquibus realitatibus , majus eo dari aliud posse , ac status mutationes recipere ; *finito* apprimè quadrare fatendum est . Quumque notio *infiniti* sit huic opposita ; omnes realitates continere , majus eo dari non posse , neque ullam status mutationem recipere , nullo negotio conficitur , infinito convenire .

109 Positio 1. *Infinitum ex entibus finitis consurgere non potest* . Prob. Quodlibet finitum limitibus concluditur : ergo

go quotcumque adjungas , semper de omnibus verum erit , quod de singulis , nimirum limitibus includi , adeoque esse finita . Notiones hactenus traditas ultra infinitum perfectionis extendere , in animo nobis non est .

110 Schol. Ex his notionibus inventa est divisio scholæ , in *cathegorematicum* , & *syncathegorematicum* infinitum distribuentis . Primum illud dicunt , quod actu habet omne id , quod habere potest , adeòque *infinitum* in actu vocant . Manifestum est hujus generis solum Deum esse posse infinitum , ut patebit seq. conclusione . *Syncathegorematicum* , sivè in *potentia* , est possibilitas infinitorum entium , quæ *non* possunt *tot* poni , *quin plura* adhuc possibilia sint .

111 Positio 2. *Duo infinita existere non possunt* . Demonstrationem S. Thomæ in lib. contra Gentes sic explanat Mako . „ Sint , si fieri possit , A , & B duo entia infinita . Vel erunt ea similia , vel dissimilia . Si dissimilia , inerunt in uno qualitates , quæ non insunt in altero , quod absurdum est (108) . Si sunt similia , aut erunt præterea æqualia , aut inæqualia . Si inæqualia , major erit in uno realitatum *numerus* , quam in altero , quod rursus absurdum est (ibid.) : si æqualia , aut different numero , aut non different ; si non different , erunt non duo , sed unum , idemque infinitum (64) : si different numero , erit ratio aliqua sufficiens , cur A non sit B : ea autem ratio aut est in A , aut in B . Sin in B , tunc A rei alicujus in se existentis rationem habet in altero , a quo proindè dependet (101) , qui perfectionis defectus non cadit in infinitum : sin autem illa ratio est in A , vel ea est perfectio quædam , vel imperfectio : non imperfectio , quia ens infinitum gaudet omnibus realitatibus , seu perfectionibus (108) : neque est perfectio ; aliter enim aliqua perfectio erit in A , qua carebit B , quod absurdum est (ibid.) . A ergo & B nequeunt esse duo infinita entia „ . Ont. cap. 10. §. 115.

112 Schol. Quantitates *infinitesimales* a geometris excogitatæ in eorumdem mente tantum existunt . Cave , umquam credas , hoc vocabulo quantitatem aliquam *infinitè magnam* , aut *infinitè parvam* , quæ revera existere queat , ab ipsis designari . Hujusmodi infinitesimales ita vocantur , quod mens nostra illas indefinitè concipiat , quin determinatam magnitudinem ipsis statuat , ita ut ad libitum augeri , aut minui possint . Ita circulus dicitur polygonum *infinitilaterum* , quod mens geometræ perimetrum adeò inflexum concipiat , ut nullum harum inflexionum seu laterum numerum determinet .

113 *Mutatio* est transitus a præsenti modo existendi quem *statum* alii vocant , in alium diversum . Hæc autem

mutatio fieri potest vel per acquisitionem, vel per amissionem alicujus realitatis, aut modi, quæ intrinsecam in subjecto diversitatem inducant, adeòque intrinsecus mutetur; vel per accessionem, aut amissionem alicujus respectus aut relationis externæ, quæ tantum extrinsecus rem attingant; veluti si Petrus, qui a sinistris nunc adest, mihi dexter abeat, status interni nullam mutationem affert, sed tantum respectum quendam variat, novumque inducit. Hæc mutatio, ut vides, impropria est. Altera est illa, quæ verè ens *mutabile* constituit.

114 Ens *immutabile* est, cujus existendi modus, seu status variari intrinsecus numquam potest. Ceterum mutatio externa immutabilitati nihil officit: hæc enim potius est aliorum entium mutabilium, quam immutabilis variatio. Quum Deus creaturam producit, respectum quemdam ad illam acquirit, quem antea non habebat: hic autem provenit a mutatione modi existendi creaturæ, ab statu possibilitatis ad statum existentiæ transeuntis.

§. VI.

Necessarium, & Contingens.

115 *Necessarium* illud est, cujus oppositum est impossibile. Hoc autem duplici modo evenire potest, *absolutè*, aut *hypotheticè* (41): ex. g. absolute necessarium est, ut totum sua parte majus sit: quod autem Adamus extiterit, necessarium est ex suppositione, quod Deus illum creaverit. Quod si & conditio absolutè necessaria sit, *conditionatum absolutè* necessarium est.

116 Conditio triplex distinguitur; *antecedens*, *comitans*, & *subsequens*; unde & necessitas *conditionata* triplici modo etiam evenire potest. Decretum Dei mundum producendi est *conditio*, qua posita, sequitur *necessitas antecedens* futuræ existentiæ mundi: quum verò tempore creationis universi illius constitutiva posita sunt, necessitas concomitans existentiæ ejusdem locum habuit: demum ejus productio consequentem necessitatem existendi inducit, quum nec Deus ipse possit facere infectum, quod factum jam est.

117 Schol. Notiones *necessitatis metaphysicæ*, *physicæ*, & *moralis* habes art. 47. Nam quum notionem necessarii ab impossibili sumamus, ab eo pariter triplicis hujus necessitatis explicatio sponte defluit: scilicet metaphysicè necessarium est, cujus oppositum est metaphysicè impossibile, & sic de ceteris.

118 Demum necessitas vel *determinata* est, vel *vaga*. Prima habetur, quum alterum ab altero necessariò consequitur: altera verò consequutionem quidem necessariam indicat, quin subjectum determinet; sic necessarius est stilus ad scribendum, quin hic, quo hæc exaro, determinate necessarius sit.

119 Contingens est omne id, cujus oppositum non est absolutè impossibile. Unde *contingentia* esse intelligitur etiam de illis entibus, quæ sunt hypotheticè necessaria.

120 Positio 1. *Ens, quod in sua essentia includit rationem sufficientem existendi, est absolutè necessarium; sivè necessitate absoluta existit.* Prob. Quum essentiæ rerum sint absolutè necessariæ (20), si ponitur essentia, & illa ratio sufficiens existere debet, quæ includitur in ipsa: at posita ratione sufficiente, & illud, cujus est ratio sufficiens, ponatur necesse est (14): ergo ens includens in sua essentia rationem sufficientem existendi, necessario existit.

121 Corol. 1. Ens, quod in se non habet rationem sufficientem existendi, non existit necessariò: adeòque est contingens. Nam ex essentia sua non profluit ejus existentia: ergo hæc potest esse in statu intelligibili, quin existat (27): hoc autem est ipsamet notio contingentis (119): ergo est contingens; adeoque ab alio rationem sufficientem existendi habere debet, a quo omninò dependeat.

122 Corol. 2. Si igitur id, quod non habet in sua essentia rationem sufficientem existendi, contingenter existit: id, quod necessario existit, in sua essentia debet includere rationem sufficientem existendi: atque adeò per suam existit essentiam, nimirum *a se*, quod absolutam independentiam ipsi præstat.

123 Corol. 3. Ens a se existens neque initium, neque finem suæ existentiæ habere potest, atque adeò æternum est. Etenim Ens a se est absolutè necessarium (120): quod autem & initium, & finem existendi habere potest, potest non esse, atque adeò contingens est, quod pugnat cum notione necessarii: Enti ergo a se neque initium, neque finis attribui potest; est igitur æternum.

124 Corol. 4. Ens a se est immutabile (114). Nam quoniam necessario existit, necessariæ etiam sunt omnes ejus realitates: at si mutabilis esset, aliqua ei realitas adveniret, aut illam perderet (113); quod contingentiam arguit: est ergo immutabile.

125 Corol. 5. Ens a se simplex est (84). Etenim aut simplex, aut compositum sit, oportet: compositum autem esse nequit; nam si ejusmodi esset, partibus constaret; partes autem aut necessariæ sunt, aut contingentes: contingentes verò esse non possunt, a quo enim habuissent existentiam? aut quomodo necessarium esset compo-

positum, cujus partes non existere potuissent? Recurrendum est igitur ad necessitatem partium. Pars autem in suo conceptu mutabilitatem includit; prius enim concipi debet velut simplex, antequam ad statum compositionis deveniat: ens autem necessarium est immutabile (*præced.*) Deinde necessarium includit in se rationem sufficientem existendi: ergo pars necessaria antequam ad compositionem deveniat, habet omnes realitates: reliquæ igitur partes sunt superfluæ, quum nihil addere possint, quod in una parte jam non sit. Notiones igitur compositionis pugnant cum notione Entis a se, seu necessarii: quare simplex sit, oportet.

126 Corol. 6. Ens a se est infinitum. Finitum enim, aut infinitum sit necesse est (107): finitum verò esse nequit, quum omne finitum sit contingens, quippè initium existendi habere debet (121): ergo est infinitum.

127 Corol. 7. Ens a se omnes perfectiones possibiles continere debet, atque adeò perfectissimum est omni genere perfectionis, quæ nullam imperfectionem includat. Nam ex præc. Corol. est infinitum; infinitum autem omnes possibiles realitates includit (108), quæ quidem realitates in suo conceptu abstracto perfectiones sunt, & tantum imperfectiones deveniunt in ente finito collocatæ, quippè ab ipso defectum *extensionis*, aut *intensionis* contrahunt (104). Quum autem Ens infinitum limites non habeat, realitates omnes in ipso comprehendi debent sine ulla imperfectione, atque adeò sine ulla limitatione; quapropter & perfectiones ipsæ nullos habentes limites, infinitudinem quælibet contrahit in Ente infinito collocata. Est igitur infinitè perfectissimum omni genere *puræ* perfectionis infinitæ.

128 Schol. *Pura* perfectio illa dicitur, quæ nullum defectum includit: *mixta* imperfectionem quamdam importat, quæ a finitudine entis, in quo sita est, provenit. Perfectiones *puræ*, sive ut ajunt *simpliciter simplices*, in Ente infinito reperiri debent, quippè quæ nullum defectum, imò verò infinitudinem a subjecto, in quo insunt, contrahunt. Illæ autem perfectiones, quas in ente finito animadvertimus, puta vim ratiocinandi in homine, inveniuntur in suo conceptu abstracto talis realitatis, sivè ut ajunt Scholæ *eminenter*. Videlicet ens finitum rationis capax intelligere non potest res non perspicuas, nisi medio idearum præcognitarum utatur (Log. 150); quod ratiocinari dicimus: hæc autem, quæ in ente finito perfectio *mixta* est imperfectione, Ens infinitum minimè decet, quum sine ulla idearum comparatione omnia perfectissime intelligat: adeòque vis ratiocinandi eminentiore modo in ipso reperitur.

129 Corol. 8. Ens a se est immensum. Duplici sensu immensitatem concipere possumus: primò quidem, ut in suis perfectionibus nullam mensuram, quod immensum est, admittat: quod quidem idem refert, atque infinitum esse; cumque hoc jam sit confectum (Corol. 6. & 7), Ens a se immensum hoc primo sensu fatendum erit. Communior altera acceptio immensitatis est in ordine ad locum, ita ut omne spatium repleat, sivè in omni loco existat, quod immensum est; quod Enti necessario convenire sic ostendo. Si Ens necessarium in uno, aut pluribus tantum locis existeret, limitibus concluderetur (102): at Ens necessarium, utpote infinitum (126), limitibus includi nequit (108): ergo in omni loco existere debet. Deinde in uno loco aut existit necessariò, aut contingenter: si primum dixeris, imperfectum erit, quum perfectius sit cuilibet loco præsto adesse, quam uni determinato configi: quod si contingenter existat, mutabilitatem includit, contra Corol. 4.

130 Corol. 9. Demum Ens necessarium unicum est. Quod enim infinitum, & unicum sit oportet (111); jam verò ostensum fuit, Ens necessarium infinitum esse (126): ergo est unicum. Præterea si concurrerent duo entia necessaria, utraque deberent esse perfectissima (127): at hoc ipso non essent, quum perfectio, quæ in uno reperiretur, ab altero deficeret; si enim haberent perfectiones communes, essent unum, idemque ens: ergo aut nullum existit ens necessarium, aut unicum sit oportet. Denique & liberrima essent, atque adeò opposita velle possent, sibique invicem in rerum molitione adversari, quod ipsorum independentiam convellit. Quodsi ponas, voluntates semper fore conformes, dummodo libertatem non tollas, contraria posse velle, fateri debes, quod te in eumdem scopulum impingit, nec opinantem: videlicet ridiculas deorum ethnicorum pugnas inducis, quod adeò a sensu communi alienum est, ut vel ipsi poetæ unum numen, in quo *hominum, divumque æterna potestas* sita esset, agnoverint.

131 Ex notione ipsa entis contingentis, attributa opposita his, quæ hactenus de Ente necessario demonstravimus, sponte dimanant. Ens quippe *ab alio* (121) insufficientiam existendi a se, atque adeò initium suæ existentiæ, quod cum æternitate pugnat, habere debet. Mutabilitatem etiam, quæ quidem in suo genere etiam compositionem includit; finitudinem, imperfectionem, circumscriptionem in loco, multiplicitatem in sua specie &c. in sua essentia involvat, necesse est, propter rationes oppositas his, quibus de Ente necessario attributa contraria demonstravimus.

132 Positio 2. *Nullum ens contingens potest in alio contingente habere rationem sufficientem suæ existentiæ, ita ut illa extra seriem contingentium non extendatur*. Prob. Quodlibet ens contingens ab alio est (121): ergo tota serie numerata, intra ipsam non invenitur ultima ratio sufficiens existentiæ collectionis. Dices, seriem esse infinitam. Esto nunc absurdissima hæc collectio infinita; tamen in hujusmodi serie infinita singula entia in se non habent rationem sufficientem existendi: ergo neque tota complexio eorumdem. *Prob. cons.* Si posset fieri, ut singulæ insufficientiæ abirent in collectionem sibi sufficientem ad existendum; sequeretur, infinitas negationes posse affirmare, infinitas impotentias in potentiam abire posse, & cetera hujusmodi.

133 Confirm. Quodlibet ens finitum est dependens ab alio, atque a sua essentia excludens independentiam (121): ergo & tota collectio dependet ab alio, ac independentiam metaphysicè excludit. *Prob. cons.* A singularibus ritè enumeratis valet consequentia ad universale: hoc enim nihil aliud est, quam complexio singularium: ergo si quodlibet singillatim est dependens, atque ab essentia sua excludens independentiam, tota collectio est dependens, ac metaphysicè excludit independentiam. Quod ni ita esset, dico, etiam infinitam seriem irrationalium abire posse in rationalia; omniaque usu rationis pollentia nihil aliud esse quam complexionem entium rationis expertium; quod quam sit absurdum, nemo non videt.

134 Prob. 2. In singulis contingentibus unius insufficientia ad existendum est ad propriam existentiam, ut alterius insufficientia ad propriam existentiam: ergo etiam sunt omnes simul insufficientiæ ad omnes simul existentias, ut quælibet insufficientia ad propriam existentiam (Elem. Mat. num. 211. 21); at hæc ita se habet, ut omninò exigat dependere ab alio in existendo: ergo & tota complexio ab alio extra ipsam dependere debet.

135 Prob. 3. Fingamus mundum ab æterno extitisse, ut athei volunt, atque infinitam seriem causarum sibi succedentium, quarum quælibet seorsim contingens sit, esse sibi rationem sufficientem existendi: hypothesim hanc absurdam planè, & contradictionibus refertam esse, sic ostendo. Series illa initio carens æterna est: ergo aliquod individuum in eadem includi debet, quod sit ærernum, atque initio careat. Quo enim pacto series æterna concipi potest, cujus nullum individuum æternum sit, atque initio careat? Quemadmodum series *a parte post*, ut ajunt, æterna non esset, si omnibus enumeratis tandem ad ultimum deveniretur, quod finem haberet. Enimverò ex eadem hypothesi deducitur, quodlibet individuum initium habuisse; quodlibet enim contingens, atque ab alio determinatum ad existendum supponitur: ergo series confiæta esset simul æterna, & non æterna; initium existendi habens, atque initio carens; sibi sufficiens, & insufficiens; a se determinata ad existendum, atque ab alio extra ipsam hanc determinationem accipiens, aliaque innumera absurda, quæ solum devorare valet, qui *dixit in corde suo, non est Deus*.

Nam simul ac ratio sua *cœpit vociferari,*
Naturam rerum haud divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi
Discedunt, totumque videt *per inane geri res* ...
Ut *metus ille foras præceps Acheruntis* agatur
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia suffundens mortis nigrore; neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.
Lucr. lib. 3. *v.* 14.

136 Opponunt tamen 1. Ratio a nobis adducta, cur in serie infinita contingentium non possit inesse ratio sufficiens existendi, est, quia deveniendum esset ad primum: atqui in serie infinita potest dari ratio sufficiens existentiæ contingentium, quin opus sit recurrere ad Ens necessarium. R. 1. Hujusmodi hypothesim absurdis scatere, jam ostensum esse *art. præc.* 2. *Dist. maj.* tantum quia deveniendum esset ad primum, *neg. maj.* & quia ratio sufficiens existendi resolvi deberet in aliquod ens, quod & ipsum ab alio dependeat, *conc. maj.* Etiamsi infinita supponatur hæc series, contingentiam tamen in sua essentia includit, dependentiam &c. (132. *& seq.*) Deinde infinitæ contingentiæ, ac dependentiæ possentne evadere infinita necessitas, atque independentia? Ens enim necessarium est infinitum, atque independens (122. 126.).

137 Inst. 1. Potest adesse vaga quædam necessitas, vi cujus aliqua individua indefinitè existant necessariò, a quibus alia producantur: at supposita hac vaga necessitate, series non esset contingens: ergo &c. *Prob. maj.* Etiamsi nullum instrumentum musicum definitè necessarium sit ad pulsandum, tamen necessitas quædam vaga adest alicujus instrumenti: ergo hæc eadem concipi potest in serie contingentium. R. *dist. maj.* Potest adesse vaga necessitas absoluta, *neg. maj.* hypothetica, *omitto maj.* & *dist.* etiam *min.* non esset absolutè contingens, *neg. min.* hypotheticè, *conc min.* Necessitas autem hypothetica non excludit contingentiam (119). *Dist.* etiam *ant. prob.* absoluta quædam necessitas vaga adest alicujus instrumenti, *neg. ant.* necessitas hypothetica, *conc. ant.* Evidens est, hujusmodi instrumentum requiri tantummodò ex hypothe-

thesi, quod pulsandum sit; neque enim ulla est necessitas absoluta pulsandi. In serie verò, requiritur absoluta quædam necessitas existendi, vi cujus verum sit, ipsam non esse contingentem, ut supra ostendimus (132).

138 Inst. 2. Fallax est hæc deductio: *singuli homines sunt unus homo*: ergo & *tota complexio*: ergo & altera a nobis usurpata: *singula entia sunt contingentia*: ergo & *tota collectio*. R. 1. Intorquendo in adversarios argumentum. Hæc ratiocinatio optima est: *quilibet homo vi sentiendi pollet*: ergo & *tota hominum collectio facultate sentiendi prædita est*: erit igitur legitima & altera a nobis usurpata. Porrò (& hæc est dispar ratio inter utrumque ratiocinium, in argumento adductum) ultima hæc deductio ideò legitima censetur, quia attributum sentiendi minimè pugnat collectioni hominum: attributum verò unitatis numericæ singulis hominibus conveniens, pugnat cum hominum collectione, in cujus notione involvitur multiplicitas individuorum. Contingentium vero collectio adeò non pugnat cum contingentia singulorum, ut potius illam necessariò includat, quum impossibile sit per aggregationem insufficientiæ infinitam, cumulari posse infinitam sufficientiam existendi.

139 Oppon. 2. Quodlibet ens alterum determinaret ad existendum; ergo haberet in se inchoatam, ut ajunt, rationem sufficientem illius existentiæ, quæ demum in collectione *adæquatè* contineretur. R. 1. Absurdam esse hujusmodi hypothesim jam supra demonstravimus, adeòque suppositione falsa laborat antecedens. Hoc tamen dissimulato, R. *transim. ant. neg. cons.* Probant. Etiamsi in libra una pondus sufficiens non contineatur ad æquilibrium mille libris faciendum, tamen per aggregationem aliarum demùm æquilibrium statuitur: ergo & in casu similiter contingeret. R. *neg. cons.* In qualibet libra pars quædam activa continetur per actionem gravitatis, quæ per augmentum aliarum demùm fit totum idem ac aliud pondus habens: in aggregatione verò contingentium addis insufficientia insufficientiæ, a quibus in infinitum multiplicatis infinitam tantum insufficientiam elicies. Habes igitur rationes dispares in duobus casibus figuratis. *Vide dicta* Log. *art.* 228.

140 Positio 3. *Quum evidens sit, extare entia contingentia, evidenter etiam deducitur Ens necessarium existere, in quo ratio sufficiens illorum existentiæ collocetur.* Prob. Nullum contingens habere potest in alio contingente rationem sufficientem suæ existentiæ (132). Ergo illam habet in Ente aliquo necessario ex hypothesi, quod existat: existere autem contingentia tantum dubitavit Pyrrho Eleates, atque hujus asseclæ Sceptici, elleboro citius curandi, quam argumentis convincendi: ergo existit Ens necessarium. Hoc autem Ens necessarium est id, quod *Deum* nuncupamus, Ens supremum, principium, ac ratio sufficiens rerum omnium, æternum, simplex, immutabile, infinitum, perfectissimum, ac proinde sibi sufficiens, nullius indigum, suisque perfectionibus beatissimum, quin ulla creatura ad suam beatitudinem indigeat, unde ab illarum creatione supersedere potuisset. Plura alia in Dissert. 2. & 4.

141 Schol. Demonstrationem existentiæ Entis necessarii non deducimus ab ejus idea; quam methodum demonstrandi meritò reprehendit Para. Neque enim idea Entis necessarii in se involvit existentiam atque alias notiones in statu, ut ajunt, absoluto, quas tantum ex ea deducimus hypotheticè; nimirum casu, quo existat Ens necessarium, seu ejus possibilitas ostendatur. Hujus autem existentiam, possibilem ut vides, immediatè a contingentium productione demonstravimus; quæ sine causa necessaria existere non possunt.

CAPUT QUINTUM.

De variis Entium Speciebus.

§. III.

De Causis, & Effectibus.

142 Ante notionem *causæ* nonnulla de *principio* præmonere oportet, eo quod in theologia necessaria visa est distinctio inter causam, & principium. Sanè Græci Patres non adeò scrupulosè in his nominibus usurpandis se gesserunt, ut Patri Æterno nomen causæ recusarent: Latini verò omninò volunt Patrem dici principium Filii, minimè verò causam. En hujusce diversitatis fundamentum. *Principium* est id omne, unde aliquid oritur, quod *principiatum* dici solet. Unde in principio ratio sufficiens principiati contineri debet; atque adeò *principio* posito, & *principiatum* poni necesse est (14).

143 Corol. Principium prius concipi debet principiato; continet enim rationem sufficientem, cur potius sit, quam non sit principiatum: ratio autem, propter quam res est, prius ipsa concipi debet.

144 Triplici modo res prior esse altera concipi potest, *origine*, *natura*, *tempore*. *Origine* prius illud dicitur, quod in se continet rationem sufficientem alterius, cum quo tamen eamdem naturam communicat. Hoc modo Pater divino Filio origine prior est; Pater, & Filius, Spiritu San-

thesi, quod pulsandum sit; neque enim ulla est necessitas absoluta pulsandi. In serie verò, requiritur absoluta quædam necessitas existendi, vi cujus verum sit, ipsam non esse contingentem, ut supra ostendimus (132).

138 Inst. 2. Fallax est hæc deductio: *singuli homines sunt unus homo*: ergo & *tota complexio*: ergo & altera a nobis usurpata: *singula entia sunt contingentia*: ergo & *tota collectio*. R. 1. Intorquendo in adversarios argumentum. Hæc ratiocinatio optima est: *quilibet homo vi sentiendi pollet*: ergo & *tota hominum collectio facultate sentiendi prædita est*: erit igitur legitima & altera a nobis usurpata. Porrò (& hæc est dispar ratio inter utrumque ratiocinium, in argumento adductum) ultima hæc deductio ideò legitima censetur, quia attributum sentiendi minimè pugnat collectioni hominum: attributum verò unitatis numericæ singulis hominibus conveniens, pugnat cum hominum collectione, in cujus notione involvitur multiplicitas individuorum. Contingentium vero collectio adeò non pugnat cum contingentia singulorum, ut potius illam necessariò includat, quum impossibile sit per aggregationem insufficientiæ infinitam, cumulari posse infinitam sufficientiam existendi.

139 Oppon. 2. Quodlibet ens alterum determinaret ad existendum; ergo haberet in se inchoatam, ut ajunt, rationem sufficientem illius existentiæ, quæ demum in collectione *adæquatè* contineretur. R. 1. Absurdam esse hujusmodi hypothesim jam supra demonstravimus, adeòque suppositione falsa laborat antecedens. Hoc tamen dissimulato, R. *transim. ant. neg. cons.* Probant. Etiamsi in libra una pondus sufficiens non contineatur ad æquilibrium mille libris faciendum, tamen per aggregationem aliarum demùm æquilibrium statuitur: ergo & in casu similiter contingeret. R. *neg. cons.* In qualibet libra pars quædam activa continetur per actionem gravitatis, quæ per augmentum aliarum demùm fit totum idem ac aliud pondus habens: in aggregatione verò contingentium addis insufficientia insufficientiæ, a quibus in infinitum multiplicatis infinitam tantum insufficientiam elicies. Habes igitur rationes dispares in duobus casibus figuratis. *Vide dicta* Log. *art.* 228.

140 Positio 3. *Quum evidens sit, extare entia contingentia, evidenter etiam deducitur Ens necessarium existere, in quo ratio sufficiens illorum existentiæ collocetur.* Prob. Nullum contingens habere potest in alio contingente rationem sufficientem suæ existentiæ (132). Ergo illam habet in Ente aliquo necessario ex hypothesi, quod existat: existere autem contingentia tantum dubitavit Pyrrho Eleates, atque hujus asseclæ Sceptici, elleboro citius curandi, quam argumentis convincendi: ergo existit Ens necessarium. Hoc autem Ens necessarium est id, quod *Deum* nuncupamus, Ens supremum, principium, ac ratio sufficiens rerum omnium, æternum, simplex, immutabile, infinitum, perfectissimum, ac proinde sibi sufficiens, nullius indigum, suisque perfectionibus beatissimum, quin ulla creatura ad suam beatitudinem indigeat, unde ab illarum creatione supersedere potuisset. Plura alia in Dissert. 2. & 4.

141 Schol. Demonstrationem existentiæ Entis necessarii non deducimus ab ejus idea; quam methodum demonstrandi meritò reprehendit Para. Neque enim idea Entis necessarii in se involvit existentiam atque alias notiones in statu, ut ajunt, absoluto, quas tantum ex ea deducimus hypotheticè; nimirum casu, quo existat Ens necessarium, seu ejus possibilitas ostendatur. Hujus autem existentiam, possibilem ut vides, immediatè a contingentium productione demonstravimus; quæ sine causa necessaria existere non possunt.

CAPUT QUINTUM.

De variis Entium Speciebus.

§. III.

De Causis, & Effectibus.

142 Ante notionem *causæ* nonnulla de *principio* præmonere oportet, eo quod in theologia necessaria visa est distinctio inter causam, & principium. Sanè Græci Patres non adeò scrupulosè in his nominibus usurpandis se gesserunt, ut Patri Æterno nomen causæ recusarent: Latini verò omninò volunt Patrem dici principium Filii, minimè verò causam. En hujusce diversitatis fundamentum. *Principium* est id omne, unde aliquid oritur, quod *principiatum* dici solet. Unde in principio ratio sufficiens principiati contineri debet; atque adeò *principio* posito, & *principiatum* poni necesse est (14).

143 Corol. Principium prius concipi debet principiato; continet enim rationem sufficientem, cur potius sit, quam non sit principiatum: ratio autem, propter quam res est, prius ipsa concipi debet.

144 Triplici modo res prior esse altera concipi potest, *origine*, *natura*, *tempore*. *Origine* prius illud dicitur, quod in se continet rationem sufficientem alterius, cum quo tamen eamdem naturam communicat. Hoc modo Pater divino Filio origine prior est; Pater, & Filius, Spiritu San-

Sancto: quod invenire *docuit patrii sermonis egestas* humanè divina loquentibus. *Natura* prius est, quod ab alio natura distinguitur, ad illius tamen existentiam quoquo modo requiritur. Quod autem, altero nondum existente, præcedit, *tempore* prius illo esse satis intelligitur.

145 Rursus triplicis generis principium distinguitur: *essentiæ* nimirum, in quo continetur ratio, ut ens hæc potius constitutiva, quam alia contineat, quod quidem etiam *principium intrinsecum* audit. *Existentiæ*, a quo determinatur, ut existat potius, quam non existat; ac demum *cognitionis*, in quo continetur ratio, ut alterum cognoscatur: sic identitas, aut distinctio extremorum cum tertio, est principium *cognitionis* identitatis, aut distinctionis extremorum inter se (Log. 15).

146 *Principium existentiæ* est id, quod *causam* vocamus: res verò, quæ existentiam consequitur, *effectus*, vel *causatum* dicitur: demum medium, quo existentia in rebus ponitur, *actio* aut *causalitas* promiscuè nuncupatur.

147 Corol. 1. *Principium* igitur notio generalior est, quam illa sit causæ: omnis quippè causa principium est existentiæ sui effectus; non omne principium causa dicitur principiati (145). Ad notionem quippe causæ, distinctionem seu *prioritatem naturæ* requirunt theologi, quæ in principio non exigitur, quum illa *originis* sufficiens sit (144).

148 Corol. 2. Effectus a causa actualiter pendere debet, cujus existentiam necessariò supponit, ut actionem exerat, a qua ad existendum determinetur. Potest tamen effectus permanere, etiam destructa causa, a qua primò esse cœpit; quod passim in rebus humanis videmus.

149 Causæ a philosophis in quinque classes distribui solent; *efficientes*, *materiales*, *formales*, & *exemplares*. Causa *efficiens*, quæ sola in effectus existentiam physicè influit, illa dicitur, a cujus actione ultima ratio ponitur, ut effectus ad existendum perducatur: adeòque agendi potentia, ac vi activa pollere debet per virtutem intrinsecè sibi inhærentem, qua rem transferat ab statu non existendi ad existentiam.

150 Corol. 1. Nullum ens potest esse sui ipsius causa efficiens. Nam causa prior natura esse debet effectu; qui etiam a causa dependet, ab eaque determinatur ad existendum; quod realem distinctionem inter *causantem*, & *causatum* necessariò importat.

151 Corol. 2. Duo entia sibi invicem causæ efficientes esse non possunt. Ponamus ens A producere B; prius igitur illo existit (143): at si B produceret ipsum A, prius etiam existere debet (*ibid.*): ergo esset prius, & posterius.

152 Corol. 3. Ens necessarium nullam habet causam efficientem; omnia autem contingentia sunt effectus Entis necessarii, quod illorum causa efficiens suprema est. Prima propositionis pars satis evidenter ex his, quæ diximus de Ente necessario deducitur (120, & seq.) Quod enim causam habet efficientem, ab illa rationem sufficientem existendi mutatur: at Ens necessarium in se habet rationem suæ existentiæ: nullam ergo habet causam. Contingentia vero quum ab Ente necessario sufficientiam existendi accipiant (*ibid.*), hoc illorum causa efficiens est (149). Neque dixeris, Ens necessarium esse sui causam; pugnantia enim loqueris. Causa quippe & præcedere effectum, & distingui ab ipso, in sua notione involvit (147), quod absurdam ostendit esse suimet productionem (150).

153 In duplici statu causa efficiens intelligi potest: aut actionem exerens ad producendum effectum, diciturque esse in *actu secundo*; aut nondum effectum producens, quod esse in *actu primo* vocant. Rursus *actus primus* vel *proximus* est, vel *remotus*. Remotus erit, si tantum virtus causæ nondum expeditæ ad operandum consideretur. Quod si omnibus requisitis causa instructa sit, in *actu primo* proximo esse concipitur.

154 Corol. Igitur virtus causæ non sufficit ad effectum educendum, sed aliquæ adesse debent conditiones, ut expedita ad agendum intelligatur. *Conditiones* hujusmodi aliæ sunt *positivæ*, *negativæ* aliæ. Ut ignis comburat, requiritur applicatio ad materiam inflammabilem, ceteroqui minimè succedet combustio; hæc igitur erit conditio *positiva*: remotio verò impedimentorum, puta humiditatis in ligno exurendo, est conditio *negativa*. Requisita hujusmodi etiam *conditio sine qua non* in scholis dici solent.

155 Causa efficiens tribuitur 1. in *primam*, qui est Deus; & *secundam*, quæ sunt reliquæ: 2. *in liberam*, & *necessariam*; altera effectum arbitrio suo omittere valet: altera necessariò agit. Ego ita hæc exaro, ut queam ab scriptione supersedere; calamus autem manu ductus, characteres necessario formare debet. Hoc ipso exemplo altera divisio causæ in *principalem*, & *instrumentalem* illustratur: *manus* enim scribens causa principalis est characteris ab ipsa formati, *stilus* est tantum instrumentum. 4. dividitur *in physicam*, & *moralem*: si causa effectum actione sua ponat, physica dicitur; quod si alterius opera utatur, ita ut communi suffragio hominum effectus ipsi tribuatur, erit causa moralis: eidem exemplo insistendo, hujus autographi sum causa physica; quum vero per typos exemplaria multiplico, illorum moralis tantum causa existimor. Quinta divisio est in *causam per se*, & *causam per accidens*: prima est, quæ vel a natura, vel a voluntate

propria destinatur ad productionem effectus : quæ verò præter naturæ institutum , aut animi designationem effectum ponit, est *causa per accidens*. Pictor irrito tentamine sæpius spumam equi frænum mordentis affabrè exprimere conatus, spongiam in os equi iratus impegit; e cujus ictu spuma præter sententiam impressa remanens , illius artificii *causam per accidens* pictorem fuisse declaravit. Demum *causæ remotæ* sunt, quæ mediantibus aliis causis effectus producunt, ut Adamus posteros omnes præter filios suos , quorum *causa proxima* dicendus est , eo quod immediata actione illos genuerit. Ceterum *genus & proavos* , *& quæ non fecerunt nos* , *vix ea nostra voco :* nec argumentum contra ea, quæ diximus *art.* 148. de existentia simultanea causæ , & effectus hinc desumas ; ibi ibi enim de causa proxima , quæ tantum immediatè influit in effectum , sermo fuit. Quod si causæ proximæ ad remotas comparentur, *subordinatæ* etiam solent dici. Sic milites, centuriones, tribuni &c. subordinati sunt Imperatori prælium committenti.

156 Effectus in causa triplici modo contineri potest : *formaliter* , quum in propria forma in illa existit, ut ignis ignem producens ; *virtualiter* , si causa virtutem possideat effectum educendi, ut anima cogitationes, ac suos actus voluntatis ; *eminenter* , quod vide art. 128. hoc modo effectus , & omnes perfectiones creatæ in Deo continentur.

157 Causa *materialis*, seu materia, est id, ex quo aliquid fit, illudque intrinsecè componit, ut æs corinthium statuam equestrem Antonini. Hæc etiam vocari solet materia , *ex qua* aliquid fit ; nam illam , *in qua* aliquid recipitur, etiam dicunt *subjectum inhæsionis* , ut est substantia modificationes suas continens : illa verò , ad quam actio dirigitur, materiam , *circa quam* appellant.

158 Causa *formalis* est ipsamet forma in materiam inducta ; nimirum illa materiæ modificatio, per quam ad certam entium classem determinatur, ut configuratio ferri in modum globi.

159 Finem , seu *causam finalem* id dicimus , propter quod aliquid agimus. Porrò finis *proximus* erit, si immediatè intendatur, nullo alio interveniente ; qui si intercedat, hic *proximus* , alter *remotus* dicetur. Ille verò, ad quem omnes intermedii diriguntur, *ultimus* audit. Cibum sumens , ut famem depellat , finem proximum habet famis depulsionem : hæc autem intenditur, ut vires reficiantur ; refectio autem virium ad vitam tuendam ; vitæ autem conservatio ad gloriam Conditoris. Habes fines *proximum* , *remotum*, *& ultimum*. Quod si non epicureo more voluptatis causa cibum sumpseris, sed Pauli monitis ob-

obtemperans, gloriam Dei principaliter intendas, hæc erit etiam *finis principalis* : reliqui *secundarii* , *ac subordinati*.

160 Corol. Causa efficiens propter finem agens, omninò intelligens sit, oportet ; nam præcognoscere debet & finem, & modum illum assequendi ; *ignoti* enim *nulla cupido*. Porrò voluntas causæ intelligentis permoveri nequit ad ejus consequutionem , nisi aliquam in ipso bonitatem (vera , aut apparens sit , nihil refert) præviderit , a qua ad agendum pelliciatur : quod unusquisque sensu communi præditus in se ipso experiri , diffiteri non gravabitur.

161 Ea , quæ ad finis consequutionem conducunt , *medium* vocant ; quæ obstant , *impedimentum*. Planum est, eum , qui finem assequi velit , & mediis uti ad ejus consequutionem necessariis , & impedimenta removere , nisi aliunde ponantur, aut moveantur, velle debere.

162 Schol. Benedictus Spinoza Judæus genere , natione Batavus , ac si diis placet etiam philosophus , causas finales inter commenta metaphysicorum relegavit , una hac ratione motus , quod idem prius ac posterius semet esse deberet. En ejus verba in App. Part. I. Ethic. „ Ut jam autem ostendam naturam finem nullum sibi præfixum habere , & omnes causæ finales nihil nisi humana esse figmenta , non opus est multis. Credo enim id jam satis constare tam ex fundamentis & causis , unde hoc præjudicium originem suam traxisse ostendi . . . & præterea ex iis omnibus quibus ostendi, omnia naturæ æterna quadam necessitate & perfectione procedere. Hoc tamen adhuc addam , nempe hanc de fine doctrinam naturam omninò evertere. Nam id quod revera causa est, ut effectum considerat , & contra . Et denique id quod supremum & perfectissimum est , reddit imperfectissimum . „ *Dixin' ego in hoc esse vobis atticam eloquentiam?* Egregium verò ejus argumentum quivis architectus, qui domum sibi extruat , confutabit ; in cujus mente existens ædificium sua bonitate pellexit, ut illud opere exequatur : adeòque præexistentia in statu *ideali* , movet ad illud ad statum *actualitatis* transferendum ; in quo quid absurdi esse possit , tantum acuta mens Spinozæ reperiet.

163 In casu modo figurato habes etiam notionem *causæ exemplaris*. Illud nimirum, ad cujus exemplar aliquid fit, causa exemplaris dicitur : quemadmodum artifex , aut præ manibus, aut potius in mente habens prototypon , ad cujus similitudinem opus conformat , in illo causam exemplarem sui operis habet.

164 Causa , quæ sine consortio alterius effectum ponit, *adæquata* est : quod si aliæ concurrant, quælibet causa *inadæquata* talis effectus dicitur : sic currus ab uno jumento

tractus, in illo habet causam *adæquatam* sui motus: quum verò bijuges, aut quadrijuges simul trahunt, quilibet est causa *inadæquata*.

165 Schol. Cartesiani alias causas, quas *occasionales* vocant, in philosophiam induxerunt. Porrò *causa occasionalis* per ipsos illa dicitur, quæ licet verè nihil agat in effectus productione, occasionem præbet causæ primæ ut illum producat. Ignis ligno applicatus, si Cartesium audias, est tantum occasio, ut Auctor naturæ in ligno incendium excitet. Anima volens brachium movere, nullam exerit vim in musculos sui corporis; Deus est, qui omnem motum in materia excitat juxta leges sibi sapientissimè præscriptas ad operandum in rebus, puta ad musculos brachii contrahendos, elevandos, extendendos, deprimendos eo tempore, quo anima voluntatem concipit brachium movendi. *Plerique Arabes*, inquit Joannes Baptista Duhamel, *in ea fuere sententia, ut nullam esse causam effectricem crediderint, si primam exceperis: adeò ut globus in alium impactus, motum suum non communicet alteri globo, in quem incurrit, sed illius dumtaxat occasione motus a prima causa procreetur. Quod si verum est de motu, multo id probabilius de generatione ipsa, aut alteratione futurum est, quum ad primam dumtaxat causam pertineat novum ens procreare. Quæ utique sententia Cartesio, et multis recentioribus non displicet; quum omnis actio motu contineatur, quem a primo dumtaxat causa effici, et conservari existimant. Metaph. Tract. 2. Quæst. 6.* A nonnullis audies tamquam parum philosophicam, atque etiam absurdam ejusmodi sententiam suggillari. Et quidem plura, quæ Malebranchius adjecit in suo libro de *Inquisitione veritatis*, vix, aut ne vix quidem sine censura prætermitti posse candidè fatemur, ut *dissert.* 5. fusius exponemus. Quæ verò alii de causis occasionalibus tradunt, non adeò sunt destituta fundamento, ut *philosopho indignum systema* pronunciari mereatur. Sane Clarkius, & Lockius, metaphysici Angli non ignobiles, in eam sententiam descenderunt, ut causis inanimatis nullam agendi vim concederent: spiritualibus verò substantiis in corpora agendi facultatem relinquerent. Quod ad secundam partem attinet, in *Diss.* 3. locum obtinebit; quatenus verò substantias corporeas attingit, utriusque sententiæ fundamenta a duobus auctoribus desumpta propono, rem omninò in medio relinquens, *ut defendat quisque, quod sentit; sunt enim judicia libera*, ajebat Tullius 4. *Tusc.* 6. 4.

Duo-

Duorum illustrium Philosophorum de causis occasionalibus conflictio.

Primus est Para tom. 3. Metaph. n. 1222. „ Prop. 1. *Materia non est causa efficiens variorum motuum; horum itaque causa efficiens est omninò a materia distincta.* Dem. Sive experientiam, sive rationem consulamus, certum est ubique & semper duas in materia deprehendi præcipuas proprietates, quibus manifeste ostenditur, eam esse non posse causam efficientem diversorum motuum, quos in visibili natura observamus; porrò hæc sunt, *intrinsecus activitatis defectus, et intrinsecus intelligentiæ defectus:* atqui evidenter repugnat, substantiam & activitate, & intelligentia carentem esse causam efficientem motus, qui in visibili natura datur. Hoc ostendo, motum considerans & in sua productione, & in sua determinatione, & in sua continuatione „.

„ 1 *Motus qui in visibili natura datur, in sua productione consideratus, materiæ effectus esse nequit.* Sive enim materia in quiete, sive in motu consideratur; certum est, neque intra se, neque extra se ullius motus causam efficientem esse posse: adeòque non producere ut causam efficientem motum, quo natura animatur. Primò *materia quiescens* substantia est activitate simul & actione destituta. Atqui evidenter repugnat, substantiam propria activitate carentem, & a nulla extrinseca causa ad agendum determinatam, motum ut causam efficientem producere „.

„ Deinde materia in motu nequit esse magis causa efficiens motus, quam materia quiescens. Quid enim magis habet materia in motu quam quiescens? *modificationem naturæ suæ accidentalem*, sed quæ nullo modo extra illam esse potest, quam nec magis alteri materiæ communicare potest; quam communicare possit aut suam rotunditatem, aut suos angulos, aut suam concavitatem, aut aliam figuram qualemcumque; modificationem denique, quæ non magis alteri modificationi sibi simili existentiam dare potest, ac materia alteri materiæ existentiam impertiri possit „.

„ Siquis arbitraretur, corporis alicujus motum in aliud corpus transire posse, is se parum de motus natura philosophatum fuisse ostendit. Quid enim est corporis motus? est tantum modificatio corpori accidentalis, Atqui ea est modificationum natura, ut nonnisi in substantia, quam modificant, existere possint; ea est, cui essentialiter repugnet, ut extra substantiam, cujus modificationes sunt, seu essendi modi, agant, aut subsistant, aut aliò transeant. Repugnat ergo corporis motum in aliud corpus transire. Repugnat ergo corpus alteri corpo-

ri motum suum communicare. Si ergo corpus A motum accipit occasione ictus, aut tactus alterius corporis B; motus hic in corpore A productus nihil est ex motu qui existebat in corpore B. Motûs ergo in corpore icto productus, ab alia causa a motu corporis percutientis diversa producitur „.

„ 2. *Motus qui in natura habetur, in sua determinatione consideratus, in præcisa, & determinata scilicet sua quantitate, & qualitate, quibus definitur, nequit esse materia effectus.* Motus hic enim ut a physica, a mechanica, ab astronomia addiscimus, infinitè varius est, & semper juxta immutabiles leges in sua productione, & manifestè in causa producente intelligentiam supponit infinitè promptam, & accuratam, quæ quovis instanti, & in quavis rerum circumstantia illum producere sciat certa, ac determinata quantitate, nullo excessu, nullo defectu, eaque præcisione, quæ omnem finitam intelligentiam evidenter superat „.

„ 3 *Motus invisibili natura contingens in sua continuatione consideratus, nempe in existentia, quam habere pergit, postquam actio cessavit, a qua primitus ortus est, nequit esse materia effectus.* Si enim supponamus etiam causas activas in natura materiali, nihilo facilius motus phænomenon explicabimus: ex. g. saxum manu tenes, & hoc in scopum a te magis, minusve dissitum conjicis. Non quæro, num brachium *primitus motum* huic saxo indiderit, seu motum, quo e manu effugite; quæro tantum, & peto, qua vi, seu *qua virtute* saxum hoc moveri pergit, postquam sejunctum est? Respondebis profectò, ratione primi impulsus a te illi impressi, quum in scopum jecisti. At philosophica ne hæc responsio est? Impulsus hic primitivus una est ex illis modificationibus, quæ tantum in actione sunt: harum verò natura est, ut esse desinant, quum produci desinunt. Quare etsi brachium tuum fuisset primi hujus impulsus causa efficiens, quod non concedo: impulsus hic existere desiisset, quum in saxum agere desiisti, statim ac a manu recessit. Primitivus igitur hic impulsus, qui in saxo jaculato perseverat, a te existentiæ suæ perseverantiam non habet. Ergo primus hic impulsus neque *existentiæ suæ initium* a te habet „.

„ 4 Ex his omnibus evidenter consequitur, sive *motus natura*, sive *materiæ natura* considerata, materiam non esse diversorum motuum causam efficientem, qui in visibili natura contingunt, eosque, ut existant, necessariò indigere causa efficiente, quæ a materia omnino diversa sit „.

„ Obj. 1. Si dicas, materiam non esse causam efficientem motus; dicis quoque universum humanum genus a mundi

di origine ad hos usque dies in perpetuo errore versatum fuisse de iis, quæ magis cognitu obvia sunt, adeòque pyrrhonismo victricia arma præbes. Quænam enim cognitiones jam certæ reputentur, si eas modo ejurare oportet, de quibus numquam a mundi exordio usque ad Cartesii ætatem dubitatum fuit? R. A mundi exordio ad Cartesii ætatem humanum genus de motus causa efficiente, ut & de motus legibus, minimum, aut pessimè philosophatum fuerat. Si vero in permanente errore hac super re versatum est, sibi imputet. Mens humana falli potest: at ab errore semper resipiscendi jus habet „.

„ 1 Natura nullam *generalis*, & *necessarii erroris* hominum menti causam præbet. Ipsa immutabilis, quod olim docuit, semper docet, nec umquam ipsa fallit. 2. At mens humana naturæ documenta prætergredi potest, & sibi culpa sua plurimos errores generales, non tamen necessarios procreare. Ex. g. semper natura docuit, corpus motum alteri corpori, in quod incurrit, motum excitare; plures humani corporis motus ab humana voluntate pendere, aliaque hujusmodi. At numquam docuit, percussi corporis motus causam efficientem esse corpus percutiens. 3. Pyrrhonismus nihil obtinet a recentiorum de motu sententiis: hæ siquidem non humanam certitudinem tollere, imò verò illam validius statuere, atque aptius explicare, & adhibere nituntur. Varia hæc motus phænomena, quæ ante Cartesium nota erant, & certa reputata, tum in animata, tum in inanimi natura, suam semper servant certitudinem. Dubia methodica Cartesii id præstiterunt, ut ignotas eorum causas melius inquirere docerent „.

„ Obj. 2. Materia motus, quorum occasio est, producere videtur; & nihil certò probat, eos ab illa non produci. Quare igitur eorum causa efficiens non censeatur? R. Materia motus ipsi attributi *causa physica* esse videtur, & re ipsa est; non tamen inde sequitur illorum eam esse causam efficientem potius, quam occasionalem. Binæ rationes præcipuæ probantes, materiam motus, quem excitat, non esse causam efficientem, sunt ipsa *materiæ natura*, quæ sese activitate, & intelligentia destitutam ostendit; & ipsa *motus natura*, qui ab uno in aliud corpus transire nequit „.

„ Si cum nonnullis materialistis supponatur, motum in materia a præcedente motu oriri, hunc ab alio adhuc præcedente, atque ita porrò indefinitè, ita ut numquam ad motorem aliquem a materia distinctum perveniatur; supponerentur primò infiniti effectus sine causa, quod manifestè absurdum est. Supponeretur deinde, motum ab uno in aliud corpus transire, ut nummus ab una in aliam

crumenam transit, aut ut aquæ gutta in spongiam absorbentem transit; quod æquè absurdum est, quum hac ratione ut motus explicetur, ejus idea, & natura destruatur. „

„ Obj. 3. Deo injuriosa, & Deo indigna tribuuntur, si dicatur ipse motus *unica causa efficiens*. Ex hac enim hypothesi sequitur primò: Deum assiduè in curru trahendo, in sarcinis ferendis, in planetis, cometis, maris fluctibus movendis esse occupatum . . . Atqui hæc omnia Deo evidenter repugnant: ergo falsum est motus omnis in natura . . . inanimata producti esse Deum causam efficientem. R. Tertia hæc objectio ab aliquo enthusiaste ignarum vulgus alloquente prolata, apta esset in *maximè philosophicam sententiam* a nobis statutam animos concitare . . . Nihil tamen habet hæc sententia, quod ab excultis animis vera rerum principia intelligentibus, eaque recte perpendentibus non sit probandum „.

„ In hypothesi *concursus immediati*, quem fermè hi omnes admittunt, a quibus sententia hæc nostra impugnari posset; Deus re ipsa, & physicè cum causa creata producit *tamquam causa efficiens* motus quoscumque . . . in plantis, in mari, in atmosphæra, in cælestibus corporibus, in rerum universitate contingentes. Quidquid igitur sententiæ nostræ maximè philosophicæ objicitur, æquè concursus immediati hypothesi, sed æquè nullo jure, objici potest. Nihil enim concursus immediati sententia præsefert indignum Deo, ut omnes philosophi consentiunt, sive qui concursum hunc necessarium admittunt, sive qui ut superfluum rejiciunt. Si itaque Deo indignum non est concurrere ut causam efficientem ad motus omnes naturæ tum *animatæ* tum *inanimatæ*; neque neque Deo indignum erit esse causam efficientem, eamque unicam omnium horum motuum in sententia a nobis admissa „.

„ Nota: magnum discrimen est inter sententiam nostram, & immediati concursus hypothesim. Non tamen hoc quidquam officit qualitati *causæ*, *cujusque motus efficientis*, quam utraque sententia Deo tribuit. 1. In sententia nostra Deus solus motus omnis causa efficiens est, neque res creata . . . inanimis . . . quidquam ut causa efficiens influit in motus productionem, & conservationem. 2. In sententia immediatum concursum admittente, motus quilibet ab actione Dei simul, & rei creatæ producitur; ita ut Dei actio sit re ipsa causa efficiens motus completa, & totalis totalitate effectus; & actio quoque creatæ rei sit motus causa efficiens completa, & totalis totalitate effectus; ita ut, iterum, res creata plenam, atque perfectam facultatem haberet solis suis intrinsecis viribus motum quemvis, quem hæc facit, producendi; nisi necesse esset, Deum ad perfectum suum dominium, in rei creatæ actionem servandum, & exercendum, hunc ipsum motum indivisibiliter cum re creata efficere . . .

Obj. ult. Si Deus unica motus causa efficiens est, *scientia physica* jam nulla est: in hac enim hypothesi phænomenon quodvis explicabitur dicendo, ita contingere, quia Deus ita illud efficit: ex. g. terram circa solem converti, quia Deus illam circa solem convertit; saxum ad centrum terræ gravitate tendere, quia Deus illud ad hoc centrum impellit; mare æstuare, quia Deus in illo æstum producit; cetera. Atqui patet, physicam ita pertractare, esse illam ex scientiarum albo delere, ac nullam reddere. R. Si Deus solus visibilis naturæ motus produceret nulla in motus productione certa, & immota lege servata, profectò physicæ studium inane esset; neque a præsentibus phænomenis de præteritis, aut de futuris judicium ferri posset. At si Deus in universa natura motus producens, *certas*, atque immutabiles *leges* sequitur, quas detegere, ac aptè dignoscere oporteat, ut effectus exactè determinetur, qui jam sequutus est, aut sequi debet in quamplurimis, & futuris phænomenis: patet, adhuc physicam scientiam esse menti nostræ exercendæ, atque eruiendæ maximè opportunam.

Quid igitur est *scientia physica* in hypotesi, qua Deus sit motuum *materiæ* unica causa efficiens? Scientia est naturam variorum corporum, quantum fieri potest, observans, ac detegens ex peculiaribus illorum proprietatibus, ex effectibus, quos pariunt, ex legibus, quibus reciprocæ eorum actiones fiunt: quæ illa, quæ constanter, & immutabiliter in diversis corporibus contingunt, esse probat ab *aliqua immutabili naturæ lege*: quæ iteratis, & accuratis observationibus paucas aliquot detegit ex his immutabilibus legibus, ad quas tamquam ad causas physicas, omnia magna mundi hujus visibilis phænomena referantur, atque ita *Dei secreta* detegit, sive ordinem, quo progreditur in universali, & permanente actione sua in materiales substantias immensam hanc rerum universalitatem constituentes. „

„ Ex. g. Motus telluris circa solem, seu saxi ad telluris centrum, unicè a Deo producitur vi *legis generalis gravitationis* omnia omninò corpora permanenter afficientis, & cujus influxus physicus in corpora diverso modo æstimari debet ex diversis eorum massis, atque ex diversa a centro motus distantia. Ut igitur vel hic telluris circa solem, vel hic saxi ad telluris centrum motus aptè dignosceretur, & accuratis observationibus, & acutissimis ratiociniis, & diuturnis meditationibus physicæ studiosi indiguerunt. „

„ In

„ In nostra hypothesi physica adhuc scientia est dignissima, cui humanum ingenium operam navet; ejus enim scopus est *verum ordinem* dignoscere, quem Deus sequitur in universali sua actione, qua naturam universam regit, ac permanenter animat. „

Schol. Auctor plura interserit inter argumenta, quæ ad secundam ipsius propositionem spectant, in qua negat substantiæ spirituali vim corpora movendi; quæ ideò intersecuimus, ne rem omninò præsenti quæstioni extraneam temerè misceremus. De influxu, & commercio animæ cum corpore in psycologia recurret sermo. Audiamus jam alterum philosophum Germanum, ejusdem ac præcedens, florente Soc. Jesu, familiæ, ac per plures annos in Collegio Teresiano Vindobonæ philosophiæ professorem; quemadmodum Para in Gallia sua; etiamsi opus post interitum Societatis ediderit.

Mako Ont. cap. 13. n. 210. *Schol.* 1. „ Ne illud quidem inter philosophos convenit, utrum creatæ causæ ipsæ verè omninò agant; & non potius earum occasione, variaque dispositione Deus, aut alia quædam potestas cunctas in natura rerum molitiones, atque mutationes efficiat. Atque ut a postremo exordiar, illud indubitatum esse arbitror, mentem humanam earum actionum, quarum intra se habet conscientiam, verè, ac propriè effectricem esse, quemadmodum in psycologia explicabimus. Quod ad corpora attinet, perdifficilis, ac perobscura quæstio est: is enim nexus inter corporeas causas, & effectus non ita evidenter cernitur, quamquam vires quasdam iis inesse admodum sit verisimile. Exploratum habemus equidem, corpore impulso, id quoque, in quod incidit, commoveri: vix tamen hinc manifestè efficitur corpora esse earum motionum causas: fieri enim fortasse posset, ut occasiones dumtaxat essent, quibus positis, alia quæpiam causa, per omnem rerum universitatem pertinens, ageret, ut olim cecinit Virgilius:

Cælum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. Æn. 6.

Fieri itidem posset, ut corporibus motis insint facultates quædam ignotæ, de quibus constituere nihil tutò liceat. Latent ista tenebris, & obscuritate naturæ involuta. Quare nihil sanè in obscurissima hac quæstione decernendum arbitror: indignum est enim gravitate philosophi, atque constantia, id, quod non satis exploratè perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere „.

„ Si

„ Si tamen conjectura aliqua promenda sit, puto eam sententiam esse ad veritatem propensiorem, quæ veram efficientiam rebus corporeis tribuit. Est enim ea, & communi hominum sensui, & statis naturæ legibus magis consentanea. Nam in primis quidem homines tacita quadam naturæ admonitione eas affectiones verè causis corporeis assignant, quæ ab his proficisci videntur: ex. g. vere arbitrantur universè omnes, a globo tormento excusso crura frangi, a ventorum impetu tecta deturbari, ab aquarum vi pontes sæpe abripi, & his affinia alia. Deinde constans naturæ lex est, ut effectus causarum hujusmodi semper causis ipsis proportione respondeant: ex. g. ut ictus, quo corpus aliquod feritur, constanter respondeat corporis ferientis massæ, & celeritati; atqui legis hujus nulla videtur posse ratio assignari, si causæ hujusmodi verè non agant, sed ad earum præsentiam alia quædam omnia efficiat: quæremus enim, cur semper massæ, & celeritati respondeat ictus? cur non ad præsentiam minoris massæ vel majoris, major vel minor ictus saltem aliquando consequatur? Facilius ista intelliguntur, si causis hujusmodi vera efficientia tribuatur. Neque argumenta, quæ opponi solent, ejusmodi sunt, ut non satis probabiles habeant explicatus.

„ Quærunt 1. Cartesii discipuli, an causæ corporeæ agant tamquam instrumenta, vi scilicet aliunde accepta, ut hic calamus, quo ista scribimus; an tamquam causæ principes vi propria? Nos verò ostendemus in cosmologia minimis corporum elementis inesse vim agendi propriam (*vide infra* 193), ac proinde corpora esse multarum rerum causas principes. Sed nonne corpora omnia sunt inertia, hoc est ad motum, & quietem æquè indifferentia? quonam ergo pacto agunt in se invicem, quum pleræque actiones eorum in motione sint positæ? sunt nempe inertia hoc sensu, quod sese, vel aliud commovere nequeant, nisi extrinsecus determinentur: sin autem extrinsecus determinentur, sive si ad certas distantias deveniant ad invicem, tunc enimvero alterum in alterum agere ex vero poterit, ut suo loco docebimus. „

„ 2. Vivent ergo, inquiunt, minima corporum elementa, si in certis distantiis posita sese suis viribus appetere, vel fugere possint. Minimè id quidem: imprimis enim nullum elementum poterit suapte sese loco movere, nisi ab altero in certa distantia posito determinetur, carebitque motibus spontaneis. Deinde vitales actiones eas utique esse dicimus, quæ ab anima efficiuntur, neque aliter ex motu deducimus vitam, nisi quatenus ex motu animæ, atque ab eo etiam actionum vitalium præsentiam concludimus: at motiones in elementis nostris absque omni ani-

mæ

hæ officio peraguntur, uti fit ex. gr. in particulis ignis æstuantis, in effervescentiis chimicis &c. „

„ 3. At si unum elementum loco moveat alterum, conservabit illud in diversis successivè locis; nam quum elementum aliquod movebitur, hoc ipso in diversis successivè locis conservabitur. Sophisma isthuc quidem est. Dum elementum movetur, in diversis equidem locis conservatur, sed non conservatur per illam ipsam actionem, per quam movetur; nempe Dei actione efficitur, ut elementum illud in rerum natura sit, quod sonat conservatio: causæ moventis actione fit, ut idem elementum in rerum natura extans potius diversa successivè loca, quam eumdem constanter occupet. Quare conservare aliquid in diversis successivè locis, ambas actiones involvit; movere verò involvit solam posteriorem: quo ritè animadverso, etiam alia his affinia sophismata, seu verborum lusus facilè expedientur. „

Schol. Licet nonnulla duorum illustrium philosophorum conatibus de meo adjungere, ut si fas est, obscurissimæ causarum theoriæ, si minus lucem, crepusculum saltem offundam. Nos quidem omninò e sensibus rerum ideas mutuantes, causarum productiones ita concipimus, quasi siquis de propria substantia aliquid extrahat, ac materiam, in quam effectum inducit, eo veluti configuret: aut animam in corpus agentem, instar hominis manum alterius arripientis, ac propria manu supposita, cum ipso pondus elevantis, aut quid simile peragentis. Fateor, perdifficile admodum, ne dicam impossibile factu esse, res ad statum *puræ intelligentiæ* ita perducere, ut nihil in mente nostra hujusmodi phantasmatum appareat, quæ res e statu suo extrahunt, atque ad aliarum similitudinem, e quarum ideis ideam illarum nobis formavimus, conformant. Audeamus tamen, si fas est, causas efficientes eo modo operantes concipere, quemadmodum mentem corpore segregatam ipsas intueri, possumus conjectare. Ac primò causam supremam operantem sic ego concipio, non quasi actione aliqua vim exerente rebus existentiam impertiatur; at unico voluntatis actu decernentè, ex. gr. *fiat lux*, *et facta est lux*; quod & ad omnes pariter effectus creatos, libertatis creatæ exercitio dempto, quare extendi nequeat, prorsus non video. Quis enim inficiabitur, supremæ causæ *virtutem*, *influxum physicum*, *potentiam in actu primo proximo*, *in actu secundo*, *actiones*, *conditiones etc.* mera esse adminicula, quibus menti tamquam coloribus, aut imaginibus repræsentamus id, quod in sua nativa simplicitate intueri non valemus?

Deinde ad causas secundas quod attinet, eumdem operandi modum transferamus: nimirum quod Deum egisse in

in creandis rebus eloquentissima illa simul, ac simplicissima formula, *fiat*, *et factum est*, expressum modò vidimus, idem ad productionem, mediis causis secundis, traducamus. Procul esto profana phantasia, res omnes imaginibus materialibus obvolvens, atque obscurans. Et ut a simplicioribus ad magis implexa gradum faciamus, ad tempus ipsum creationis rerum nos mente retroagamus. Simul ac voluntas Dei cælum, & terram in principio creandi executioni mandatur, massæ illæ immensæ ab statu purè intelligibili ad statum existentiæ traductæ, atque in globum conformatæ circa proprium centrum contorqueri incipiunt. Motus hic quid est aliud, quam exequutio voluntatis divinæ, quæ eo modo, quo e nihilo ad existentiam traduci, dixit, & *factum est*, ita & eo momento, quo esse inciperent, locum mutare, juxta leges sapientissimè ipsis dictatas, pariter imperavit? Neque hic Supremum motorem perindè quasi manu ducentem, ac inflectentem sphæras fas est sibi fingere: exulare enim materiales ideas jussimus, ac puram intellectus vim ab omni imagine purgatam ad hæc percipienda adhiberi voluimus. Ecquidnam igitur in hac conservatione, in hac inflexione, in hac mutua ad invicem gravitatione cernere licet, nisi supremum Conditoris imperium, cui omnis natura se præstat, *omnia quæcumque voluit*, *facientis?* Quid aliud indigent universa in errantium astrorum planetaria systemata, ut ad amussim motus omnes suos peragant, utique vi centripetæ, ac centrifugæ juxta radii vectorii directionem obtemperando, nisi idipsum quod, quum extraherentur e nihilo ad existentiam, præstiterunt, nimirum obedire voci ejus, *qui vocat ea*, *quæ non sunt*, *tamquam ea*, *quæ sunt?*

Sed jam ulterius progrediamur, ac solis globum eo die, quo die lucis materiam vel extra se positam, vel e suo sinu effluentem cœpit in planetas ejaculari, paulum consideremus. Certum est effectus omnes, quos a radiis solaribus etiamnum concitari experimur, ab eo tempore incepisse. Jam vero si naturæ Auctor centrum planetarum fecit solem, qui & illos trahat, & ab ipsis trahatur, ut fert vulgata attractionis opinio, non certè alia virtute Auctor naturæ ipsum instruxit, nisi ea, qua omnia creata pollent, se submittendi legibus ab ipso dictatis; atque eademmet omnia alia præstabit, ad quæ fungendo munere suo est in natura destinatus; puta productionem caloris, motus, seminum explicationem, cetera. Nimirum quemadmodum in ratione duplicata inversa distantiarum planetas ad se trahit, quin effluvium, aut virtutem aliquam ex se profluentem emittat, ut illos cogat ad se venire, ita etiam, & lucem, & calorem, incendia, cetera in ipsorum materia producet.

E sole ad globum nostrum descendamus. Incipit terra Causæ primæ nutui obsecundans, germinare herbam virentem, & aqua scatere piscibus, ac volucribus, quæ per aera usquequaquè ferantur. Ego quidem sic existimo, eodem modo se gessisse Creatorem in secundis his productionibus, atque in primis supra fecisse vidimus. Eo nempe voluntatis imperio, quo terram transtulit e statu intelligibili ad statum existentiæ, & res alias, quas ex eadem extraxit, ab uno ad alterum statum traduxisse; easdemque omnia alia tum, atque etiam nunc præstare, sicut sol, & terra hæc præstiterunt, *dixit et facta sunt*; *mandavit, et creata sunt*. Substantia illa aquea in corpus piscis, aut volucris conformata, illud a Conditore audivit imperium, ut ad quoscumque motus juxta leges statutas obtemperaret, atque ad ea omnia versatilem se præberet, quæ in hujusmodi brutis animantibus ab interno principio percieri contingerent. Neque mihi difficilius est concipere uranum, saturnum, jovem &c. circumvagantes uno primi Motoris imperio, quam substantiam illam aqueam in corpus delphini conformatam, juxta nutum interni principii, cui versatilem se præbere ab eodem Motore injunctum fuit, quæ

per maria humida nando
Carpbatium, libicumque secat luditque per undas.

Transferamus etiam, si ita lubet, neutonianam attractionem e cælo ad terram, sive a globis cælestibus ad quamlibet materiæ partem, ut apud recentiores ferè omnes convenit: aut demus puncta materiæ juxta Boschovichii theoriam ad quasdam distantias se trahere, ad proximiores repellere, quin ad contactum umquam deveniant (vide infra art. 193). Motus hic procul dubio a notione materiæ extraneus, est ne aliqua vis, aut nisus materiæ se ad aliam veluti amplectendam impellentis, quæ ex intrinsecis ejusdem attributis proveniat? Minimè hoc neque attractionis assertores, neque boschovichianæ theoriæ fautores umquam pronunciabunt. Per ipsos lex hæc est Conditoris arbitrio constituta, ad quam omne corpus sine ullo materiæ subtilis impulsu, aut vorticum compressione se submittit: neque ad id præstandum ullo manus primi Motoris attactu adigitur, aut pulsu interno vel externo, ut elaterium in horologio, aut naves vento commotæ; hæc enim omnia imbecillis imaginationis nostræ adminicula sunt, quibus materialium imaginum ope ad ea percipienda excitamur, quæ spontanea naturæ præstatione geruntur.

Hoc modo, ni fallor, utriusque sententiæ propugnatores,

res, atque impugnatores non ineleganter conciliari posse videntur, si depositis a phantasia haustis præjudiciis, rem ad puras intellectus notiones traducere non graventur. Verus quippe est hic influxus physicus, vera productio, vera dependentia effectuum a causis: aut enim hæc omnia Causæ primæ perneganda sunt, aut etiam causis secundis suo modo concedenda. Dixerisne, Deum vere non operatum fuisse, neque aliquid egisse dicens, *fiat lux*, *et facta est lux?* aut, *germinet terra herbam virentem*, *et producant aquæ reptile animæ viventis*, *et volatile super terram ... et factum est ita?* Atqui hæc omnia perpetrasse uno voluntatis nutu, quin influxum aliquem e se profluentem, aut actionem motum indicantem, atque alia hujusmodi imaginationis nostræ phantasmata intercesserint, supra ostendimus. Et quidem nec digniorem alium majestate, ac potentia divina agendi modum introspicio; nec conformiorem divinarum scripturarum loquutionibus, ac magnificæ notioni, quam de se ipse naturæ Auctor præbet, accomodatum magis invenio. Difficultates omnes a communicatione, & translatione motus, ab intelligentia in causa movente, a modificationibus ab una in aliam substantiam translatis, a communi sensu de effectuum productionibus cet. hoc statuto modo illicò evanescunt; ac suum etiam pondus habent, si ritè ad ipsum constabiliendum adducantur.

At hoc modo, inquies, causarum efficientiam explicandi, materiæ inertia exulare jubetur, atque ipsi quædam efficacitas, & vitalis agendi modus tribuitur. Minimè hoc sanè: nam si creatam materiam ab externa Dei lege separatam concipias, ab intrinsecis suis attributis, neque quietem appetet, neque motum renuet: quam genuinam inertiæ notionem esse, ex physica norunt omnes. Deinde vitalis actio illa dicitur, quæ a substantia immateriali aut spirituali functiones internas substantiæ simplicis peragente, effluere concipitur, puta perceptiones, voluntatis actus, cet. quæ modificationes internæ substantiæ spiritualis sunt, ab ipsius metaphysicis attributis provenientes. Neque quis umquam, Neutonum materiæ actus vitales concessisse, dixerit, eo quod motus omnes planetarum a vi centripeta, ac centrifuga ex lege Conditoris unicè pendente, exposuerit.

Sunt qui putent parum philosophos se præstare, qui effectus aliquos ad unam Dei voluntatem referunt, quin ipsi aliquam in natura causam assignent. Hac de causa gravitationem, seu attractionem suggillant, atque inter occultas peripateticorum qualitates recensent, quod abstrusum quoddam phænomenon sit, atque a mechanico agendi modo deflectat. Sanè qui argumenta a Para propo-

posita ritè perpendat, nullam in materia proportionem ad effectum producendum, nisi modo a nobis exposito confiteatur, necesse est. At, inquies, nonne potuit Deus materiæ virtutem producendi motum communicare, adhibitis illis conditionibus, quibus positis motum excitari videmus? Maximè, ajo, si per virtutem id intelligas, quod, virtutem in causa intelligi debere, supra exposui: minimè verò si aliquod effluvium, aut communicationem, aut vim e substantia materiæ quasi effluentem concipias, atque in substantiam motam transeuntem. Hoc enim ex rationibus ab ipsa motus essentia petitis fieri non posse, ostensum est: imò hujusmodi virtutis effluxio nulla substantiæ parte in effectum translata a ratione ejurari videtur. Sed hæc hactenus.

§. II.

De Substantia, & Accidente.

166 Res omnes oculis nostris subjectas passim mutationes subire conspicimus, quin illarum intrinseca constitutiva varientur: id igitur, in quo hæ mutationes occurrunt, *substantiam* dicimus; id verò, quod in ipsis esse desinit, aut de novo introducitur, *accidens*, aut modus (34) solet appellari. Substantiam vocant etiam *subjectum inhæsionis, & modificationum*, eo quod ipsi inhæreant accidentia, seu modificationes.

167 Substantiæ definitio multum exercuit philosophos. Aristoteles ac ejus schola præcedentes philosophos sequuta, substantiam *ens per se subsistens* definiunt; quod idem sonat ac ens nulli alteri inhærens. Quæ quidem definitio hoc sensu intellecta optimè notionem substantiæ exhibet, increatam, & creatam comprehendens, quod aliis definitionibus ab hodiernis metaphysicis traditis minimè convenit. Wolfiana quidem definitio *ens modificabile, & perdurabile* substantiæ creatæ tantum est applicabilis. Deus siquidem mutationis cujuscumque prorsus expers, substantia *modificabilis* dici non potest.

168 Substantiæ generalior divisio est in *spiritualem* & *materialem*. Plerique tamen, quibus et nos subscribimus, tertiam admittunt, quam *immaterialem* appellant, ut nimirum in eo sit ordine anima brutorum. Spiritualis rursus in *creatam*, & *increatam* dividitur: increata est solus Deus; creata in duas item species partitur: prima comprehendit Angelorum omnium, seu *intelligentiarum species*, quos Ethnici etiam geniorum nomine cognoverunt; et animam hominis.

169 Schol. Materialis substantia simplex est; nequa enim

enim componitur partibus, quæ substantia non sint (34). Quælibet indefinitè parva materiæ particula vera est substantia; aggregatio aliarum particularum molem ipsius augent, *substantialitatem*, ut ita dicam, non augent. Composita, quæ dicuntur *substantialia*, puta homo, bellua, lapis, ita nuncupare consuevimus, ut ab *artificialibus*, hominum industria confectis, secernamus, sicut *templum*, *palatium*, *horologium*; quæ etiam composita *accidentalia* audiunt.

170 Corol. Compositum igitur nihil aliud continet quam substantias simplices, e quarum conjugatione oritur. Hoc tantum sensu admitti potest expressio illa P. Mako (Ont. c. 8. n. 106). „ Essentia entis compositi meris constat accidentibus. Entis enim compositi essentia sita est in modo, quo certæ partes invicem conferuntur, atque adeò non involvit, nisi partium magnitudinem, qualitates, ac determinatam conjunctionem, quæ omnia mera sunt accidentia. „ Laudatus Auctor hic tantum notionem metaphysicam compositi speculatur, sive, ut loquuntur, in *ratione compositi*. Compositio nimirum substantiæ accidentalis est, nihilque, quod compositionem sapiat, sive conjugationem cum aliis substantiis in sua notione involvit.

171 In substantia & vis, seu potentia agendi, & potentia recipiendi concipitur: exercitium primæ *actio* (146); alterius vero *passio* dici solet. Hinc orta est divisio potentiæ in *activam*, & *passivam*, seu in illam, quæ aliquid operatur, & eam, quæ operationem alterius in se recipit. Ceterum eadem substantia, & activa, & passiva simul esse potest. Mens humana perceptiones suas concipiens, & illas in se recipit; ita ut sit respectu earumdem *agens*, & *patiens*, saltem modo nostro concipiendi, si revera ab anima non distinguuntur, ut quibusdam auctoribus visum est.

172 Schol. „ Peripatetici admiserunt quoddam accidentis genus, quod illi nomine accidentis absoluti insigniverunt. Erat autem iis accidens absolutum, quod tametsi servato naturæ cursu, nec produci, nec existere possit extra subjectum, possit nihilominus supernaturaliter, quum sit *entitas* (ut eorum phrasi utar) ab entitate subjecti prorsus distincta. Atque pro hujusmodi accidentibus habebant cognitiones nostras, actus voluntatis, colores, calorem &c. At hodierni philosophi isthoc accidentium genus pro inani comminiscentis ingenii partu habent. Nec immeritò: nam, ut alia taceam, eorum existentia nullo solido argumento evincitur; omnia substantiarum accidentia per solas earumdem determinationes, ac relationes aptè explicari, per decursum philosophiæ patebit: eo

posita ritè perpendat, nullam in materia proportionem ad effectum producendum, nisi modo a nobis exposito confiteatur, necesse est. At, inquies, nonne potuit Deus materiæ virtutem producendi motum communicare, adhibitis illis conditionibus, quibus positis motum excitari videmus? Maximè, ajo, si per virtutem id intelligas, quod, virtutem in causa intelligi debere, supra exposui: minimè verò si aliquod effluvium, aut communicationem, aut vim e substantia materiæ quasi effluentem concipias, atque in substantiam motam transeuntem. Hoc enim ex rationibus ab ipsa motus essentia petitis fieri non posse, ostensum est: imò hujusmodi virtutis effluxio nulla substantiæ parte in effectum translata a ratione ejurari videtur. Sed hæc hactenus.

§. II.

De Substantia, & Accidente.

166 Res omnes oculis nostris subjectas passim mutationes subire conspicimus, quin illarum intrinseca constitutiva varientur: id igitur, in quo hæ mutationes occurrunt, *substantiam* dicimus; id verò, quod in ipsis esse desinit, aut de novo introducitur, *accidens*, aut modus (34) solet appellari. Substantiam vocant etiam *subjectum inhæsionis, & modificationum*, eo quod ipsi inhæreant accidentia, seu modificationes.

167 Substantiæ definitio multum exercuit philosophos. Aristoteles ac ejus schola præcedentes philosophos sequuta, substantiam *ens per se subsistens* definiunt; quod idem sonat ac ens nulli alteri inhærens. Quæ quidem definitio hoc sensu intellecta optimè notionem substantiæ exhibet, increatam, & creatam comprehendens, quod aliis definitionibus ab hodiernis metaphysicis traditis minimè convenit. Wolfiana quidem definitio *ens modificabile, & perdurabile* substantiæ creatæ tantum est applicabilis. Deus siquidem mutationis cujuscumque prorsus expers, substantia *modificabilis* dici non potest.

168 Substantiæ generalior divisio est in *spiritualem* & *materialem*. Plerique tamen, quibus et nos subscribimus, tertiam admittunt, quam *immaterialem* appellant, ut nimirum in eo sit ordine anima brutorum. Spiritualis rursus in *creatam*, & *increatam* dividitur: increata est solus Deus; creata in duas item species partitur: prima comprehendit Angelorum omnium, seu *intelligentiarum species*, quos Ethnici etiam geniorum nomine cognoverunt; et animam hominis.

169 Schol. Materialis substantia simplex est; nequa enim

enim componitur partibus, quæ substantia non sint (34). Quælibet indefinitè parva materiæ particula vera est substantia; aggregatio aliarum particularum molem ipsius augent, *substantialitatem*, ut ita dicam, non augent. Composita, quæ dicuntur *substantialia*, puta homo, bellua, lapis, ita nuncupare consuevimus, ut ab *artificialibus*, hominum industria confectis, secernamus, sicut *templum*, *palatium*, *horologium*; quæ etiam composita *accidentalia* audiunt.

170 Corol. Compositum igitur nihil aliud continet quam substantias simplices, e quarum conjugatione oritur. Hoc tantum sensu admitti potest expressio illa P. Mako (Ont. c. 8. n. 106). „ Essentia entis compositi meris constat accidentibus. Entis enim compositi essentia sita est in modo, quo certæ partes invicem conferuntur, atque adeò non involvit, nisi partium magnitudinem, qualitates, ac determinatam conjunctionem, quæ omnia mera sunt accidentia. „ Laudatus Auctor hic tantum notionem metaphysicam compositi speculatur, sive, ut loquuntur, in *ratione compositi*. Compositio nimirum substantiæ accidentalis est, nihilque, quod compositionem sapiat, sive conjugationem cum aliis substantiis in sua notione involvit.

171 In substantia & vis, seu potentia agendi, & potentia recipiendi concipitur: exercitium primæ *actio* (146); alterius vero *passio* dici solet. Hinc orta est divisio potentiæ in *activam*, & *passivam*, seu in illam, quæ aliquid operatur, & eam, quæ operationem alterius in se recipit. Ceterum eadem substantia, & activa, & passiva simul esse potest. Mens humana perceptiones suas concipiens, & illas in se recipit; ita ut sit respectu earumdem *agens*, & *patiens*, saltem modo nostro concipiendi, si revera ab anima non distinguuntur, ut quibusdam auctoribus visum est.

172 Schol. „ Peripatetici admiserunt quoddam accidentis genus, quod illi nomine accidentis absoluti insigniverunt. Erat autem iis accidens absolutum, quod tametsi servato naturæ cursu, nec produci, nec existere possit extra subjectum, possit nihilominus supernaturaliter, quum sit *entitas* (ut eorum phrasi utar) ab entitate subjecti prorsus distincta. Atque pro hujusmodi accidentibus habebant cognitiones nostras, actus voluntatis, colores, calorem &c. At hodierni philosophi isthoc accidentium genus pro inani comminiscentis ingenii partu habent. Nec immeritò: nam, ut alia taceam, eorum existentia nullo solido argumento evincitur; omnia substantiarum accidentia per solas earumdem determinationes, ac relationes aptè explicari, per decursum philosophiæ patebit: eo

ipso autem id genus *entitates* adstrui profectò non debent, juxta vetus illud: *entia non sunt multiplicanda sine necessitate*. Præsertim quum complures earum qualitatum, quas peripatetici occultas nominarunt, accidentiaque absoluta esse voluerunt, detectæ jam sint, et omninò patere videatur eas nihilo minus esse, quam accidentia absoluta, ipsorum sensu accepta: ut adeò nullum omninò id genus accidentium vestigium deprehendi hactenus in natura potuerit. — At objiciunt juxta fidei nostræ dogma, in Eucharistia destructo pane, & vino, remanent eorumdem species, scilicet color, sapor &c. sub quibus veraciter continetur corpus, & sanguis Christi: atqui remanentes hæ species non possunt (inquiunt) esse aliquid, quam accidentia absoluta. R. *conc. maj. neg. min.* Nam species reapse Latinis idem est, ac apparentia: remanent ergo apparentiæ panis, & vini; sub quibus omninò *veraciter* continetur corpus, & sanguis Christi, quia *veraciter* corpus, & sanguis Christi est ibi, ubi apparet esse panis, et vinum. At num apparentiæ illæ remanentes *absolutis* accidentibus, sensu peripateticorum acceptis, attribui debeant, an aliter explicandæ sint, quæstio merè philosophica est. Censent autem hodierni philosophi, eas inde proficisci, quod Christus in Eucharistia præsens easdem dignetur actione supernaturali facere in organa nostra impressiones, quas panis, & vinum naturaliter facerent, si adessent —. Neque dicas, hinc consequens fore, ut Christus in Eucharistia nobis illudat. Nam exercendæ nostræ fidei gratia dignatur Is panem, & vinum dicto modo supplere, non autem, ut nos in errorem inducat. Hinc præmonet nos, ne testimonio sensuum decepti in errorem prolabamur; ut adeò si decipiatur quispiam, verèque judicet adesse panem, & vinum, ubi non adest, id fiat *per accidens*, & præter intentionem Salvatoris „. Horvath. Met. Dis. 1. c. 7.

§. III.

Subsistentia, Suppositum, & Persona.

173 *Subsistentia*, nomen antiquis philosophis ignotum, est illud substantiæ complementum, per quod intelligitur suarum operationum esse principium. Substantia vero ita constituta dicitur *suppositum*. Loquendo de aliquo rationalis naturæ individuo, nomen ipsi *personæ* tribuitur; non quod suppositum dici nequeat, sed quia *suppositum* generale nomen est enti cuilibet in se subsistenti conveniens; *persona* dignitatem quamdam naturæ, cui attribuitur, indigitat. Quod autem Latinis *persona*, id Græcis *hypostasis* post S. Athanasium significat; quamvis in sua origine substantiam denotaret; quod quidem nomen etiam theologis latinis familiare est.

174 Occasionem hujusmodi notiones inveniendi veteri philosophiæ prorsus ignotas, dedit augustissimæ Trinitatis, atque Incarnationis mysterium. Nam uti e fidei nostræ dogmatibus habemus, tres sunt in unica natura divina *hypostases*, seu *subsistentiæ*, quæ tres Personas divinas efficiunt. Secunda etiam Persona Trinitatis naturam humanam in unitatem personæ sibi assumpsit; adeòque ex duabus naturis coalescens unica tantum Persona ab *hypostatica unione componitur*.

175 Inde orta inter metaphysicos controversia, in quonam hæc subsistentia consistat; quam procul dubio a natura humanam distinctam esse fateri oportet, quum in Christo naturam humanam existere, personam humanam abesse, doceamur a fide. Plerique existimant *subsistentiam* nihil aliud importare, quam *negationem unionis cum alio ente*: qua unione deficiente, substantia in se sistere, aut subsistere concipitur; illa superveniente, quasi in jus alterius transit, desinitque in se consistere, ac suppositum esse. Sic gutta, aut portio aquæ ab alia ejusdem naturæ substantia segregata, suppositum esse concipitur: quæ si misceantur, in unum suppositum coalescunt, quin aliud ipsis superveniat quam illa copulatio, qua hujusmodi elementa commiscentur. *Si quis plura hac de re cupiat*, inquit præ laudatus Tamagna, *Scholasticos quoscumque adeat, ex quibus, & desiderium explere, & opprimere etiam vel invitus valebit*. Ont. Sect. 3. art. 1.

§. IV.

Quantitas, et Qualitas.

176 *Quantitas est magnitudo, sive extensio* partium totum aliquod componentium. Promiscua hic habeo *magnitudinem*, atque *extensionem* partium: plerumque enim magnitudinem ab extensione partium desumimus. Sic globum aureum unius libræ minorem existimamus altero ligneo ejusdem ponderis, eo quod extensionem majorem partium, quod *volumen* dicunt, habeat præ altero aureo etiam libram ponderante. *Extensionem* autem partium illam voco, quam a majore, vel minore spatio ab ipsis intercepto metimur. Nonnumquam etiam multitudo partium totum componentium *quantitas* dici solet; quod ex modo ipso loquendi facilè dignoscitur.

177 Ceterum quantitatem primo sensu acceptam concipere distinctè nullatenus possumus, nisi alterius quantitatis notæ subsidio, ad quam alteram ignotam referamus;

ex. g. globi magnitudinem explicare alteri non possum, nisi diametrum ipsius ad præcognitam mensuram, puta pedis, aut pollicis referendo. Hinc notæ a quantitate provenire illæ dicuntur, quæ sine respectu ad aliud assumptum dari quidem possunt, concipi verò non possunt.

178 Corol. Facile hinc discrimen *quantitatem* inter & *qualitatem* deduces. Qualitas enim sine alio assumpto concipi potest; ut quum aquam calidam aut frigidam dico, sine ullo alio adminiculo ab omnibus intelligor. Magnum autem aut parvum quid dici non potest, nisi relatum ad aliud, cum quo conferatur.

179 Substantiæ notio abstracta est: nihil enim determinatum nobis exhibet, e cujus conceptu idea clara, & distincta in nostra mente formetur. Ab ipsius vero qualitate, & quantitate habemus, quascumque notiones de ipsa concipimus; determinationes nimirum illæ, quæ substantiam ad aliquam entium classem deducunt, illam nobis repræsentant, quæ alioquin in suo conceptu abstracto remaneret.

180 Corol. Omnis igitur determinatio intrinseca, aut quantitas aut qualitas est substantiæ: ab hisque intrinsecis determinationibus substantia habet, ut in aliqua entium classe collocetur.

181 Qualitates in *primitivas & derivativas* distribuunt. Inter *primitivas* illas numerant, quæ primæ in ente concipiuntur; & de quibus reddi non potest ratio, cur enti insint; adeòque in ejus essentia contineri intelliguntur. *Derivativæ* in primitivis rationem sufficientem habent, cur enti conveniant: quæ rursus in *necessarias*, & *contingentes* tribuuntur. Si in primitivis rationem, cur actu insint, habuerint, erunt necessariæ: quod si tantum, ut existere possint, e primitivis deducatur, in contingentibus habentur. Lapidi esse solidum, ab ejus qualitatibus primitivis contingit, adeòque qualitas necessaria est: posse autem calidum, aut frigidum fieri, non tamen actu esse, ab eisdem habet; idcircò calor, aut frigus contingenter ipsi obveniunt.

182 Corol. 1. Similitudo, aut dissimilitudo entium a qualitatibus desumitur. Duo entia, easdem specie qualitates habentia, similia dicuntur, puta, duo globi, quos ob rotunditatem, in quam conformata est earum substantia, similes vocamus. Similitudo vero crescet, aut decrescet, juxta numerum atque intensionem qualitatum in utroque ente residentium. Sic duo ferrei globi ab igne rubentes magis similes sunt, quam si alter calidus, alter frigidus esset.

183 Corol. 2. Similitudo igitur admittit *magis*, & *minus*, sive gradum comparativum: quod de æqualitate omninò falsum est. Ratio discriminis est, quia qualitates, & numero, & gradu, seu intensione augeri possunt, in quibus similitudo consistit. Æqualitas vero a quantitate originem ducit, quæ si omninò eadem in utroque ente sit, eadem videlicet mensura computata, quocumque augmento, aut decremento in alterutro superveniente, ab æqualitate desciscit. Idcircò ut de veritate, sic etiam, de æqualitate dici solet, *in indivisibili* consistere: quum alterum altero magis verum, aut magis æquale dici non valeat.

184 Aliud etiam inter accidentia a quantitate, aut qualitate provenientia discrimen assignant; quod prisma per aliquam mensuram æstimatur, puta longitudinis, latitudinis, profunditatis, ponderum &c. Qualitates verò a gradibus intensionis (103) dignoscuntur: sic dulce, amarum, album, nigrum, non aliqua mensura, aut pondere discernuntur, sed remissiore, aut intensiore gradu ejusdem qualitatis.

§. V.

De Motu, & Quiete.

185 Breviter hic de motu, ejus notionem magis abstractam exponendo, disseremus; reliqua ad physicam reservantes, ubi opportuniorem sibi locum vendicant. Motus est *translatio entis ab uno in alium locum*. Unde ad motum duo saltem spatii puncta requiruntur; unum in quo ens sit, alterum ad quod transferatur, quæ *terminus a quo*, & *ad quem* in scholis audiunt.

186 Motum veluti qualitatem concipimus, quæ per gradus augeatur, aut remittatur. Sic motum *tardiorem*, aut *velociorem* dicimus, juxta gradus plures, aut pauciores *celeritatis*, quos in ente moto animadvertimus. Porrò gradus celeritatis relatè ad spatium, & tempus, quod mobile impendit in sua translatione, metimur. Nisus, & Euryalus idem spatium pedibus metiantur: si primus quatuor horæ minutis, alter quinque metam contingant, motus primi celeritatem majorem habebit quam motus alterius. Quod si primo minuto centum pedes spatii, secundo 90. tertio 80 &c. idem percurrat; ejus motus erit *retardatus*; secus, si quolibet instante eamdem celeritatem conservet, tunc enim motus erit *æquabilis*: quum vero celeritas augetur, motus dicitur *acceleratus*. Uterque tam *acceleratus* quam *retardatus*, *inæquabiles* vocantur.

187 Spatium, quod mobile decurrit, velut linea consideratur, reliquæ enim spatii partes ad motus notionem nihil conferunt. Quod si spatium instar lineæ; mobile tamquam punctum concipi debet. Per lineam quippe non-

nisi punctum fluere mens nostra potest concipere: hæc autem *linea directionis*, sive *directio* nuncupatur.

188 Corol. 1. Mobile unicam tantum lineam directionis sectari potest: si enim duas affectaret, idem punctum in duobus spatii punctis simul existeret: duas igitur directiones simul habere non potest.

189 Corol. 2. Motus igitur est ens successivum, cujus partes simul existere nequeunt. Est enim translatio entis ab uno in alium locum (185); quæ si in unico instanti fieri posset, punctum idem esset simul in duobus lineæ punctis (præc.) quod manifestum est, fieri non posse. Requirit igitur motus tempus aliquod, in quo perficiatur; nimirum *prius*, & *posterius*: *prius*, in quo concipiatur *in termino*, *a quo*; *posterius in termino*, *ad quem*.

190 In ente composito (84) plures mutationes occurrere possunt: partes enim augeri, aut minui, aut ab uno in aliud punctum transferri queunt, vel denique dissociari. Mutatio igitur in ente composito sine motu accidere non potest: quæcumque enim accidat ex præcedentibus mutationibus, sine motu fieri non posse, ipsa res loquitur. Augeri enim, aut minui; dissociari, aut invicem accedere sine accessu, aut recessu partium fieri nequit. Quod si interna tantum partium motio contingat, qua invicem accedant, aut secedant, motus dicitur *intestinus*.

191 Corol. Quando nulla ex his mutationibus hactenus descriptis in ente concipitur, in quiete esse dicitur. Ea videlicet est *quietis* natura, ut per solam cessationem motus aptè concipiatur.

192 *Legem continuitatis id vocant ejusdem propugnatores, ut quævis quantitas dum ab una magnitudine migrat ad aliam, debeat transire per omnes intermedias ejusdem generis magnitudines. Hinc etiam celeritas ex. g. globi cujuspiam, quæ prius erat æqualis 12., nunc autem est æqualis 9., tunc est mutata secundum continuitatis leges, si globus ille transit a 12mo. celeritatis gradu, ad nonum, ut nullus concipi possit celeritatis gradus inter duodecimum, & nonum, per quem non transisset. Sin autem globus ille gradus quosdam decimo minores, nono majores, transiliit, quin omnes successivè obiret, in mutatione celeritatis saltus commissus est, & lex continuitatis violata.* Horvath. Met. n. 177.

193 Ex hoc lemmate deducunt Boschowichius, & post eum plures alii præsertim Germani philosophi in punctis substantiæ materialis vires quasdam attractivas, ac repulsivas, ex quibus etiam *cohæsionem* sive conjugationem earumdem partium deducunt, quin penetrentur. Porrò, nomine vis repulsivæ (insistit prælaudatus Horvath) non aliud intelligimus in corporibus, quam certam determinationem recedendi a se invicem, ut certo inter se intervallo

lo distent. Pariter nomine vis *attractivæ* designamus in corporibus certam determinationem ad se invicem accedendi, a distantiis mutuis pendentem „.

„ *Repulsivas dari* sequente ratiocinio *convinci* potest. 1. Si globus A incurrat in globum B quiescentem, vel lentius procedentem; celeritas præcedentis B per conflictum hunc definito quopiam incremento augetur, insequentis vero imminuitur. Nam quamdiu celeritas globi præcedentis minor est quam insequentis; tamdiu augenda est eadem præcedentis celeritas actione insequentis, ut is huic desinat esse obstaculo; porrò quamdiu globus insequens auget celeritatem præcedentis, tamdiu præcedens obreactionem, actioni æqualem, celeritatem insequentis ex adverso imminuit.

2. Etiamsi globi hi confligentes ad attactum mutuum mathematicum devenirent, ea tamen celeritatum variatio neque ipso contactus momento, neque continuo aliquo post contactum tempusculo posset evenire. Non momento contactus: nam secus, definitum celeritatis incrementum in præcedente globo, in sequente autem decrementum unico temporis momento fieret: atque adeò celeritates per saltum variarentur; quod tamen fieri nequit. At neque continuo aliquo post contactum tempusculo: hoc enim casu saltus quidam in variatione celeritatum evitari posset: ac compenetratio partium manifestè sequeretur, quod sic declaro: priusquam totum illud tempusculum efflueret, quo celeritatum ad æqualitatem tendentium mutatio peracta est, semper majori celeritate ferebatur globus insequens, quam præcedens: ergo eodem illo tempusculo globus insequens majus spatium est emensus, quam præcedens. Quum ergo globus insequens jam initio hujus tempusculi ponatur fuisse in contactu præcedentis: per decursum tempusculi ultra contactum extimarum superficierum progrediebatur, et cum globo præcedente saltem ex parte compenetrabatur.

„ Itaque dicta celeritatum variatio ante ipsum contactum mutuum mathematicum eveniat oportet: consequenter admittenda est in his globis (idem est de aliis quibuscumque corporibus) determinatio recedendi a se invicem, ut primum certo quodam exiguo intervallo inter se destiterint; quæ nimirum determinatio in globo præcedente conspiret cum priore ejusdem celeritate, ac proinde hanc augeat; incurrente verò contraria sit priori celeritati, adeòque illam minuat. Porrò determinationes has *virium repulsivarum* nomine insigniri posse inde patet, quod ad corpus alterum ab altero removendum tendant. „

„ Sed illud quoque argumentum suppetit pro viribus repulsivis. Nempe, si materiæ puncta ad attactum mutuum

mathematicum devenirent; quoniam inextensa sunt, compenetrarentur; quum ergo nullis viribus possimus massam ullam ita comprimere, ut materiæ puncta ipsam constituentia in unicum punctum confluant; jurè inferimus, nullis viribus posse nos efficere, ut corporis illius elementa ad attactum mutuum mathematicum adducantur. Eo ipso autem admittenda sanè est quædam vis repulsiva, qua sese ab attactu mutuo arceant. „

„ Stabilitis *repulsivis* viribus, *attractivarum* existentia, vel ex cohærentia partium in corporibus intelligi potest. Quum enim in iis vires repulsivæ, mutuum elementorum attactum prohibentes, ad dissipandas potius, quam inter se copulandas corporis partes tendant; necesse sanè est, ut auctis tantisper intervallis mutuis, repulsioni succedat attractio: quo posito mutuam elementorum in corporibus cohærentiam suapte jam consequi, physici norunt. At aliis quoque virium attractivarum indiciis manifestis pleni sunt physicorum hodiernorum libri „. Ibid. n. 182. et seq.

194 Ceterum de viribus attractivis, ac repulsivis audiatur Franciscus Jacquierus e Minorum Familia nobilis mathematicus, ac philosophus, paucis abhinc annis e nostris oculus ereptus.

„ Non desunt subtilissimi, doctissimique phisosophi, qui vim attractivam in omnium corporum particulis ad certos usque limites admittunt; quam vim attractivam deinde in repulsivam abire affirmant, ita ut nullus omninò sit in rerum natura physicus, immediatusque contactus ..... Certissimum quidem est sese repellere minimas quorumdam corporum particulas, quidquid sit vis illa repulsiva .... ceterum nos quoque vis repulsivæ nomine utemur, sed effectum dumtaxat, non aliquam causam significantes ..... Neque repulsio quidquam obstare potest iis, quæ antea demonstravimus, attractionem nempe, ceteris paribus, contactus magnitudini proportionalem esse: ibi enim sermonem habuimus de corporibus, quorum partes cohærent, non vero de corporibus elasticis, quorum partes esse fugiunt, atque repellunt. Tandem contactus hic a nobis intelligitur, qualis in corporum cohærentium partibus observatur, neque de contactu physico, & immediato quidquam pronunciare volumus. Certum quidem est, ubi de primis causis, corporumque principiis agitur, multas fieri posse hypotheses, quæ validis rationibus difficilè refelluntur. Itaque hanc primam nobis esse volumus philosophandi regulam, in causarum universalium investigatione nostram fateri ignorantiam, judiciumque cohibere. „ (Phys par. 1. cap. 2. art. 3.) Postrema illustris hujus philosophi verba, quasi a nobis dictata fuissent, haberi volumus; nam idcircò illa transcripsimus. Schol.

Schol. Dissertatio sequens, quam statim aggressuri sumus, Ontologiæ altera pars est; quam Wolfius ab eadem sejunctam primus tradere cœpit; quum ab anterioribus metaphysicis in Ontologia exponeretur, aut etiam in physica, ad quam plures ejusdem tractationes non incongruè transmitti possunt.

DIS-

DISSERTATIO II.

COSMOLOGIA.

Adspectabilem hunc mundum, qui sensibus nostris subjacet, in præsenti tractatione tantum persequimur; quæ ad rerum a sensibus remotarum inquisitionem spectant, in subsequentes Dissertationes rejicientes. Neque hic ad peculiarium mundi partium considerationem descendimus, quæ physicæ speculationis objectum existunt; verum ea tantum metaphysicam attingunt, quæ abstracta, ac pure intelligibilia esse in hac universitate rerum animadvertimus. Hujusmodi sunt mundanorum entium nexus, origo corporum, abstractæ notiones, ac elementa, spatium, locus, tempus, universi extensio, perfectio, cetera.

CAPUT PRIMUM.

Mundi notio, ejusque partium nexus.

195 „ Quem Græci κόσμον, ajebat Plinius, nomine *ornamenti* appellavere, eum & nos a perfecta, absolutaque elegantia *mundum* dicimus (Histor. lib. 2. cap. 4.). *Systema cæli, & terræ* Aristoteles nuncupavit in libro de Mundo, eo quod ex constitutione corporum cælestium, ac terrestrium hæc universitas coalescat; cujus venustatem, ac perfectionem satis mirari non possumus.„ Licet enim, ait Tullius, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. Ac principio terra universa cernatur locata (*sensibiliter*) in media mundi sede, solida & globosa, & undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum: adde etiam reconditas auri, argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ verò, & quam varia genera

nera bestiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus, atque cantus; qui pecudum pastus? quæ vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insulæ, littoraque collucent distincta tectis, & urbibus. Quæ si ut animis, sic oculis, videre possemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo? quæ species universi? quæ multitudo, & varietas insularum, quæ amœnitas orarum, & littorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium & innatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium? Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus clauditur, ut una ex duabus naturis conflata esse videatur. Exinde mari finitimus aer die, & nocte distinguitur; isque tum fusus, & extenuatus in sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens, terram auget imbribus, tum effluens huc, & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates: idemque, & volatus alituum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat ultimus, ac domiciliis nostris altissimus, omnia cingens, & coercens cæli complexus, qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt. Ex quibus sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur, isque oriens, & occidens, diem, noctemque conficit: & modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit, quarum intervallo tum quasi tristitia contrahit terram; tum vicissim lætificat, ut cum cælo hilarata videatur. Luna autem, quæ est, ut ostendunt mathematici, major quam dimidia pars terræ, iidem spatiis vagatur, quibus sol; sed tum congrediens cum sole, tum digrediens, & eam lucem, quam a sole accipit, mittit in terras, & varias ipsa mutationes lucis habet, atque etiam tum subjecta, atque opposita soli radios ejus, & lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terræ, quum est, e regione solis, interpositu, interjectuque terræ repente deficit, iisdemque spatiis hæ stellæ, quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur, & occidunt. Quarum motus tum incitantur, tum retardantur, tum etiam insistunt; quo spectaculo nihil potest esse admirabilius, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenerint. „ De Nat. Deor. lib. 2. cap. 39.

De-

Descriptionem hanc cosmologicam Tullii, quamvis longiusculam, ideò hic inserere placuit, quia & elegantissima est, & suo genere completa entium in universo visibili complexorum.

196 Ex tradita descriptione duo entium genera in mundo peculiari consideratione digna animadvertimus, *successiva* videlicet, ac *simultanea*: illa non interrupto ordine sibi invicem succedunt; simultanea vero coexistunt simul. Quod si ordo successivorum ita sit constitutus, ut posterius in antecedente rationem sufficientem suæ existentiæ contineat: ut dierum, noctiumque non interrupta *successio*, dicuntur *connexa ratione temporis*: ubi autem duo entia reperiuntur, quorum unum rationem contineat, cur ipsi alterum coexistat, *ratione loci aut spatii* connexa vocantur, ut terra, & luna.

197 Corol. 1. Est igitur in hoc universo nexus ratione temporis. Quæcumque enim in ipso concipiantur entia ab rerum initio serie non interrupta, ita sibi succedunt, ut posterius semper in præcedente rationem habeat suæ existentiæ. Neque enim in natura aliquid sine ratione sufficiente oriri, aut interire potest (13); adeòque unum propter aliud semper existere fateri debemus. Jam enim ostendimus (132) enumerata serie contingentium unum ab altero per nexum necessarium devinciri, donec ad primam causam deveniatur. Omnia igitur in rerum universitate per causas efficientes connexa esse, oportet; quod nexum *ratione temporis* importat.

198 Corol. 2. Altera etiam connexio ratione loci, aut spatii, seu melius ratione finis in rerum universitate agnoscenda est: ita ut omnia simul coexistentia mutuam quamdam relationem inter se contineant. Nam „ ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil neque excogitari possit aptius: omnes enim partes ejus undique medium locum capessentes, nituntur æqualiter: maximè autem corpora inter se juncta permanent, quum quodam quasi vinculo circumdata colligantur; quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente, & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & convertit extrema . . . Sic undique omni ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conservationemque admirabiliter administrari. „ Cic. de Nat. Deor. l. 2. c. 45.

199 Corol. 3. Pronum est ex dictis deducere, nullum ens in natura extare sine vinculo cum aliis (quod *insulatum* solent appellare) tum ratione causæ, tum ratione finis, ac proinde omnia nexu quodam, ac vinculo contineri, quod *catenam entium* post Lockium Bonnetus nominat, *rete* autem fortasse melius dici posset. Neque ideò ve-

veræ sunt deductiones, quas laudatus auctor, facem præferente ipsi Leibnitio, ac Lockio, ex hoc principio derivat in opere de *Contemplatione Naturæ*, cujus veluti corollarium est alterum postea ab ipso editum de *Palingenesia philosophica*. Nimirum omnia mundana entia ita esse vinculo quodam connexa, sive seriem, aut catenam quamdam conficere, ut ab imperfectissimis ad perfectiora ita deveniatur per omnes gradus perfectionis, ac trasmutationis, ut idem, qui in perfectissimo intelligentiæ gradu nunc sit collocatum, a primo gradu sensibilitatis (aut etiam materiæ insensibilis) cœperit continua metamorphosi per gradus intermedios ascendens, novum semper sensibilitatis, cognitionis, intelligentiæ augmentum juxta numerum transformationum acquirens. Hoc est veluti thema utriusque operis, quæ ut eruditione, eloquentia, atque apparatu conscripta sint, quandoque etiam metaphysicis luminibus exornata; in absurdissimas tamen consequentias vel sensum communem lædentes inducere, ex ipsamet expositione manifestum est. Legem continuitatis ab eodem adductam, ut sibi gradum faciat ad hanc perfectionis scalam constabiliendam, sequenti corol. explicamus.

200 Corol. 4. Legem continuitatis ubique observari (192) non adeò manifestum est, ut absolutè nihil fieri posse per *saltum* pronunciare queamus. Verum admisso etiam principio, quod Leibnitius, Buffonius, Boskovichius &c. pro virili parte tuentur, sententia Bonnetti melioris conditionis non ideò censenda est. Illæ ut impedimentum *catenæ* removeret, quam interrumpi nonnumquam in *saltu* ab insensibili ad sensibile, a sensibili ad rationale Buffonius ipse fatetur, suam Palingenesiam edidit, in qua ingentem illam Simiam, quam *Ourang-Houtang*, sive *hominem silvestrem* vocant, *anulum catenæ* belluas, & homines conjungentem designat. Nulla esset difficultas, si hujusmodi continuitas in quadam approximatione per majorem præ aliis belluis cum homine similitudinem constitueretur, ita tamen ut *longo*, *sed proximus intervallo*, ad ipsum accederet. Semper enim immensa vorago ab astutissima etiam belluarum, ad primum gradum rationis in homine etiam tardissimi ingenii concipienda est; aut infantibus nondum ratione expedita utentibus, cum quibus extrema jungit Buffonius. Verum auctor Palingenesiæ per transformationem alterius in alterum organorum tantum facta mutatione, nodum solvere intendit, aut catenam connectere, quod idem valet ac si differentiam inter rationis expertia, ac eadem utentia eam constituas, quæ inter hominem vinctum, ac membris expeditum in ordine ad motum intelligimus. Nimirum utriusque metaphysica essentia ratiocinii capax est:

ex-

extrinsecis tantum organorum vinculis, veluti dormientes, ad diversas species contrahuntur. Quæ quam absurda sint, nemo non videt.

201 Corol. 5. Ex dictis sponte fluit, mundi essentiam in hac successivorum ac permanentium rerum harmonia quadam, ac perpetuo nexu statuendam esse. Ponamus eademmet entia alio tamen ordine congesta, aliis legibus directa, vel diversis relationibus sibi respondentia denuò produci: alius quidem certè erit mundus, ac nunc est, theatrumque omninò diversum. Essentia igitur hujus universi in eo sita est, quod & hæc entia contineat, ac tali nexu copulata complectatur, ut hic ordo citius quam alius quivis obtineat (19).

202 Schol. 1. Ex hoc mirabili rerum nexu deduxerunt veteres erroneas de fato opiniones, quæ etiamnum apud Mahumedanos, Calvinianos, aliosque a vera religione deviantes vigere animadvertimus; quum oppositam consequentiam ex hac doctrina effluere manifestum sit. Nam nihil sine ratione sufficiente contingere potest; unde ab hujus positione effectus pendeat, necesse est. Verum aliàs hoc ubi de libertate: quod nunc attinet. Fatum a fando dictum, nexum quemdam in rebus necessarium, atque inevitabilem, per quem entia omnia necessitate absoluta ad id, quod futurum est, compelluntur, significat. Astrologi a coniunctione aut disjunctione stellarum in puncto nativitatis reliquam humanæ vitæ seriem divinasse sibi videntur, quasi in cælo hominum casus stellis describantur, veluti caracteribus genethliacis, quos ipsi solum intelligunt. Quis hujusmodi deliria aut ferat, aut serio impugnet? Legesis Tullium *lib. 2. de Div. & lib. de Fato*, ubi Genethliacorum deliria deridet, & impugnat. Sed ad philosophos veniamus.

203 Schol. 2. Democritus, quum atomos posuisset motu æterno, ac necessario percieri, ex quo effectus omnes physicos deducit, mirum non est fato omnia subjecisse, atque inexsuperabili necessitate contingere asseverassi. *Quum duæ sententiæ* (ait Tull. lib. de Fato c. 17) *fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus videretur, sine ullo fato esse animorum motus; Chrisippus &c.* Fatum hoc tum cum rerum contingentia, tum etiam cum libertate humana pugnare, luce clarius est; ex quibus, aliisque capitibus infra demonstrandis vanitate sua ruit.

204 Schol. 3. Ob eamdem cum humana libertate pugnam fatum Stoicorum expungendum est. Stoici omnes, etiamsi omnia providentia divina gubernari defenderent, humanam tamen libertatem convellebant. „ Hinc (illos insectatur Vellejus Epicureorum partes agens in lib. 1. de Nat. Deor.) vobis extitit primum illa fatalis necessitas, quam ἑιμαρμένην dicitis, ut quidquid accidat, id ex æterna veritate, causarumque continuatione fluxisse dicatis. Quanti autem hæc philosophia æstimanda est, cui tamquam aniculis, & iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia. „ Neque melius libertatem divinam tuebantur, quam etiam fato obnoxiam esse posuerunt. Idcircò fatum definiens Quintus Ciceronis frater, Stoicorum partes agens in lib. 1. de Divin. „ Fatum, ait, appello ordinem, seriemque causarum quum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. „ Verum Stoici, ut ajebat Lactantius, *tam inconstantes fuerunt, ut nihil dictum sit ab his, quod non ab iisdem fuerit eversum.* (Div. Inst. lib. 2. c. 6.)

205 Schol. 4. Benedictus Spinoza, cujus mentionem fecimus art. 162. fatum etiam induxit, tamquam corollarium ex absurda sua de pantheismo, quam mox exponemus, sententia. Plures etiam philosophi, fati nomine suppresso, significationem tenuere: saltem ex principiis *Optimismi, Palingenesiæ &c.* necessitatem quamdam insuperabilem deduci ex dictis ac dicendis erui videtur: ob eamque causam satis exploduntur.

206 *Casus*, *Fortuna* fere idem significant; casus tamen ad res prosperas vel adversas, animatas aut inanimes applicatur; fortuna eventum prosperum denotat, qui, veluti *casu*, sive causa nobis non apparente, evenire solet; ut est inventio thesauri terram effodienti alia de causa, quam ut abditam ab avaro argenti laminam sub terra inveniat.

207 Corol. Fatum, Casus, Fortuna vacua sunt significatione nomina; si eo sensu accipiantur, ut necessarius eventus significent; vel res sine ulla causa provenientes. Nam Ens infinite liberum (127) ita res producit, conservat, legibus temperat, ut & ab earumdem creatione, vel harum legum sanctione abstinuisse potuerit; aut in præsentiarum ordinem permutare, destruere, aut alia præter jam producta denuò condere; eventus autem ab ignoratione latentium causarum nobis fortuiti videntur; quos, si nexum causarum antecedentium introspicere liceret, adeò regulatos putaremus, ut dierum, & noctium successionem. Nihil enim sine ratione sufficiente evenire jam sancitum est (13); quocirca si aliquid nobis fortuitò contingere videtur, id ab ignoratione latentis rerum connexionis proveniat, necesse est.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Mundi existentia, seu origine.

208 Mirum est in ratione inversa distantiæ, a prima mundi constitutione opiniones atheismi, pantheismi, æternitatis mundi multiplicari cœpisse; omnesque primigenios, ut ita dicam, philosophos in mundi temporaria productione convenisse: adeò ut pulchrum sit, loquitur Antonius Genuensis, videre totam antiquitatem in uno hoc mirificè convenisse, ex chao primum orta omnia, idque vi Dei: siquidem id omnium veterum nationum consensu constat: qua constante, etiam inter Americæ populos traditione super facto, cujus primi telluris incolæ plurimis signis certi esse poterant, nihil ego fortius ad hoc dogma contra atheos, ac pantheistas statuendum esse censeo. (Diss. de Orig. rer. tom. 1. Phys. Musc. c. 1. §. 9. & tom. 1. Met. Disp. de rer. orig. §. 1.) Plerosque tamen philosophos materiam æternam, ac præexistentem putasse, ex historia philosophica habemus: imò pantheistas fuisse apud hodiernos eruditos frequens opinio est: cui tamen non plene assentior; quum plerasque philosophorum loquendi formulas metaphoricas fuisse, aut æstro quodam poetico animatas, ex ipsamet principiorum contradictione, quæ ipsis tribuitur, suspicari liceat. Sanè phantheismus antiquorum, si quis fuit, prorsus ab Spinoziano diversus est. Illi materiam a Deo distinguebant, tantumque a divina mente conformatam dixerunt, ita ut per omnem rerum corporearum substantiam diffunderetur. Hoc, ni fallor, apertè indicat, immensitatis divinæ notionem, quam ex idea divinitatis effluere manifestum est, alio modo explicare nescivisse, aut noluisse. Nam prælaudatus Genuensis existimat, a veteribus omnia cum emphasi dicta fuisse, ut pro eo quo Deus est ubique, omnia Dei nomine vocaverint. Met. p. 3. §. 27.

209 Spinoza materiam in Deum transformans, omnia materiæ, ac divinitatis attributa temerè miscuit: ita ut Deum extensum, mutabilem, seu modificabilem, sæcilem cet. materiam vero æternam, infinitam, immutabilem, seu *materiam deum* confixerit. Absurdissima hæc idearum perversio hoc uno fundamento nititur: Substantia *est ens per se*, quod ille sic exponit: *substantiam intellige, quod in se est, & per se concipitur*: ex quo principio hoc corol. deducit. *Hinc sequitur, substantiam ab alio produci non posse. Nam si substantia ab alio posset produci, ejus cognitio a cognitione suæ causæ penderet, adeòque non esset substantia.* Hujusmodi geometricæ demonstrationes ejus indolis sunt, quas contemnendo citiùs, quam refutando melius impugnes. Nec melioris conditionis sunt reliqua corollaria, quæ hoc ruinoso fundamento nituntur, substantiam nimirum unicam extare in rerum natura; eamque esse æternam, individuam, ex infinita cogitatione, atque extensione conflatam, verbo Deus ipse: reliqua entia in rerum natura conspicua modificationes sunt divinæ substantiæ, sive attributorum, quæ per statutas leges ita disponuntur. *Velut ægri somnia vanæ finguntur species* huic homini, qui divinæ menti *cervicem equinam jungit*.

210 Positio 1. *Materia hujus adspectabilis mundi fuit a Deo in tempore creata*. Prob. Materia est ens contingens; ergo initium ab alio habere debet (131, & seq.) Prob. ant. Si materia ens contingens non est, erit igitur Ens necessarium: hoc falsum est: ergo alterum est verum. Prob. min. Ens necessarium est immutabile (124); at materia mutabilis est, siquidem continuas mutationes subire videmus: haberet omnes perfectiones possibiles, esset sibi sufficiens, infinitè activa, cet. quæ quam absurda sint, vel oculis contemplari licet, ac manibus palpare. Rursus, si materia initium suæ existentiæ habere debet ab alio, id certe nullum est præterquam Ens necessarium; nam etiamsi poneretur, mediante alio contingente, creatam esse, semper ad Ens necessarium deveniendum est (132); at hoc Ens necessarium est Deus: ergo a Deo fuit creata materia; adeòque initium habuit. Initium autem hoc existendi materiæ, tempus voco (vide infra 213): quacumque enim re creata existente, jam tota æternitate a Deo præcedatur, necesse est.

211 Prob. 2. Si materia æternum existit, & nos homines æterni simus, oportet: hoc credat *Judæus Appella*: ergo falsum prius. Prob. maj. quæcumque demum ratio pro æternitate materiæ afferatur, militat etiam pro animi æternitate; si enim materiam ideò æternam ponis, quia concipere non potes ejus creationem ex nihilo; faciliorem ne ex nihilo eductionem animorum concipies? ergo ni mentem humanam modificationem materiæ dicas, æternam etiam ponere debes.

212 Prob. 3. Materia ad quemcumque statum indifferens est (aliter enim mutare statum non posset seu diversimodè modificari): ergo a se ipsa non potuit determinari ad statum; at si a Deo creata non est, semetipsa ad hunc statum determinavit, quem per totam tenuit æternitatem. Ex quo id etiam sequitur, quod neque a Deo hic status mutari valuit. Probo. Si semetipsa determinavit, hoc ab intrinsecis ejus constitutivis exigebatur: ni ponas libertate pollentem ad eligendum hunc potius, quam illum statum:

atqui rerum essentiæ neque a Deo mutari possunt (21.): fateamur igitur necesse est, a Deo creatam fuisse.

213 Corol. 1. Si materia a Deo e nihilo ad existendum educta est, mundus etiam ab ipso creatus est. Quod si originem mundus a Deo habuit, æternus dici non potest. Nam ipsamet universi productio initium etiam, sive productionem temporis importat. Siquidem tempus, ut mox videbimus, est ipsamet duratio successiva rerum creatarum: quando igitur hæ ponuntur, & tempus poni necesse est.

214 Corol. 2. Materia mundi non fluxit a divina natura per emanationem. Nimirum materia hæc non est pars quædam veluti avulsa ex ipsa substantia divina, e qua formatus sit mundus. Hoc enim divinæ perfectioni, ac simplicitati repugnat; minimèque materiæ, ac mundo, entibus limitatis, ac imperfectis, convenire potest. Ne infiniti simus, principaliora argumenta colligemus, ex quorum solutione haud difficilis evadet aliorum pene puerilium enodatio.

215 Oppon. 1. Deus ens necessarium immutabile est (124); at mutationem aliquam subiisset mundum creans; transiisset videlicet ab statu non creandi ad statum creatoris: ergo ut hæc imperfectio vitetur, mundus æternus esse debet. R. 1. hoc argumentum probat nos ab æterno extitisse, numquamque interituros: *risum teneatis amici*. R. 2. *dist. min.* mutationem subiisset pure extrinsecam, *conc. min.* mutationem intrinsecam, *neg.* Ab æterno Deus decretum mundi producendi in tempore concipiens, per ipsam mundi positionem non aliam subiit mutationem, quam externæ cum ipso relationis, quæ a mutatione status creaturæ dimanat (114.).

216 Replic. Per tale decretum Deus non erat actu agens, sed solum in potentia: at hæc mutatio intrinseca est: ergo. R. *dist. maj.* Non erat actu agens respectu termini, *conc. maj.* habita ratione ad efficacitatem decreti divini, *neg. maj.* consule, quæ diximus Dissert. 1. cap. 5. §. 3. Si licet in grandibus parvis uti exemplis, Deum ab æternitate decernentem, res creatas dato tempore produci, concipere possumus velut Regem imperantem, post aliquot annos in suo regno tale quidpiam exequi, puta urbem aliquam, aut palatium fabricari. Aliquamne intrinsecam mutationem in personam illius Regis inducet urbis, aut palatii præfixo tempore extructio?

217 Replic. iterum: Dei voluntas efficax est; sed ab æterno voluit mundum creare: ergo tunc extitit mundus. Resp. *dist. maj.* efficax est pro eo tempore, quo rem exequendam decernit, *conc.* statim ac in Deo concipitur, *neg.*

quam

quam futiles sint hujusmodi objectiones, vel in humanis videre licet, ut in exemplo modò adducto satis planum est. At, inquies, homines volentes aliquid perficere remoto aliquo tempore, dum rem exequuntur nova voluntas accedit ad opus exequutioni mandandum: ergo etiam in Deo id continget, quod mutabilitatem arguit: aut non continget, atque adeò ab æterno res ponentur, ne Deus mutetur. Resp. *conc. ant. neg. cons.* dispar in utroque casu ratio petitur a limitatione creaturæ, quæ non potest semper eamdem voluntatem, sive voluntatis actum diu conservare: quare tempore aliquo intercedente, illum innovare opus est. In Deo autem omnia æterna, immutabilia, fixa, verbo ipse Deus, neque præteritum, neque futurum agnoscens, sed omnia, quæ ab æterno fuerunt, & sunt, & erunt semper.

218 Inst. Aut Deus per illam voluntatem, sive *volitionem*, ut scholæ loquuntur, erat actu agens, aut in potentia: si primum dixeris, mundus æternus fuit; si alterum, novo indiget actu voluntatis, ut mundum producat: hic autem mutabilitatem argueret: ergo ab æterno exequitur suam voluntatem. R. Ejusmodi potentia, & actus sunt phantasiæ nostræ fictiones, quibus ab rerum corporearum petitis ideis, incorporeas, ac purè intelligibiles res concipere nitimur: vide Schol. supra citatum. Idcircò nego utramque partem dilemmatis, quæ in Deo supponit hujusmodi potentiam & actum: vel claritatis causa distinguo: erat agens in potentia modo nostro concipiendi, *conc.* agens in potentia, ita ut revera ab uno ad alium statum transiret, *neg.* Deus & potentia & actu agens semper est, pro eo tempore quo decernit res futuras.

219 Oppon. 2. Proclus: Aut Deus ab æterno potuit mundum creare; aut non potuit: hoc postremum imbecillitatem arguit: igitur prius est asserendum. At si potuit, & noluit, invidus fuit: si voluit, æternus est mundus. R. Deum mundum in æternitate creare non potuisse hoc sensu, quod mundus semper illi coextiterit: æternitas quippe hoc sensu est attributum divinitatis, cujus participatio rei creatæ convenire non potest. Neque hoc ullam arguit imbecillitatem in Deo, imò summam perfectionem indigitat; quemadmodum suam immensitatem, infinitudinem, cet. creaturis communicare haud posse, ab ejus majestate descendit. Ceterum tempus creationis anticipare potuisse indubium est. At hoc invidum fuisse redolere videtur. Minimè hoc quidem: potest enim alios de novo mundos condere: invidum ne dices, eo quod ab eorum productione destiterit, hunc unum producens? Arcana Dei consilia scrutari velle, impium, ac temerarium est;

nobis satis sit, id Deum fecisse, ut optimè factum pronunciare non dubitemus.

220 Insistit Proclus: Natura boni, & summi boni est esse sui communicativum: ergo si Deus ab æterno se creaturis non communicavit, summè bonus non est. R. *conc. ant. neg. cons.* Jam supra dictum est, quo sensu tantum Deus creaturis se communicare potuit; nimirum in tempore. Quod si tempus hujusce diffusionis non prævertit, nostra non interest *majestatem scrutari, ne ab ejus gloria opprimamur.* Deinde argumentum probat Deum ad molitionem universi necessitate absoluta devenisse, neque liberum ipsi fuisse mundum condere, vel ab ejus creatione cessare. Et en, si aliquam conjecturam nobis liceat depromere, quem finem habere potuit, ne citius, quam fecit, universum machinaretur; videlicet ut manifestaret, liberrimè non aliqua necessitate adactum, ad hoc descendisse.

221 Inst. De natura boni est tendere in melius: melius autem est mundum esse, quam non esse: ergo melius fuit ipsius creationem antevertere. R. *dist. min.* melius est mundum esse relatè ad creaturas, *conc. min.* melius est Deo, *neg.* Deus summè beatus a creaturis mutuare felicitatem suam non potest. Quam enim beatitatem afferrent Deo entia imperfectissima? Suis perfectionibus gaudens, omnia in se complectitur bona, quibus summè felix, ac nullius indigus, sibi sufficit: æternumque carere potuisset, quin vel hilum suæ beatitudinis, ac felicitatis ipsi deficeret.

222 Insistit Aristoteles: Mundi creatio Deum agentem constituit: agere autem melius est, quam non agere, etiam ipsi Deo: ergo mundum creare ab æterno debuit. R. *dist. maj.* Deum agentem ad *extra*, ut dicunt theologi, constituit, *conc. maj.* ad *intra*, *neg. maj.* „ Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicuti neque in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere „ inquit Aug. lib. 11. de Civ. Dei c. 7. Quanto rectius hic, qui nil molitur ineptè, quam Aristoteles! Audiantur ejus impia verba, lib. 2. c. 18 Magnor. Mor. *Quæ igitur in sermonibus consuevit capi, similitudo ex Deo, neque illic recte, neque hic fuerit utilis. Neque enim si Deus sibi satis, nec ullo indigens ob hoc etiam nos nullo indigebimus. Est nimirum jactatus de Deo sermo hujusmodi; nam quoniam bona cuncta obtinet Deus, ac sibi satis est, quid faciet? neque enim dormiet. Inspiciet aliquid, inquiunt: id namque pulcherrimum, & maximè peculiare, Quid igitur inspiciet? nam si quidquam aliud inspiciet, id erit melius. Hoc verò absurdum est, ut se quidquam melius habeat Deus. Ipse igitur*

sese inspiciet. At hoc delirum: nam homini, qui sese inspiciat, utpote attonito inclamamus. „

223 Oppon. 3. Quidquid Deus cognoscit, ab æterno cognitum est: ergo & quidquid conditum, ab æterno est conditum. Hoc etiam argumentum probat nos æternum extitisse. Resp. *conc. ant. neg. cons.* Probant. Voluntas Dei æque æterna est, ac ejus intelligentia: at cognitio Dei objectum cognitum supponit: ergo & voluntas creatum. Resp. *dist. maj.* æquè æterna est, ac eodem modo tendit in objectum, *neg. maj.* tendit in objectum, ut in tempore ponendum, *conc.* Scientia Dei est necessaria, voluntas liberrima; prima igitur objectum necessariò cognitum supponit, altera prout in divinis decretis continetur.

224 Oppon. 4. Ante quodlibet, quod assignari possit, temporis momentum, Deus condere quivit mundum: ergo potuit ab æterno. *Prob. conseq.* Mundus existens ante omne, quod assignari posset, momentum, ab æterno extitisset: potuit autem sic existere: ergo. Resp. *dist. ant.* ante quodlibet momentum distributivè sumptum potuit Deus mundum condere, *conc. ant.* collectivè sumptum, *neg.* eisdem terminis *dist. maj. probat.* De quolibet momento distributivè sumpto vera est illa enuntiatio: falsa tamen in sensu collectivo, uti & plures aliæ, quæ hoc vitio laborant (Log. 228.).

225 Oppon. 5. Mundus extare in perpetuum potest: ergo & perpetuo fuisse. Resp *neg. cons.* Creaturæ conditio postulat, ut e nihilo extrahatur; quod autem brevi, aut longo tempore duret, vel finem habeat, ipsius conditio non postulat. At si nihilum ejus præcessit, jam in æternitate condita non fuit. Dices. Posset fieri, ut conditio creaturæ id tantum exigeret, quod nihil esse *potuerit*, non verò quod nihil actu *fuerit*: at in hoc casu in æternitate creari potuit: ergo. Resp. *neg. maj.* id enim perindè est, ac si dicatur, conditionem creaturæ postulare, ut possit esse, non ut actu sit creatura. Nam ipsius conditio exigit, ut e nihilo extrahatur, sive ipsius nihilum præcedat; præcedere autem non potuit si semper verum fuit eamdem extitisse. Sed ut rem majore in lumine collocemus, sit.

226 Positio 2. *Materia, atque adeò mundus ita in tempore creatus est, ut neque in æternitate condi potuerit.* Prob. Mundus ita a Deo creari debuit, ut nihilum ipsius mundi ipsum præcederet: at si ejus nihil præcessit, in æternitate condi non potuit: ergo neque æternus esse Prob. min. Si nihilum mundi præcessit, vera aliquando fuit hæc enuntiatio, *mundus nunc non exirtit*; id autem, de quo verè dicitur non esse, neque æternus est: ergo in casu per hypothesim esset æternus, & simul ex dictis non esset, quod pugnantia includit. 2. Conditio essentialis crea-

turæ indifferentiam ad existendum includit ; semper enim concipi prius debet indeterminata ad existendum : at res æterna numquam concipi valet ad existendum indeterminata ; sic enim conciperetur non existens : adeòque simul existens , & non existens intelligeretur . 3. Creato ab æterno mundo , jamdiu tempus infinitum præteriisset ; tempus enim est duratio rerum : at duratio mundi ab æternitate fluens , præsenti tempore jam desiisset ; atque adeò finita esset : ergo pugnantia includit hujusmodi hypothesis . Deductio manifesta fit in tempore futuro , quod ideò infinitum concipitur , quia & finem numquam habiturum intelligimus : si igitur mundus , seu tempus ab æterno positum fuisset , & infinitum esset . Argumentum quod ab Dei æternitate peti posset, suo loco enucleabitur, ubi de æternitate Dei .

227 Schol. Quandonam mundus inceperit, sive quot annos numeret mundana fabrica , disquisitio facti est , metaphysicam minime contingens . Recentem tamen esse , neque ultra sex summum octo annorum millia protendi , vel recentiorum Epicureorum oraculum Lucretius (etiamsi infinita successione mundos interire ac renasci propugnet) his versibus demonstrat . Lib. 5. v. 325.

Præterea , si nulla fuit genitalis origo ,
Terrai , & cæli , semperque æterna fuere ;
Cur supra bellum Thebanum , & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ ?
Quo tot facta virum toties cecidere ? nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent ?
Verum , ut opinor , habet novitatem summa , recensque
Natura est mundi , neque pridem exordia cepit .
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur ;
Nunc etiam augescunt : nunc addita navigiis sunt
Multa : modo organici melicos peperere sonores .
Denique natura hæc rerum , ratioque reperta est
Nuper , & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum , in patrias qui possim vertere voces .

CAPUT TERTIUM.

De Mundi perfectione .

228 Gottofridus Leibnitius acerrimi ingenii vir, cujus systema metaphysicum breviter in compendio historiæ philosophiæ exposuimus, mundum optimum posuit, antiquorum philosophorum sententiam, ab Abailardo excitatam e pulvere in quo jacebat, sequutus ; sed , quod maximorum ingeniorum est , nova fundamenta jaciens , longe aliud ædificium elevavit ; ut merito dicere ipsum possimus hujus sententiæ creatorem . Primum lapidem posuit rationem sufficientem, sine qua nihil existere posse, etiam omnes a Leibnitio dissentientes fatentur (13) . Deum igitur summè sapientem ad agendum ab aliqua ratione determinari , veluti legitimam consequentiam deducit Germanus philosophus, quam etiam ultro concedimus . At hæc ratio , pergit , est bonitas , quam in objecto eligendo introspicere debet , omnes circumstantias complectens , ex quibus bonitas tam absoluta quam respectiva coalescit : ac proinde si duo entia ponantur , alterum altero perfectius , hoc a Deo præeligi necesse est . Duo entia æqualis perfectionis supponere , absurdum Leibnitio videtur ; esset enim electio Deo impossibilis , quippe carens ratione sufficiente , cur unum alteri præponatur .

229 Ultima hæc deductio plura supponit , quæ tot sunt consequentiæ ex hactenus expositis sponte defluentes ; totque principia , quibus aliam cudere philosophiam omninò opus sit . 1. In materia vel duo puncta similia non sunt , & quodlibet aliam ab altero speciem constituit : idcircò *monadas* , seu *solitaria* appellavit Leibnitius : idemque ad omnia entia simplicia extendit , puta angelos , animas hominum , cetera , quæ & dissimilia , & perfectione imparia supponit . 2. *Indiscernibilia* (verbum est a Leibnitio inductum) vel ab ipso Deo fore quæcumque entia tantum *numericè* distincta , seu quæ omnes gradus perfectionis æquales haberent , ac penitus similia forent : atque adeò etiam impossibilia . 3. Mundus alter nostro perfectè similis, possibilis non est ; melior alter ? nec etiam : esset enim noster hic in illa hypothesi impossibilis . Saltem si infiniti alii mundi possibiles sunt ratione intrinseca constitutivorum minimè ad invicem pugnantium ; extrinseca tamen ratione causæ , quæ ad hunc præ alio eligendum , ac producendum determinari nequiret , impossibiles ab ipso censentur . 4. Mundus igitur præsens , concludit , optimus est .

230 Positio 1. *Duo entia omninò similia repugnare , nulla adhuc ratione sufficiente ostensum est* . Prob. Similia illa dicuntur, quorum qualitates , seu notæ conformes sunt (182) : minimè autem pugnat , duo entia conformes qualitates habere tam in numero , quam in intensione : ergo & perfectè similia esse , nulla ratio ostendit impossibile . *Prob. min.* Si omnia intrinseca constitutiva entis A nullam involvunt contradictionem , ens B , quod constitutiva huic conformia habeat , nullam pugnam in ipsis includere potest : nulla enim ratio sufficiens assignari potest , cur hujus potius , quam alterius repugnent . R. Wolfius vestigia premens Leibnitii : *Indiscernibilia* (similia) *repugnant principio rationis sufficientis , etsi absolutè impossibilia non sint .*

turæ indifferentiam ad existendum includit ; semper enim concipi prius debet indeterminata ad existendum : at res æterna numquam concipi valet ad existendum indeterminata ; sic enim conciperetur non existens : adeòque simul existens , & non existens intelligeretur . 3. Creato ab æterno mundo , jamdiu tempus infinitum præteriisset ; tempus enim est duratio rerum : at duratio mundi ab æternitate fluens , præsenti tempore jam desiisset ; atque adeò finita esset : ergo pugnantia includit hujusmodi hypothesis . Deductio manifesta fit in tempore futuro , quod ideò infinitum concipitur , quia & finem numquam habiturum intelligimus : si igitur mundus , seu tempus ab æterno positum fuisset , & infinitum esset . Argumentum quod ab Dei æternitate peti posset, suo loco enucleabitur, ubi de æternitate Dei .

227 Schol. Quandonam mundus inceperit, sive quot annos numeret mundana fabrica , disquisitio facti est , metaphysicam minime contingens . Recentem tamen esse , neque ultra sex summum octo annorum millia protendi , vel recentiorum Epicureorum oraculum Lucretius (etiamsi infinita successione mundos interire ac renasci propugnet) his versibus demonstrat . Lib. 5. v. 325.

Præterea , si nulla fuit genitalis origo ,
Terrai , & cæli , semperque æterna fuere ;
Cur supra bellum Thebanum , & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ ?
Quo tot facta virum toties cecidere ? nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent ?
Verum , ut opinor , habet novitatem summa , recensque
Natura est mundi , neque pridem exordia cepit .
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur ;
Nunc etiam augescunt : nunc addita navigiis sunt
Multa : modo organici melicos peperere sonores .
Denique natura hæc rerum , ratioque reperta est
Nuper , & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum , in patrias qui possim vertere voces .

CAPUT TERTIUM.

De Mundi perfectione .

228 Gottofridus Leibnitius acerrimi ingenii vir, cujus systema metaphysicum breviter in compendio historiæ philosophiæ exposuimus, mundum optimum posuit, antiquorum philosophorum sententiam, ab Abailardo excitatam e pulvere in quo jacebat, sequutus ; sed , quod maximorum ingeniorum est , nova fundamenta jaciens , longe aliud ædificium elevavit ; ut merito dicere ipsum possimus hujus sententiæ creatorem . Primum lapidem posuit rationem sufficientem, sine qua nihil existere posse, etiam omnes a Leibnitio dissentientes fatentur (13) . Deum igitur summè sapientem ad agendum ab aliqua ratione determinari , veluti legitimam consequentiam deducit Germanus philosophus, quam etiam ultro concedimus . At hæc ratio , pergit , est bonitas , quam in objecto eligendo introspicere debet , omnes circumstantias complectens , ex quibus bonitas tam absoluta quam respectiva coalescit : ac proinde si duo entia ponantur , alterum altero perfectius , hoc a Deo præeligi necesse est . Duo entia æqualis perfectionis supponere , absurdum Leibnitio videtur ; esset enim electio Deo impossibilis , quippe carens ratione sufficiente , cur unum alteri præponatur .

229 Ultima hæc deductio plura supponit , quæ tot sunt consequentiæ ex hactenus expositis sponte defluentes ; totque principia , quibus aliam cudere philosophiam omninò opus sit . 1. In materia vel duo puncta similia non sunt , & quodlibet aliam ab altero speciem constituit : idcircò *monadas* , seu *solitaria* appellavit Leibnitius : idemque ad omnia entia simplicia extendit , puta angelos , animas hominum , cetera , quæ & dissimilia , & perfectione imparia supponit . 2. *Indiscernibilia* (verbum est a Leibnitio inductum) vel ab ipso Deo fore quæcumque entia tantum *numericè* distincta , seu quæ omnes gradus perfectionis æquales haberent , ac penitus similia forent : atque adeò etiam impossibilia . 3. Mundus alter nostro perfectè similis, possibilis non est ; melior alter ? nec etiam : esset enim noster hic in illa hypothesi impossibilis . Saltem si infiniti alii mundi possibiles sunt ratione intrinseca constitutivorum minimè ad invicem pugnantium ; extrinseca tamen ratione causæ , quæ ad hunc præ alio eligendum , ac producendum determinari nequiret , impossibiles ab ipso censentur . 4. Mundus igitur præsens , concludit , optimus est .

230 Positio 1. *Duo entia omninò similia repugnare , nulla adhuc ratione sufficiente ostensum est* . Prob. Similia illa dicuntur, quorum qualitates , seu notæ conformes sunt (182) : minimè autem pugnat , duo entia conformes qualitates habere tam in numero , quam in intensione : ergo & perfectè similia esse , nulla ratio ostendit impossibile . *Prob. min.* Si omnia intrinseca constitutiva entis A nullam involvunt contradictionem , ens B , quod constitutiva huic conformia habeat , nullam pugnam in ipsis includere potest : nulla enim ratio sufficiens assignari potest , cur hujus potius , quam alterius repugnent . R. Wolfius vestigia premens Leibnitii : *Indiscernibilia* (similia) *repugnant principio rationis sufficientis , etsi absolutè impossibilia non sint .*

sint. Hæc tamen responsio Leibnitii, ac Wolfii non placuit aliis recentioribus *optimismi* defensoribus: manifestum quippe videtur absurdum, absolutè impossibile non esse, & principio rationis sufficientis repugnare. Itaque dicunt esse discernibilia, & simul indiscernibilia; ab hacque pugna deducunt intrinsecam impossibilitatem. Quare ut rem ulterius promoveamus, sit

231 Positio 2. *Duo entia perfectè similia adhuc essent invicem discernibilia*. Prob. Distinctio ipsa numerica qualitatum, seu constitutivorum satis est ad discernendum unum individuum ab alio; ab his enim *individuatio* (78) seu distinctio numerica desumitur: ergo etiamsi perfectè similia forent, discerni possent. *Prob. ant.* Si numericè distincta sunt, diversa loca occupant; ab infinitis etiam externis relationibus cum aliis entibus ex sola diversitate loci nascentibus unum ab altero discerni potest: numerus ipse dualis nota esset sufficiens, qua notio utriusque seorsim concipi possit.

232 Confirm. Divina mens *intuitivè* videt rerum essentias: ergo ipsi dualitas earumdem, etiamsi in omnibus perfectè conveniant, sufficit ad discernendum alteram ab altera. Fac, te videre objectum, cujus notæ characteristicæ e memoria prorsus exciderint, aut quia tempus diuturnum elapsum fuit a primo ejus aspectu; aut quia ab aliis incurrentibus ideis omninò deletæ sunt, puta turrim, ædificium, lapidem, cujus notæ sensibiliter non variantur. Poterisne ejusdem notionem distinctam bis formare? Cur igitur Deus ideam claram, ac distinctam duorum entium perfectè similium habere, atque ea *intuitivè* distinguere non poterit? Sanè in casu præfato mens humana duas notiones format, quarum una alterius non est excitatio, sed prorsus nova objecti ejusdem perceptio est, quæ tamen perceptionis duorum objectorum vicem in mente gerunt; ac veluti duo objecta distincta concipit, quod unum, atque idem est. Poterit igitur divina mens infinita perspicuitate objecta contemplans ab eorum dualitate perfectissimè, ac sine ulla confusione discernere.

233 Schol. Hic, ut sæpe alias, imbecillitatem nostram ad Deum transferimus, atque ex modo nostro concipiendi argumentum sumimus penitissima rerum principia, atque arcana cudendi. Suspicionem meam confirmat Wolfius (Ont. §. 246). *Quum Leibnitius in horto, præsente Sophia Electrice, ea de re verba faceret, vir quidam nobilis existimabat, posse facili negotio reperiri duo folia similia, quorum adeò unum ab altero discerni non posset. Enimverò quantumcumque adhiberet studium in foliis istiusmodi conquirendis, multo tamen tempore nihil agebat. Si granula mineris arenæ, quæ pulvisculos rectius dixeris ob exilitatem*

tem suam, microscopio subjicias; tantum in his discriminis deprehendi, ut de similibus umquam reperiendis desperes. Hoc quidem infinitam Dei fœcunditatem, ac sapientiam probat; duo tamen perfectè similia dari non posse, minimè probat. Composita hujusmodi, e penè infinitis substantiæ modificatis particulis coalescentia in sensus nostros incurrunt, in quibus haud difficile est varietatem notare. Et notaverant hoc quidem Stoici, *nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum* (Cic. in Lucul.): quod tamen etsi credibile Tullio non videatur; ad rem tamen nostram parum refert concedere, quum nulla sit deductio (Log. 186), quæ e particularibus ad universale concludit. Deducimus tamen, ab his ideis ad ideas indiscernibilium facile patere transitum: quod videtur Leibnitio contigisse.

234 Objiciunt 1. Si quo entia similia ponantur, etiam in eodem loco constituenda forent, quum non sit ratio sufficiens, cur hoc, & non aliud sit in tali loco: ergo. R. *neg. ant.* cum *adjuncta prob.* dualitas ipsa talium entium est ratio sufficientissima, ob quam in diversis locis collocentur. *Instant.* Ergo jam non sunt prorsus similia, quum ab ipsa loci relatione discernantur. R. *neg. consequentias*. Locus, res omninò extrinseca enti, quæstioni solvendæ impar omninò est. Quid si Deus hujusmodi entia compenetraret? Negabis, hoc posse Deum facere? Non puto. Duo igitur distincta, in unum abirent, atque illorum distinctio in identitatem transiret. Aut igitur compenetrari corpora posse negabis, aut e locorum diversitate discernibilitas petenda non est. Scio Ant. Genuensem Met. tom. 1. prop. 61. duas substantias extensas compenetrari non posse, quin in unam abeant, asserere. Verum hæc propositio in maximas incurrit difficultates Eucharistiæ, ac miraculorum Christi e sepulchro resurgentis, cœnaculum januis clausis ingredientis &c. Deinde si substantiæ inextensæ, ut spiritus, idem punctum spatii occupare queunt; cur in extensis id accidere nequeat, satis non video.

235 Obji. 2. Unitatem Dei demonstrant ex eo, quod si duo entia infinita haberent easdem perfectiones, essent unum, idemque ens (111): ergo & duobus entibus finitis idem contingeret. R. *dist. ant.* easdem numero perfectiones *conc. ant.* numero diversas, *neg.* relege citatum art. in quo explanata est hæc demonstratio, ibique notabis, supponi potius, posse esse similia, atque easdem perfectiones continere; quod postea in absurdum deducit, perfectionem unam in altero contineri, & non contineri.

236 Obji. 3. Si duo entia essent prorsus similia, nulla adesset Deo ratio, cur unum præ alio eligeret ad existen-

stendum: ergo esset possibile, ut supponitur; & non posset existere, quod contradictionis principio adversatur. *Neg. ant.* ratio sufficiens est ipsa dualitas utriusque objecti, quæ divinæ notioni respondet: est etiem voluntas libera Creatoris, a nulla extrinseca entis qualitate se determinans ad statuendum, quid actura sit. Ineptum enim est homuncionem Deo præstituere velle rationem moventem, sive ut ajunt, *motivum* ad concipiendos voluntatis suæ actus: *Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Sanè asserere cum Leibnitio (in Prin. Phil. ad Prin. Eug. §. 35.) *ex infinitis mundis possibilibus, qui sunt in ideis Dei, nonnisi unum posse existere, esseque necesse dari rationem sufficientem electionis divinæ, quæ Deum ad unum potius quam ad alium determinet: hanc rationem non posse esse sitam niri in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent*; supponit Deum a bonitate creata ad suas operationes moveri; quod quam rectè dici possit, etiamsi nos bardos pronunciet Wolfius, concipere haud posse fatemur.

237 Positio 3. *Mundus optimus non est in sensu a Leibnitio asserto.* Prob. Jam ostensum est, Ens necessarium, utpote infinitum, omnes perfectiones includere (127); at si mundus optimus est, includit omnes perfectiones: ergo erit Ens necessarium, a se infinitum, cet. *Prob. min.* Si mundus optimus est, omnes alios possibiles perfectione excedit: enimverò Leibnitio teste mundi possibiles infiniti sunt (236), atque ex ejus principiis, crescente in infinitum eorumdem perfectione; quippe duo æquales non existunt: ergo præsens continet omnium possibilium perfectionem, illamque excedit.

238 Confirm. Entis necessarii potentia est infinita (126): sed virtus infinita exhauriri non potest per productionem effectus finiti: ergo mundi productio exhaurire Dei virtutem non valet. Verum si alium mundum neque æqualem, neque meliorem potest creare, virtus ejus exhausta manet, ut manifestum est. Dices Dei potentiam infinitos mundos posse creare, ejus tamen sapientiam eligere nullum ex ipsis posse: quippe ageret tum sine ratione sufficiente. At jam supra indicatum fuit, vel *optimi* defensores hanc Leibnitii, ac Wolfii responsionem improbasse; absurdum quippe est, effectum aliquem uni attributo divino opponi, alteri non item. Posset enim sustineri, Deum considerata omnipotentia peccare posse, aut chimæram producere; quod tamen ab ejus sanctitate aut sapientia perpetrare prohibetur. Jam si dicas, potentiam in Deo nullam ad impossibile existere; neque exhauriri eo quod ad impossibilia non extendatur: insisto; ergo virtus infinita tota exeritur in productione effectus finiti, illiusque

que mensura est finitus productionum numerus: aut supponis mundum infinitum, aut finitam Dei potentiam: quæ omnia absurda esse, nemo non videt.

239 Prob. 2. In casu prædicto mundus est ens necessarium: Deus enim neque alium educere, neque ab istius productione cessare valuit: quænam igitur est necessitas, si ista non est? 2. Libertatem etiam a Deo omninò profligari ab hypothesi optimi, propter rationem præcedentem planum est: qui liber esse potuit Deus, quum absoluta necessitate ad id adigitur, quod operari decernit? 3. Libertas etiam humana corruit ex præjactis *optimismi* principiis. Nam voluntas inter rationes moventes, si æquales supponantur, se determinare non potest; æquilibrio rationum, seu *motivorum* deficiente, semper in partem præponderantem inclinare, eamque præferre, atque eligere tenetur: ergo numquam aderit in voluntate indifferentia illa ad libertatem requisita.

240 Argum. 1. Deus omia operatur perfectissimo modo: ergo & id, quod operatur, perfectissimum esse in suo genere oportet. R. 1. *argum. retorquendo.* Deus omnia perfectissimo modo cognoscit: at actiones peccaminosas cognoscit: ergo hæ perfectissimæ sunt. 2. *Dist. cons.* perfectissimum est ex parte divinæ actionis, *conc. cons.* ex parte effectus, *neg. cons.* vel terminis in schola usitatis *subjectivè* perfectissimum, non *objectivè* esse adversariis concedimus, quod & ipsi in cognitionis divinæ exemplo, quod modò attulimus, dicere tenentur.

241 Argum. 2. Debet assignari ratio sufficiens molitionis hujusce mundi: at hæc in ejus perfectione sita esse debet, ergo. *Prob. min.* Deus imperfectè ageret minus bonum majori præferendo: quod etiam in homine eligente manifestum est: ergo si prætulit, ratio fuit ejus perfectio. R. *dist. maj.* debet assignari ratio *intrinseca* Deo, *conc. maj.* ipsi extrinseca, *neg.* & *neg. min.* ad cujus *prob. dist. ant.* præferendo judicio, ut ita loquar, *æstimationis*, *conc.* electionis, *neg.* ad similitudinem ab electione hominis petitam, dico æquè etiam de ipso dicendum, plerumque minus bonum majori anteponere, atque optimè agere, si minus bonum ad sibi præstitutum finem magis conducat. In hoc etiam sensu mundus hic optimus est; nimirum ad finem, quem sibi Deus in ejus molitione præfixit, optimè congruit; & hic mundus si quis alius, ad hunc finem omnium extat præstantissimus.

242 Inst. Deus optima media eligere debet ad finem optimum assequendum: sed hic mundus medium fuit electum ad divinam gloriam promovendam: ergo optimum est. R. *dist. maj.* optima *relativè* media &c. *conc. maj. absolutè*, *neg.* Dices: malum morale in nullo sensu Deus

amplecti valet: ergo neque minus bonum præ majore. R. *neg. cons.* primum cum Dei infinita sanctitudine pugnat; alterum, quod minus bonum, suo tamen fini congruentissimum seligat, nullam arguit imperfectionem, imò necessarium est, hoc in ejus esse potestate, qui infinitè liber, ac se ipso beatissimus sit. Quæ ut clariora fiant,

243 *Perfectio*, in toto præsertim morali, ab ordine (67), partium consensione, fine, seu scopo maximè desumatur, oportet. Imperfectio, aut *realis* est, aut *apparens*. Postrema hæc illa dicitur, quæ etiamsi in se spectata talis sit, relatè ad finem, ad quem dirigitur, talis non est: vestis lanea crassior in se considerata deterior est; at relata ad arcendum frigus, magis alia subtiliore congruit. Imperfectio *realis* est, quæ tam in se, quam relatè ad finem deterior existit: sic claudicare imperfectio est omni sensu consideratum. *Principium* perfectionis desumitur a fine, ad quem diriguntur ea, quæ in re existunt. Unde si principium hoc unicum est, perfectio erit *simplex*: composita si plura habeat principia, quæ invicem consentiant: horum autem principiorum temperatio dat *normam* perfectionis.

244 In perfectione composita sæpius contingit *principia* inter se confligere. Conflictus hic, sive *collisio*, ut alii vocant, sæpe obligat, ut unum ex principiis perfectionis deseratur, altero prælato: qui casus *exceptio* est quædam *regulæ normalis* perfectionem constituentis. Ex. gr. Natura ducit ad bonum appetendum, malum declinandum: en unum ex principiis perfectionis, quod a fine conservationis propriæ desumitur. Sæpius tamen occurrit, bona quædam declinare, mala incurrentia amplecti; ut in conflictu boni delectabilis, ac mali impendentis, puta vitæ conservandæ, ne fides, aut conscientia deseratur; prius declinetur, posterius eligatur.

245 Corol. Hujusmodi *exceptiones* locum tantum habent in perfectione composita: in simplici enim unico existente principio (243), conflictio nulla occurrit, quæ ad exceptionem cogat, alterum alteri præponendo. In composita vero, quo plura sunt principia, plures etiam exceptiones accidant, necesse est.

246 Schol. Perfectio hactenus explicata non incongruè definiri posse videtur, consensus principiorum ad statutum finem assequendum. Porrò consensus deduci potest vel a priori, vel a posteriori. Quando, inspecta natura rei, ex ea deducimus normam perfectionis, quam habere debet, sive consensum principiorum; a priori inferimus perfectionem ipsi convenientem. Quæ si ab effectibus animadversis, alio aliis comparando, ac tentando, principiorum convenientiam percipimus, a posteriori deducimus. Ar-

Artifices a priori in artefactis perfectionem machinantur: naturæ contemplatores a posteriori arcana ipsius rimari nituntur.

247 Positio 4. *Mundus in sensu hactenus exposito perfectus est*. Prob. Ens necessarium, hujus mundi artifex, infinitè perfectum est omni genere perfectionis (127); talis autem non esset, si opus condidisset, cujus principia haudquaquam consentirent ad finem sibi præstitutum, ut in nostris artificibus exemplum capere licet, quos ignorantiæ damnamus, dum artefacta, ad finem incongrua, machinantur: ergo ejus opus in suo genere perfectum est. Pulchrè Lucilius in 2. *de Nat. Deor.* c. 34. *Doceat ergo aliquis potuisse melius: & si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potest, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores &c.*

248 Schol. Perfectionem mundi a posteriori deducere non possumus; saltem demonstratione omnibus numeris absoluta: ad hoc siquidem opus esset principia omnia mundanæ perfectionis ab effectis scrutari; quod non solum est operosum valdè, atque imbecillitatem humanam prorsus excedens, verum etiam mentem omnia creata complectentem extra terrarum orbem exposceret. Quis enim consensum omnium principiorum in eumdem finem ab inspectione effectuum demonstrare valeat, nisi omnia tam successiva quam simultanea, eorumque nexum, & conspirationem ad finem penitus introspexerit?

249 Objiciunt 1. In universo hoc illa ad eumdem finem conspiratio, in quo perfectionem ejus sitam esse contendimus, non apparet. Quis enim nexus communis deprehenditur inter habitatores non solum planetarum systematis solaris, quos aliquam nobiscum communionem habere, videri posset, verum inter entia in aliis stellarum fixarum planetis degentia, ac nos toto cælo ab ipsis remotos? R. Etiamsi nullum aliud vinculum interesset, quam manifestatio gloriæ Conditoris, hoc unum sufficeret ad asserendum omnia principia perfectionis in ipso contenta ad unum finem collineare; adeòque perfectam esse in suo genere universitatem, ostendere. Vinculum autem interveniens nos inter, atque alia mundana entia extra nos collocata, noverit ille, qui hujusmodi spatia percurrit. Præter generalem verò manifestationis attributorum supremi Conditoris, quemdam etiam physicum nexum intercedere, suspicari licet, ex ipsa corporum catenatione, quam in systemate solari luculenter animadvertimus. Addi etiam posset, plura, quæ obscuritate sunt involuta naturæ, neque ratio sufficiens, cur ita fiant, hactenus investigari po-

potuit, fortasse in hoc arcano nexu illam habere, ipsamque reperiemus, quum, soluto velamine corporis, alia a sensibus remota contemplari fas erit.

250 Objic. 2. Mundus plurima entia imperfectissima complectitur, ut monstra, animalia manca, debilia, peccata, cetera: ergo perfectus non est. R. *dist. cons.* perfectus absolutè non est, *conc. cons.* in suo genere, *neg.* vide dicta art. 244. Perfectionem compositam aliquas exceptiones pati posse, easque esse imperfectiones apparentes (243), indubium est; eas tamen neutiquam ad finem principalem seu ultimum (159) conducere, demonstrare oporteret, ut consequentia legitima censeretur. Quæ in exemplum adducuntur, alibi locum habent, quum de attributis Dei in ultima Dissert. sermo peculiaris recurret.

251 Schol. Nonnulli hic agitare solent quæstionem de unitate, atque extensione mundi. Quod ad primam tractationem attinet, mihi quidem superflua videtur: quæcumque enim entia a Deo in universitate rerum condita supponantur, certum est ad unum finem conspirare. Velle autem definire numerum, supremum stultitiæ gradum attingeret quidem certè. Quocirca semper tenendum est, universum, nonnisi unum esse posse: hoc enim nomen comprehendit omnia, quæ Deus creavit; extra quæ alia existere fatuum esset affirmare. Mundum autem esse universitatem hanc rerum, apud omnes in confesso est. Quæstio igitur de unitate mundi omninò vacua sensus est judicanda; nam ut ait Balbus in Cicerone, *nihil est in omni mundo, quod non pars universi sit*. Lib. 1. de Nat. Deor. Jam si extensionem universi quis indagare velit, respondebimus, profectione instituta per omnes ejus regiones, hoc demum investigari posse: intetea ignorationem nostram fateamur, oportet: turpe enim est affirmare, quod nescias. Hoc unum sine ulla hæsitatione asserere possumus; quæcumque demum sit extensio universi, tandem aliquando ad *mœnia mundi*, ut vocabat Lucretius, deveniendum esse: aliter enim mundus infinitus foret.

CAPUT QUARTUM.

Metaphysica corporum notio.

252 Quidquid in rerum universitate sensus nostros quoquo modo afficere valet, *corpus* vocamus: substantiam nimirum, seu materiam, mediis sensibilibus suis modificationibus sese nobis patefacientem, quæque in abstracta sua essentia perindè nobis insensibilis est, ac substantia spiritualis. Modificationes hujusmodi præsertim a particularum ma-

teriæ conjunctione proveniunt; diversa scilicet positione, distantia, cohæsione, cet.

253 Corol. 1. Corpus igitur ens compositum existit (84); neque substantia materialis abstractè considerata corpus dici potest, nisi composita sit, ac partibus coagmentata, ut sensus afficere queat. Omnia autem, quæ de composito dicta sunt (ibid. & seq.), corpori maximè conveniunt.

254 Corol. 2. Substantiæ materialis particula, seu punctum, siqua extat in natura solitaria, corpus dici non potest. Illa quippe simplex est, corpus verò compositum. Ceterum ea corpora, quæ magis ad illam materiæ simplicitatem accedunt, simplicitatem majorem affectare videntur; atque ab ea fortasse insensibilitas quorumdam corporum provenit, puta aeris, ignis puri &c.

255 Quatuor in corporibus qualitates præsertim animadvertimus: impenetrabilitatem, extensionem, divisibilitatem, mobilitatem. Corpus impenetrabile dicimus, eo quod e loco suo alterum arceat, neque ulla vi fieri potest, ut duo corpora ad eumdem locum adigantur, ita ut utrumque perfectè illum occupet. Siqua sunt, quæ nobis appareant invicem penetrari, ut *mercurius*, seu phylargyrum cum auro vel argento, hæc per poros transmeatio est, non compenetratio; quam in sua notione involvere particularum utriusque corporis in eodem loci puncto existentiam, inter sanctiones philosophicas habetur.

256 Corol. 1. Omne igitur corpus aliud corpus e loco, quem occupat, excludit; omnes ejusdem corporis partes se invicem e loco, quem complent, alias alium occupantes arcent. *Elementa* corporum (sic primigenias particulas appellare licet, quod sint initia compositionis) ita sunt in natura disposita, ut unum elementum alterius locum non occupet. *Soliditas* hujusmodi proprietas dici consuevit: atque adeò omne corpus *solidum* est. Soliditas in hoc sensu cum fluiditate non pugnat: fluida enim æquè compenetrationi, ac dura corpora resistunt.

257 Corol. 2. Quod vis ex his elementis, quum simplex sit (85), unicum dumtaxat loci punctum occupat; ac proindè inextensum est. Nam si duo ejus puncta occuparet, esset dividuum, parte una uni puncto, altera alteri respondente. Aut enim duo puncta in loco non sunt, ut supponitur; aut si ea elementum replet, in duas partes discerpi posse clarum est, quarum quælibet loci puncto cuilibet respondeat. Ab hac proprietate extensio corporum sumitur.

258 Corol. 3. Omne corpus dividuum est. Elementa siquidem materiæ quemadmodum conjunguntur, sic &, separari possunt; semper enim distincta, ac diversi loci

punctis respondentia manent post conjunctionem: ergo dividi, ac disjungi invicem possunt. Proprietas hæc *sectilitas* vocari solet.

259 Corol. 4. Quoniam corpora dividua sunt, erunt & mobilia: nam separatio partium fieri non potest sine mutatione loci: mutatio autem loci motum importat (185): mobilia igitur esse tam corpora, quam partes, atque elementa, ni experientia doceret, ratio concluderet.

260 Capacitatem hanc, sive aptitudinem ad motum, & quietem, *inertiam* corporum placet appellare: conatum vero, quem experimur in corpore ad retinendum statum motus, aut quietis, in quo sit, *vim inertiæ* voco. Notiones hujusmodi variant apud physicos, & metaphysicos, alii aliam notionem vi inertiæ tribuentes. Sed hæc ad physicam.

261 Schol. Suboriri posset dubium, num proprietates hactenus expositæ sint essentiales corpori, an ab aliqua lege Creatoris omninò corpori extrinseca tantum proveniant? Sane nulla metaphysica ratio unum præ altero suadere videtur. Soliditatem, extensionem, mobilitatem, quod attinet, non adeò essentiales concipiuntur, ut in alia rerum serie ipsis non constare corpora intelligi nequeant. Fortasse aliæ etiam qualitates primariæ cognosci possent, si ad intima substantiæ corporeæ attributa perscrutanda accedere liceret. Pauca enim eaque ab effectis deducta cognoscimus, sensuum hebetudinem causantes, aut eorumdem paucitatem; quæ si augerentur, plurimis cognitionibus mens nostra ditesceret. Ad præsentem tamen statum minimè divitias hujusmodi conducere, non solum generale illud principium, sapientissimum naturæ Auctorem ita expedire judicasse, verum etiam nocumenta, quæ ex hac supellectili nobis redundarent, abundè persuadent. Perspicacior quidem oculorum acies, aurium acutior sensatio, sensibiliores aliorum sensuum fibræ intolerandum nobis redderent orbis nostri domicilium: quod ex analogia ad majorem sensuum numerum transferre quisque poterit, prout alterius sensus naturam excogitare placuerit.

262 Schol. 2. Fuerunt aliqui philosophi, qui pyrrhonismo delectati, corporum existentiam negarent, phantasticum mundum esse comminiscentes (Log. 261). Nullo non tempore in republica literaria extiterunt hujusmodi ingenia, quæ a portentosis opinationibus magnum sibi nomen parere studuerint; atque ut circulatores manuum dexteritate, aut apparere faciunt, aut jam ostensis ac sub cyathis inclusis nova alia substituunt, quæ attonitis adstantibus repræsentent; sic id genus homines in natura aut, quæ existunt, e conspectu removere, aut nova ostenta in medium producere magno sibi nomini ducunt. Neque umquam persuadere mihi potui, scepticos homines, aut phantasticos portentosas illas theses serio credidisse: sed quod tum Græciæ ferebat mos, qui aliquo pollebant ingenio, novam sibi viam aperire, ac scholam seu hæresim novam inducere satagebant, qua præcedentes a sede gloriæ deturbarent, aut a singularitate saltem famam aucuparentur. Quid facias? sic vivitur. Ad me quod attinet, laborem nullum impendendum judico, ad hujusmodi phantasmata abigenda, quæ vanitate sua, satis compertum est, temporis diuturnitate evanuisse. Nam ut ait Tullius; *opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*.

CAPUT QUINTUM.

De Corporum extensione.

§. I.

Continuum.

263 *Extensum* dicitur cujus partes continuitate quadam conjunctæ sunt; ita ut alia extra aliam sit, sive idem loci punctum non occupet. Hinc extensum idem ferè est atque *continuum*; non tamen omne continuum extensionem localem importat. Nam illud dividunt in *permanens* & *successivum*; primum est idem, ac extensum: alterum partes neutiquam simul existentes habet, sed numquam interrupta serie sibi succedentes, ut motus, tempus. Qui puncta, seu elementa corporum ad contactam venire negant (193), continuum rursum tribuunt in *mathematicum* & *physicum*: mathematicum, seu *metaphysicum* illud vocant, quod nullis interjectis hiatibus concipitur, ut tempus, linea continuo fluxu puncti ducta. In physico, etiamsi partes insensibiliter disjunctas contineat, judicio sensuum hæc separatio non percipitur, sed pars parti contigua esse videtur.

264 Re quidem vera prima continui species, *contiguum* deberet appellari. Contiguum enim dicitur, cujus partes mutuo attactu conjugantur. Verum quum corpora omnia innumeris poris distincta sint, etiam apud eos, qui contactum admittunt; idea *continui*, & *contigui* objecta diversa debet repræsentare; ita ut continuum partes aut contiguas, aut vacuis disjunctas, sed tamen adhærentes enuntiet: contiguum attactum mutuum indicet partium. At qui hunc contactum dari mordicus inficiantur in contiguo permanente, attactum duplici modo concipiunt, ita

punctis respondentia manent post conjunctionem: ergo dividi, ac disjungi invicem possunt. Proprietas hæc *sectilitas* vocari solet.

259 Corol. 4. Quoniam corpora dividua sunt, erunt & mobilia: nam separatio partium fieri non potest sine mutatione loci: mutatio autem loci motum importat (185): mobilia igitur esse tam corpora, quam partes, atque elementa, ni experientia doceret, ratio concluderet.

260 Capacitatem hanc, sive aptitudinem ad motum, & quietem, *inertiam* corporum placet appellare: conatum vero, quem experimur in corpore ad retinendum statum motus, aut quietis, in quo sit, *vim inertiæ* voco. Notiones hujusmodi variant apud physicos, & metaphysicos, alii aliam notionem vi inertiæ tribuentes. Sed hæc ad physicam.

261 Schol. Suboriri posset dubium, num proprietates hactenus expositæ sint essentiales corpori, an ab aliqua lege Creatoris omninò corpori extrinseca tantum proveniant? Sane nulla metaphysica ratio unum præ altero suadere videtur. Soliditatem, extensionem, mobilitatem, quod attinet, non adeò essentiales concipiuntur, ut in alia rerum serie ipsis non constare corpora intelligi nequeant. Fortasse aliæ etiam qualitates primariæ cognosci possent, si ad intima substantiæ corporeæ attributa perscrutanda accedere liceret. Pauca enim eaque ab effectis deducta cognoscimus, sensuum hebetudinem causantes, aut eorumdem paucitatem; quæ si augerentur, plurimis cognitionibus mens nostra ditesceret. Ad præsentem tamen statum minimè divitias hujusmodi conducere, non solum generale illud principium, sapientissimum naturæ Auctorem ita expedire judicasse, verum etiam nocumenta, quæ ex hac supellectili nobis redundarent, abundè persuadent. Perspicacior quidem oculorum acies, aurium acutior sensatio, sensibiliores aliorum sensuum fibræ intolerandum nobis redderent orbis nostri domicilium: quod ex analogia ad majorem sensuum numerum transferre quisque poterit, prout alterius sensus naturam excogitare placuerit.

262 Schol. 2. Fuerunt aliqui philosophi, qui pyrrhonismo delectati, corporum existentiam negarent, phantasticum mundum esse comminiscentes (Log. 261). Nullo non tempore in republica literaria extiterunt hujusmodi ingenia, quæ a portentosis opinationibus magnum sibi nomen parere studuerint; atque ut circulatores manuum dexteritate, aut apparere faciunt, aut jam ostensis ac sub cyathis inclusis nova alia substituunt, quæ attonitis adstantibus repræsentent; sic id genus homines in natura aut, quæ existunt, e conspectu removere, aut nova ostenta in medium producere magno sibi nomini ducunt. Neque umquam persuadere mihi potui, scepticos homines, aut phantasticos portentosas illas theses serio credidisse: sed quod tum Græciæ ferebat mos, qui aliquo pollebant ingenio, novam sibi viam aperire, ac scholam seu hæresim novam inducere satagebant, qua præcedentes a sede gloriæ deturbarent, aut a singularitate saltem famam aucuparentur. Quid facias? sic vivitur. Ad me quod attinet, laborem nullum impendendum judico, ad hujusmodi phantasmata abigenda, quæ vanitate sua, satis compertum est, temporis diuturnitate evanuisse. Nam ut ait Tullius; *opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*.

CAPUT QUINTUM.

De Corporum extensione.

§. I.

Continuum.

263 *Extensum* dicitur cujus partes continuitate quadam conjunctæ sunt; ita ut alia extra aliam sit, sive idem loci punctum non occupet. Hinc extensum idem ferè est atque *continuum*; non tamen omne continuum extensionem localem importat. Nam illud dividunt in *permanens* & *successivum*; primum est idem, ac extensum: alterum partes neutiquam simul existentes habet, sed numquam interrupta serie sibi succedentes, ut motus, tempus. Qui puncta, seu elementa corporum ad contactam venire negant (193), continuum rursum tribuunt in *mathematicum* & *physicum*: mathematicum, seu *metaphysicum* illud vocant, quod nullis interjectis hiatibus concipitur, ut tempus, linea continuo fluxu puncti ducta. In physico, etiamsi partes insensibiliter disjunctas contineat, judicio sensuum hæc separatio non percipitur, sed pars parti contigua esse videtur.

264 Re quidem vera prima continui species, *contiguum* deberet appellari. Contiguum enim dicitur, cujus partes mutuo attactu conjugantur. Verum quum corpora omnia innumeris poris distincta sint, etiam apud eos, qui contactum admittunt; idea *continui*, & *contigui* objecta diversa debet repræsentare; ita ut continuum partes aut contiguas, aut vacuis disjunctas, sed tamen adhærentes enuntiet: contiguum attactum mutuum indicet partium. At qui hunc contactum dari mordicus inficiantur in contiguo permanente, attactum duplici modo concipiunt, ita

ut unus sit *mathematicus* & verus, ut partes motus, aut temporis se contingunt; alter *physicus*, & sensibilis tantum, ut ope sensuum partium disjunctio percipi nequeat.

265 Magna hic exoritur controversia tam de partium cohæsione, quam de earumdem divisibilitate. Duo quidem naturæ arcana ista sunt, quæ qui ritè perpenderit, imbecillitatem humanam confiteatur, necesse est: neque tam arroganter rationem ducem in religionis mysteriis sequendam, revelatione contempta, asseverabunt hodierni epicurei; quam in naturæ arcanis cæcutire, & cimmeriis in tenebris versari passim animadvertunt. Utramque quæstionem ita explanabimus, ut difficultatum capita indicemus, expensis utrinque momentis, quin nodum solvere præsumamus.

266 Certum est, corporum continuitatem a cohæsione partium provenire majore, aut minore, prout indoles cujusque corporis exigit. Enimverò cohærentia elementorum talis est, ut ad contactum deveniant. Boscovichius censet materiam, seu corpora omnia substantias esse elementis, seu punctis indivisibilibus, ac inextensis constantes, longè tamen diversis a monadibus leibnitianis, quæ omninò specie differunt, ac vim quamdam repræsentativam plus, minusve obscuram continent juxta gradus perfectionis, quos in scala entium ascenderunt; quum boscovichiana elementa homogenea supponantur, omnique virtute perceptiva destituta. Hujusmodi elementa aliquo intervallo disjuncta sunt, quod quidem minui indefinitè potest, numquam tamen ita tolli, ut ad contactum deveniatur. Vide dicta art. 193. Prædicta puncta firmissimas massas componere possunt auctis, aut imminutis viribus attractivis, ac repulsivis, quando in his intervallis collocantur, ut imminuta tantillum distantia, habeatur ingens vis repulsiva; ipsa verò aucta succedit vis attractiva. Ab his igitur viribus non ab immediato contactu oritur extensio impenetrabilis corporum; partium cohæsio; resistentia major, aut minor ad separationem; soliditas &c. Jam etiamsi contactus mathematicus omninò absit ab hujusmodi elementis, physicus habetur consistens in sensibili partium cohæsione, quam sensibus corpora objiciunt, perindè ac si contigua forent.

267 Gravibus sane argumentis hæc sententia firmatur, non levioribus urgetur. Et primò ejus fautores nituntur hac inductione, quam brevissimè expono. Omne compositum ex simplicibus oriri debet (85); corpora igitur, quæ composita omnia sunt, e simplicibus nascuntur. Simplex autem inextensum est (84), quippe nullas habens partes: duo autem inextensa si copulentur ita, ut se contingant, compenetrabuntur (193); neque ex una parte ad-

adhærere, ex altera non adhærere intelligi potest punctum, quod nullas habet partes: ergo si ad contactum accederent, confunderentur, hoc est compenetrarentur, atque adeò extensum efficere non possent. Qui enim concipi potest, ex inextensis, hoc est negationibus extensionis, extensum coalescere posse? Unum igitur restat, elementa separata remanere semper debere, diversa loci, seu spatii puncta occupantia, sicque propter disterminationem suam extensionem componere. Nam eo ipso, quod elementa invicem disjuncta concipiuntur, diversis etiam loci punctis respondere, ac proindè extensionem componere possunt. Separata autem manere, & cohæsionem servare non possunt, quin aliqua vi ad certam distantiam retineantur, qua veluti glutine copulentur: quam quidem vim attractivam tantum esse posse, qua se in officio contineant, ne dissipentur; quæ deindè in repulsivam mutetur, ne ad attactum, seu compenetrationem deveniant, ex terminis manifestum ajunt. A lege etiam continuitatis argumentum sumunt ad excludendum a punctis contactum, ut art. 193 jam vidimus: necnon geometriam in auxilium vocant, e qua lineam e punctis inextensis, ac sibi contiguis componi non posse, pluribus demonstrant geometræ, uti suo loco innuimus (Elem. Math. 350), atque ex infra dicendis constabit. Qui plura de hoc argumento velit, legat opus, cui titulo est *Theoria Boscovichiana vindicata* ab Emmanuele Gil Sacerdote Hispano typis Fulginatibus edita ann. 1791, ubi doctè, ac fusè rem tractat, expensis momentis, quæ utrinque occurrunt. Nostrum non est tantas componere lites.

268 Sententiæ hujus contradictores multa in eam congesserunt; quorum aliqua hic innuere sufficiat. 1. Si elementa inextensa sunt, ac spatium in infinitum divisibile, ut ab hujus sententiæ patronis asseritur; inter duo puncta, quæ parvam servent distantiam totum universum collocari potest. Nam universi puncta finita sunt, spatii divisibilitas infinita: ergo inter illa duo puncta exigua distantia separata, puta pollicis, puncta alia atque alia interseri possunt in infinitum, ita ut omnia, quæ in universo continentur, demum exhauriantur. 2. Continuitatis lex etiamnum demonstrata non est, ut solidum ædificio præbeat fundamentum; qua ruente, magnam partem labefactari necesse est: ab ea enim maximè fulcitur hæc sententia. 3. Hypotheses quidem confingi possunt, quæ optime in theoria phænomena explicant; hæ tamen cum rerum statu physico collatæ non respondent; quod in attractione neutonianorum evenire aliqui insimulant. Sanè plures virium limites, frequentes alternationes, diversæ magnitudines arearum curvas exprimentium, intersectiones sub diversis

angulis, aliaque inventa quædam existunt ad difficultates componendas; quæ tamen a dura necessitate nodum solvendi dictata videntur.

269 Fuerunt etiam nonnulli, qui ut extensionem explicarent, puncta quidem simplicia, ac indivisibilia materiæ admitterent, diversis tamen loci punctis respondentia conciperent, eo quod inflata illa supponerent, quod *extensionem virtualem* placuit appellare. Exemplo humani spiritus id illustrant, qui etiamsi simplex sit, diversis tamen loci punctis respondere potest; imò in toto esse corpore, ac in qualibet ipsius parte, nulla sui divisione, sed expansione quadam, ac præsentia, ut ajunt, *definitiva*, asserunt peripatetici. Qui ita nodum solvere cogitarunt, illum stringere potius videntur; quum hujusmodi inflatio punctorum majus fortasse mysterium sit, quam extensio ipsa explicanda. Neque analogia ab animo humano sumpta multum juvare potest contra eos, qui negant spiritum, nisi in puncto contineri, quin distinctas loci partes replere queat. Nam quod a divina immensitate exemplum assumi posset, ad rem non est; finiti nempè cum infinito comparatio potius evincit contrarium. Sed hæc hactenus.

270 Altera de materiæ seu continui in infinitum divisibilitate non solum recentiorum, sed a primis etiam philosophiæ incunabulis hominum torsit ingenia. Zeno stoicorum pater puncta illa indivisibilia excogitavit, ultra quæ divisio materiæ procedere non posset. Aristoteles peripateticorum auctor nullo fine materiam, seu continuum dividi posse contra Zenonem sustinuit. Jacquerius nobilis mathematicus, ac philosophus *logomachiam*, seu verborum pugnam in hac quæstione latere arbitratur, & meo quidem judicio non injuria, quod expositione momentorum utriusque sententiæ luculentius fiet. Verum antequam ea explanemus, extensionis geometricæ notionem præmittere oportet.

271 Geometræ extensionem considerant quatenus triplicem continet dimensionem in longum, latum, & profundum (Math. 391). Corpus autem ab his tribus dimensionibus terminari debet, alioqui finitum non foret (107), si limitibus non concluderetur. Quælibet igitur ex his dimensionibus suos habet limites: profunditatis, seu altitudinis limites sunt longitudo, ac latitudo; quodcumque enim vel tenuissimum corpus intelligatur, ut hoc folium, interior ejus pars ad terminum, seu limitem pertinere non potest: alioqui non esset profundum, sed tantum longum, & latum. Hic igitur profunditatis limes dicitur *superficies*: quæ etiam suis terminis circumscribi debet, si finita est, qui pariter lati esse non possunt: tum enim superficies essent, non limes superficiei. Hos ter-

terminos superficiei *lineam* vocant. Rursus linea, ob adductam rationem finitudinis, limitibus comprehendi debet, atque in duo puncta utrinque desinere.

272 Corol. 1. Limites igitur corporis, superficies, linea, punctum, partes ejusdem non sunt, sed meræ affectiones, quæ sine ipso nec esse, nec concipi possunt (34). Pariter linea pars non est superficiei, sed tantum limes; quod & de puncto respectu lineæ dicendum est. Limites hujusmodi reales sunt; neque a modo nostro concipiendi pendet talis materiæ determinatio, quæ terminis suis concludatur (102), qui ad dimensionem non spectant, seu rectius analogæ naturæ non sunt.

273 Corol. 2. Itaque si superficies non est pars corporis, neque linea pars est superficiei, nec punctum lineæ pars, sed reales termini. Quum autem totum e suis partibus componatur (90), neque superficies sit pars corporis, aut linea superficiei, aut punctum lineæ; suprapositione superficierum corpus, seu extensum non generabitur; nec superficies a lineis, nec linea a punctis.

274 Corol. 3. Si duæ superficies superimponi concipiantur, aut in unum coalescent, aut aliquod corpus intercipient triplici dimensione donatum: duæ lineæ aut in unam congruent, aut superficiem intercipient: bina puncta lineolam capient, aut compenetrabuntur, sive unicum in ordine ad locum efficient. Quæcumque igitur proximitas supponatur inter binas superficies, lineas, puncta; numquam ita accedent, ut nullum spatium medium intersit. Ab hac, ni fallor, geometrica theoria, & illa boschovichiana supra memorata originem ducit: at non semper feliciter eveniunt hujusmodi translationes e geometrico ad physicum statum.

275 Corol. 4. Concipiatur, corpus aliquod continuum plano quodam (Math. 384) secari, puta cubus palmaris; perspicuum est, aliam sectionem priori adeò propinquam in ipso fieri non posse, quin aliquod corpus inter utramque sectionem intercipiatur; ceteroqui sectiones penitus congruerent, nec duæ, sed una sectio perficeretur. Hoc autem medium inter utramque sectionem interceptum limites utrinque habere debet, qui aliquid intercipiunt, ne extrema congruant intervallo sublato (374): id igitur interceptum plano rursus dividi potest, quod iterum de ejusdem dimidio intervallo, ac de ceteris utriusque partis sectionibus dicatur oportet, ne limites congruant (374). En totidem pro divisibilitate continui argumenta, quæ tot sunt demonstrationes geometricæ, si de abstracto rerum statu sermo sit. Nimirum omne extensum in minora, ac minora extensa; omnes superficies in minores superficies; lineas in lineas resolvi dicendum est;

quin umquam deveniatur ad ultimum divisionis terminum, seu corpus resolvatur in superficies, superficies in lineas, lineæ in puncta.

276 Infinitus essem, si innumera, quæ e geometria petuntur argumenta, proponere vellem; satis sit aliqua indicare. 1. Inter duas parallelas (Math. 285) indefinitè protensas, infinita parallelogramma dato æqualia duci possunt (Math. 354). 2. Inter tangentem circuli, & peripheriam innniti circuli duci possunt (ibid. 318). 3. Asymptoti in hyperbola (ibid. 528) semper ad eamdem accedunt, imminuta in infinitum distantia, quin ad contactum deveniant. 4. Ordinatæ in asymptotis (ibid. 530) continenter decrescunt, quin assignari umquam possit terminus ubi evanescant. 5. Demum datis duabus vel minimis lineolis, tertia proportionali assignari potest (ibid. 344).

277 Alia etiam metaphysica adducunt argumenta, quæ pari brevitate indicabimus. 1. Corpus utcumque divisum supponatur, adhuc manet extensum: ergo adhuc partes continet: exensum quippe sine partibus concipere, absurdum omninò videtur (269). 2. Corpus utcumque divisum concipiatur, adhuc manet figuratum; ergo facies habet dexteræ, ac sinistræ respondentes: est igitur continenter divisibile in has partes. Qui enim figura sine partibus concipi potest? 3. Si spatium & tempus divisibilia in infinitum non sunt, testudo, & aquila æquè velociter movebuntur, neque hæc alteram superare velocitate poterit. Nam in unico indivisibili momento unicum indivisibile spatii punctum conficere possunt: singulis igitur spatiis, ac momentis in summam collectis, testudo, & aquila æquè progredi ostendetur; neque hæc volatu pernicissimo plumbeam testudinem umquam prætergredietur. Supposita verò spatii ac temporis infinita divisibilitate, ab hac desumitur ratio disparitatis utriusque motus, ut est manifestum.

278 At, inquiunt zenonistæ; si continuum habet infinitas partes, nullum spatium percurri potest: qui enim concipi valet, brevissimo tempusculo infinitas spatii partes pertransiri? Respondent, hujusmodi partes non crescentes, sed infinitesimas existere: quemadmodum autem in unitate infinitæ fractiones continentur, ex. gr. 1. $\frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16}$ &c. quæ seriem infinitè decrescentem componunt; ita in continuo partes decrescunt, nec ullus umquam inventus est, qui hanc infinitam divisibilitatem unitati negaverit. In tempore, spatio, ac motu hanc etiam divisibilitatem agnoscunt, ab eaque repetunt mobile majus minusve spatium percurrere. Hactenus tradita responsio bilem Vernejo movit, ajenti: „ Sed viri isti

isti docti non animadvertunt, se pugnantia loqui. Nam quum præsens instituatur quæstio de vera, ac possibili divisione partium materiæ, tametsi facta a vi majore, quam sint vires hactenus creatæ, quumque partes illæ infinitæ parvitatis sint ideæ abstractæ geometrarum, seu meræ denominationes, quæ tribuantur rebus abstractis, dum referuntur ad alias: re autem vera illæ suæ partes infinitè parvæ, ipsis fatentibus, sint finitæ magnitudinis; sequitur eos cogitare tales physicas partes, quales nullæ esse possunt, quæ est aperta repugnantia; tum ab statu metaphysico ad physicum confugere, quod ipsum est fallacia toties refutata: propterea quia plurimi, ac doctissimi homines ex *pedantismo* quodam mathematico satis vulgato, ejusmodi fallaciam adhibere non cessant „.

Respondet itaque laudatus Auctor: „ Negamus tale quid sequi, imò & negamus illud, quod pro vero sumitur, esse in *magnitudine finita partes infinitas*. Nam ut ante demonstravimus, proprietas materiæ est, posse *infinitè dividi in partes*; at verò *habere jam partes infinitas*, repugnat naturæ materiæ: ergo in quantitate finita non est infinitus numerus partium: ergo infinitum non continetur a finito „. Opponit sibi difficultatem, quæ statim ex ejus responsione erumpit. „ Dices: quis tale mysterium intelligat, scilicet posse rem aliquam in partes infinitas dividi, & non habere jam num partes infinitas? an partes novæ condendæ ex nihilo sunt? minimè, sed tantum separandæ. Ergo erant illæ quidem ante in materia finita: ergo infinitum a finito continetur. = Sed fatemur difficulter id capi posse, imò verò nullo modo posse libenter damus. Quid tum? an dicendum est fieri non posse? nihil minus. Habemus enim certum criterium, ex quo judicare debemus, id ipsum ut ut abstrusum sit, esse verissimum tamen. Criterium autem est hujusmodi: *quum aliquid perspicuè* ducitur ex veritate perspicua, id verum est; sed infinita *divisibilitas perspicuè ducitur ex perspicua materiæ sensibilis proprietate, scilicet ab extensione figurata: ergo vera est*. Ex hac autem demonstratione sequitur, esse falsum, quidquid e contrario objiciunt. Et quamquam propositiones aliquæ, quæ sequuntur, novæ, & paradoxa videantur; tamen si animadvertamus, non id ex natura materiæ, sed ex natura infiniti proficisci, quæ a nemine complecti potest . . . . . mirari desinemus. Itaque ut ad eamdem similitudinem tyronum gratia sæpe revertar, quemadmodum infinita potentia Dei non potest omnia simul condere, aliter non esset infinita: sic materia etsi in partes dividi possit, non habet jam num partes infinitas, aliter non esset materia, seu extensio corporea figurata. Hinc autem illud

perspicuè infertur; ergo materiæ proprietas est, non habere partes infinitas, sed eas habere posse in infinitum.„ Phys. lib. 4 cap. 1.

Audiatur de hac responsione Para. „ Schola peripatetica . . . in duas oppositas classes divisa fuit. Prima in quavis materiæ portione . . . infinitas numero veras partes existentes admisit, seu partes actu invicem distinctas . . . altera . . . partes numero infinitas in potentia admisit, seu partes, quæ in continuo actu non sunt, nec actu invicem distinctæ. Sectæ hæ duæ emulæ in principiis consentiebant; in iis, quæ ab his deducebantur, discordes erant. Prima infinitæ divisibilitatis incommoda sentiebat, & quæ inde gravissima consequebantur, ingenuè fatebatur. Altera eadem infinitæ divisibilitatis incommoda sentiebat, & subdolo, ac puerili effugio utebatur ad difficultates inde emanantes eludendas. Illa philosophorum schola erat; hæc circulatorum. „ Phys. tom 1. num. 59. ☐ Quod ad me attinet, ingenuè fateor, majus arcanum mihi videri hujusmodi partium *potentialium* divisio, quam ipsa continui infinitudo. Neque ob id inficiabor, ipsos quoque actualem partium distinctionem fatentes, ad *potentialitatem* accedere. Audiatur ipsemet Para num. 67. „ Obji. 3. Si materia in infinitum dividi potest, jam ita divisa supponatur &c. Resp. Divisio materiæ possibilis est in infinitum; neque enim terminus ullus divisionis esset, ultra quem divisio protrahi nequeat. At ex infinita materiæ divisibilitate non sequitur, materiæ divisionem effectam esse posse; aut effectam supponi in infinitum; repugnat enim materiæ infinitam divisibilitatem ullo umquam numero exhauriri. „ Enimverò hoc fortassis probat repugnare separatas jam fuisse per divisionem materiæ partes: at sunt ne actu distinctæ, etiam dum unitæ existunt in materia? Parum ergo refert localis separatio; sunt enim ab ipsarum essentia divisæ, ita ut una non sit alia. Distinctæ non sunt? en igitur potentialitatem: quæ enim actu distinctæ non sunt, per divisionem majorem in infinitum separantur, atque actu distinguuntur. Quod quidem adeò mihi absurdum videtur, ac si ex anima rationali infinitas alias animulas discerpi concipierem, quemadmodum in polyporum propagatione a recentioribus observatum est, continenti divisione multiplicari.

Maximum etiam adducunt zenonistæ absurdum, inferentes, unum infinitum majus alio existere posse, si sententia divisibilitatis vera est. Nam si hexapeda, ac pes in partes æquales in infinitum dividantur, perspicuum est partes infinitesimas hexapedæ sexies superatum ire infinitesimas pedis. Respondent: nullum inconveniens in eo, quod infinitum unum altero majus sit, reperiri. „ Unde notum adversariis, ajebat Keill, hoc esse absurdum? an contradicit axiomati alicui vulgò recepto? Nequaquam mehercule; nullum enim est axioma, quod omnia infinita æqualia ponit; nec infiniti naturæ repugnat, quod ab alio infinito superetur „. Et quidem plura sunt in geometria, quæ ejusmodi inæqualitatem suadere videntur. Nam si corpus geometricum infinitis superficiebus, lineis, punctis constat (271, & seq.), perspicuum est, superficies illas majores esse lineis, lineas punctis.

Non minorem difficultatem continet illud, si quævis materiæ portio, puta pomum, infinitas partes contineret, infinitam pariter haberet extensionem; partes quippe vel minimam extensionem occupantes, quum sint infinitæ, infinitam æquè extensionem comprehendant, oportet. Respondent: hujusmodi magnitudinem determinatam non esse, sed decrescentem; in qua infinitas nihil prohibet contineri partes, quæ non extensionem augent, sed a majore deficiunt. Sic pollex auri dividitur in semipollices, hi rursus in quartas, octavas partes &c. quæ extensionem continenter imminuunt.

Demum, ne omnia persequamur, quacumque vel tenuissima bractea auri malleo subacti omnes globos planetarum, ac fixarum inaurari posse continenti superficierum divisione, ex infinita divisibilitate continui manifestè sequitur. Respondent, planè concedentes deductionem. „ Phantasia, inquiunt, animæ potentia, cujus munus est imagines effingere, terretur aspectu divisionis veluti infinitæ, cujus modum non percipit, quem sequi nequit, dum ultra producitur, quam pingere valet: at ratio, animæ potentia, judicans, atque ratiocinans, neutiquam exterretur, quum videt, substantiam perpetuo divisibilem posse perpetuò dividi a potentia, quæ omnia non repugnantia potest.

279 Schol. Ex hactenus dictis perspicuè, ni fallor, deducitur, in hujusmodi argumento thesis mutatione laborare partes utrinque contendentes; ac sæpe ab statu geometrico ad physicum, nec opinantes, transire, tum opponentes, tum respondentes philosophi. Et sanè quæ a seriebus decrescentibus promuntus exempla geometricum planè sensum indicant, quem ad physicum transferre nefas esse, omnes fatentur. Unde, si quid mei judicii est, geometricam divisibilitatem in infinitum in demonstratis habeo; ad ea, quæ extra mentem sunt, deducere non audeo. De divisibilitate enim physica infinita, quod impiè de diis dixit Protagoras in Cicerone, *neque ut sit, neque ut non sit, habeo. Liceat mihi nescire, quod nescio.*

§. II.

§. II.

De Corporum figurata extensione.

280 Limites extensionis *figuram* efficiunt, qua corpus in qualibet ex suis mensuris continetur, ac veluti coarctatur, ne amplius excurrat (102). Cubi ex. g. figura ex limitibus cujusque suæ dimensionis consurgit, qui sex ejusdem superficies, ac superficierum extrema, linearumque puncta ad certos fines determinant.

281 Corol. 1. Indubium igitur est, extensionem figuratam a minimis substantiæ particulis, seu punctis provenire secundum eorumdem positionem determinatam extensionem comprehendentibus. Nihil interest, continuitatem metaphysicam, aut contactum mathematicum supponere, vel rejicere; physicus hic sufficit, qui ab omnibus admittitur.

282 Corol. 2. Quodlibet elementum seorsim consideratum, figuratum non est: nam ad figuram limitibus claudi, necesse est quod extensum esse, importat: elementis autem sub notione puncti consideratis extensa esse, neutiquam convenire potest. (84).

283 Metaphysica hic occurrit disquisitio, num ea elementa, ex quibus corpora coalescunt, homogenea sint, an secus? Perdifficile enim videtur ab homogeneis particulis tantam diversitatem in rerum natura exoriri posse, quantam in rebus, vel quam simillimis, observamus, atque art. 233 jam innuimus. Ad quod quidem explicandum etiamsi ad monades Leibnitii minimè recurrendum esse oporteret; diversitatem certè plurium specierum admittere non incongruum videtur.

284 Positio. *Nihil prohibet, ab elementis homogeneis infinitam compositorum varietatem oriri.* Prob. In elementorum perfecta similitudine nullam subesse pugnam contradictionis, ostensum est art. 230: superest tantum exponere, quomodo ex hac multitudine homogenea elementorum tanta varietas entium emergere queat. Ac primò hoc exemplo illustrant: excudantur typi 24 alphabeti litteras exprimentes, non continuo linearum ductu, ut nunc fit; sed minusculis punctis configurati: hujusmodi characteribus exprimi possunt vocabula omnium linguarum, tam existentium, quam quæ in posterum exoriri potuerint: quæ entium diversitatem commodè repræsentare, nullus erit, qui dubitet. Atqui infinita hæc varietas ab una 24 litterarum collocatione originem ducens, ideam substantiarum, quas *derivativas* placet nominare, satis exhibent; puncta verò caracteres formantia, elementorum vices, e quibus sub-

substantiæ oriuntur, eleganter etiam gerere possunt. Quare si in exemplo adducto ex punctis homogeneis diverso modo collocatis immensa illa dissimilitudo vocum exprimi potest; cur in altero fieri nequeat, haud satis video. Eadem analogia in numeris instauratur, qui ab unitatum cumulatione diversa nascentes, dissimilitudinem graduatem infinitam in seriebus tam crescentibus, quam decrescentibus exhibent.

285 Confirmant etiam conclusionem nonnulli ratione ab ipsamet simplicitate mediorum, quibus naturæ Auctor utitur, rejectis superfluis, aut complicatioribus, quando unicum principium satis sit; quod vulgatum in scholis proverbium induxit; *non sunt multiplicanda entia sine necessitate:* at ex dictis substantiæ homogeneæ sufficiunt ad compositionem corporum; ergo hæ potius quam heterogeneæ admittendæ sunt. Verum hæc assumptio probat quidem, ita fieri potuisse, quod nos in conclusione posuimus: re autem sic esse, minimè probat, quum Deus liberrimus in operationibus suis aut simplicia, aut complicata principia eligere queat ad universitatem rerum conformandam.

286 Præter ea, quæ jam art. 234 pro leibnitianis monadibus adducta sunt, opponunt adhuc sequentia. 1. Magis commendat divinam fœcunditatem innumera elementa dissimilia creare, quam homogeneis uti; ut in substantiis liquet derivativis, quæ numquam duæ similes inveniuntur: ergo standum est pro *heterogeneitate* elementorum. Resp. *neg. ant.* Divinam fœcunditatem extollit, quod omnes reverenter fatemur, eadem elementa in infinitum diversa posse condere; quod autem his citius, quam homogeneis usus sit, persuadebimur, quum intima rerum elementa introspiciamus. Non solum homogeneam esse posse substantiam, stante etiam corporum varietate, contendimus; eam tamen ita esse, noverit ipse, qui fecit.

287 Instant. Si elementa alphabeti singula referrent sonum homogeneum, vocum diversitas nulla extaret: ex. g. si omnia ederent sonum *a*, aut *e*, exularent syllabæ, quæ e varietate sonorum nascuntur; ac proindè voces, quæ syllabarum congeries plerumque sunt: ergo idem dicendum de elementis homogeneis. Resp. *neg. cons.* Dissimilis ratio in utroque casu ea est, quæ ab omnibus facilè percipitur: voces in diversa aeris modulatione consistunt: unde si una est modulatio, etiam millies repetita vocem, aut vocabulum non formabit, sed aspirationem aut sonum aeris labiis percussi. Elementa verò collocatione diversa, quod jam exemplo characterum e punctis figuratorum ostensum manet, infinitam varietatem in composita ab eis provenientia inducere possunt. Et quidem si pun-

puncta elementaria typorum una tantum directione collocarentur ; id , quod de sonis vocalibus dictum est, contingeret ; unam modò litteram formarent ; in quo casu similitudo adducta assumptum planè convinceret : quod & ad elementa substantiæ transferre non gravamur , in quibus varietatem ab elementorum diversa positione, situ , conglobatione petendam censemus.

288 Schol. Nonnulla itidem e physicis desumere licet , quibus homogeneam esse substantiam indicari videatur ; ut sunt conversio aeris in aquam , terram , ac fortassis etiam in ignem : vicissim aquam in aerem transmutari eolipilæ machinamento , vulgare est experimentum. Ceterum nescio , an ab antiquis philosophis hæc omnia casu dicta sint ; uti plura alia , quidquid Dutensius dicat, mere divinando asseruisse , compertum est : (ut quod de galaxia dixit Democritus , esse conglobationes stellarum) ; an tentamine facto , quod nuper a chymicis obtentum scimus , ejusdemmodi transformationem asseveraverint . En Tullii verba Lib. 2. de Nat. Deor. ,, Quin etiam movetur nobiscum (aer) ; quacumque movemur , videtur , quasi locum dare , & cedere . Quæque in medium locum mundi, qui est infimus, & quæ a medio in superum, quæque conversione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt , unamque naturam . Et quum quatuor sint genera corporum , vicissitudine eorum mundi continuata natura est . Nam ex terra aqua ; ex aqua oritur aer ; ex aere æther : deinde retrorsum vicissim ex æthere aer ; ex aere aqua ; ex aqua terra infima . Sic naturis his , ex quibus omnia constant , sursum , deorsum , ultro , citroque commeantibus , mundi partium conjunctio continetur ,, . Sed hæc ad Physicam .

CAPUT SEXTUM.

De Spatio , Loco , & Tempore .

289 Ne abstrusis de spatio quæstionibus mentem juventutis implicemus , omittere placuit , quæ in prima editione de spatio disseruimus ; quare brevioribus de spatio notionibus expositis , statim ad alia gradum facienius .

290 Spatium mihi est , *capacitas in qua existunt aut existere possunt corpora , aut entia quæcumque a Deo producantur .*

291 Ut recepto loquendi modo serviam , illud tribuo in sensibile & intelligibile .

292 Spatium sensibile in ordine coexistentium, quo primum extra secundum , hoc extra tertium &c. concipimus, cum Leibnitio ac Wolfio consistere , non invitus assentiar .

tiar . Sic spatium sensibile ab Urbe occupatum, est ille ordo ædificiorum , quo omnia invicem respondent , & collocata intelliguntur .

293 Spatium intelligibile immensitatem illam dico, in qua entia finita in infinitum produci possunt .

294 Locus est pars sensibilis spatii a corpore occupata : sive determinatus ille modus , quo templum ex. gr. D. Petri in Urbe certam relationem seu distantiam cum aliis templis , palatiis , fontibus &c. observat .

295 Locum in *communem*, ac *proprium* dividunt : *communis* est, in quo plura entia continentur, ut *theatrum*, *urbs*, *tellus* &c.

296 *Proprius* est pars illa communis loci a quolibet ente occupata : quod quidem etiam sine exemplis satis intelligitur .

297 *Absolutum* quoque ac *relativum* locum distinguunt : *absolutus* sine respectu ad alia corpora circumstantia concipitur ; relativus non item .

298 Corol. 1. Hinc locus absolutus potest mutari , relativo eodem permanente ; ut contingit navigantibus in navi sedentibus , ac terricolis in hypothesi telluris circum solem se torquentis . Relativum passim mutamus , hominibus ultrò citròque commeantibus , ac nobis eumdem locum tenentibus .

299 Corol. 2. Spatium non est materia extensa ; at materia extensa spatium occupat , sive ut rectius loquar continetur in spatio .

300 Corol. 3. Spatium *sensibile* ac *locus*, prout a Leibnitio explicatur (292) , est merum phænomenon : ipsi enim spatium est ordo *simultaneorum quatenus coexistunt* ; quod quidem apparentia quadam rerum obtinetur : *locus* verò modus , quo res quælibet ceteris coexistit, ab eodem exponitur : in quo entium relatio ab ipsorum respectiva collocatione proveniens , phænomeni etiam specie existit .

301 Democritus , Epicurus , ac ejus latinus Scholiastes Lucretius , quos postea Fortunatus a Brixia , ac Josephus Tamagna sequuti sunt , *extensionem negativam*, seu *spatium nihil*, ut Augustinus lib. 8. Conf. cap. 1. nuncupavit, spatium esse excogitarunt .

302 Leonardus Sessius, Rapson, Morus, Neuton, Monteirus, Para, quos in præcedente editione sequuti sumus , divinam immensitatem spatium esse propugnarunt . In præsentiarum hujusmodi controversiam intactam relinquere satius duximus .

303 Spatia imaginaria vulgò dicuntur illa, in quibus nulla entia collocata intelligimus : produci tamen ibi , nullam repugnantiam concipimus . Sic ante universi creationem

nem spatium illud, in quo nunc omnia creata continentur, velut imaginarium concipimus.

304 Corol. Inutiles prorsus censendæ sunt quæstiones illæ de spatiis imaginariis; nimirum utrum Deus in illis existat? Aut ubi ant creationem rerum extiterit? Nam, ut ait Tertullianus contra Praxeam: *Ante omnia Deus erat solus; ipse sibi & locus & mundus & omnia.*

305 Tempus est successiva rerum duratio, quatenus nulla acceleratione, retardatione, aut interruptione concipitur. Tempus in *absolutum* ac *relativum* distribui solet. Absolutum est ipsamet entium sibi succedentium duratio, continua quadam serie semper fluente, numquam interrupta, nec tardius aut celerius, sed æquabili semper tenore cursum suum perficiente, concepta.

306 Relativum tempus est comparatio durationis rerum ad motum aliquem corporum, puta solis, nobis sensibilem, e cujus partibus mensuram durationum nobis comparamus.

307 Tempus relativum est mensura admodum incerta durationis; nec nisi revocata ad tempus absolutum ac mathematicum, exhibere potest veri temporis notionem. Motus enim solis, aut cujusvis corporis incrementa aut decrementa plerumque subit, quandoque etiam æqualiter fluit, quin illius immutabilitatis in cursu, quam tempori reali affigere debemus, notionem præbeat.

CAPUT SEPTIMUM.

Naturale ac supernaturale.

308 Multiplici sensu *naturæ* nomen apud auctores usurpatur. Ac primò universitatem entium plerumque denotant, vulgari loquendi modo se accomodantes: deinde indolem, aut ingenium significant cujusque rei, ut quum a natura placidum, aut ferventem hominem dicimus: tum etiam statum rerum constantem, ut lapidi esse durum, igni calidum, gravibus deorsum ferri, veluti e natura sua illis tribuimus: demum principium quoddam internum tam in entibus singulis, quam in universum consideratis, e quo vires, ac potentiæ activæ, necnon & passivæ effluere concipiuntur. En descriptionem a Tullio Lucilii verbis traditam in 2. de Nat. D. c. 32.: „ Sed quid sit ipsa natura, explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Namque alii naturam censent esse vim quamdam sine ratione cientem motus necessarios: alii autem vim participem rationis, atque ordinis, tamquam via progredientem, declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat, quid sequatur, cujus solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando . . . sunt autem, qui omnia naturæ nomine appellent, ut Epicurus. „ Peripatetici recentiores verbis Aristotelis naturam definiunt: *principium*, & *causa motus*, & *quietis ejus*, *in quo est primò & per se*, & *non secundum accidens*. Unde concludendum, optimè observasse Martinum: „ Natura . . . inde dicta est, *quod nasci aliquid faciat*, atque in hanc originem vocis, quotquot a philosophis datæ sunt naturæ definitiones, variæ licet, ac vehementer discrepantes, conspirant: abjectis enim, quæ ad propriam cujusvis hypothesim pertinent notis, eam omnes dicunt vim cientem motus, seu *principium actuosum*, *quod scilicet rationem continet operationum entis internum*. De Nat. Stat. hom. §. 1.

309 Principium illud activum naturæ duplici modo concipio, 1. prout ab essentia metaphysica operationes fluere intelligimus, ex. g. in homine ratiocinari, in belluis sentire &c. 2. Res in *statu physico* juxta seriem quamdam legum operantes aspicio, quæ neque ab earumdem essentia exiguntur, neque ipsi vim aliquam inferunt: sic corpori per lineam rectam moveri, deorsum ferri, sub tali humorum temperie vivere animæ unitum, sub alia vita destitui, cetera; leges quædam in rebus existunt, quæ nec ab ipsarum attributis fluere, nec cum ipsis pugnare intelligimus.

310 Corol. 1. Omnia igitur, quæ juxta leges, ut ita dicam, metaphysicas a natura operari comprehendimus, absoluta necessitate fluere debent; quin ulla potentia talem ordinem variare queat. Essentiæ enim rerum sunt necessariæ, ac immutabiles (20, 21): quidquid ergo ad ipsas pertinet, eamdem necessitatem obtineat, oportet. Ad physicas leges quod attinet, necessariæ non sunt, quum ab attributis entium non emanent; ac proindè eodem modo essentiæ rerum se haberent, illis inversis, aut alio modo ordinatis.

311 Corol. 2. Ratio sufficiens legum metaphysicarum in essentiis rerum invenitur (33); physicarum verò extra ipsas est: ex. g. ratio sufficiens, cur corpus sit compositum, divisibile; ab ejus essentia petenda est: quod verò deorsum feratur, grave sit, has potius quam illas mutationes subeat; in alio ab ejus essentia distincto collocari debet.

312 *Ordo naturæ*, *cursus naturæ* ferè idem significant: plerumque ordinem naturæ aliquam ejus legem intelligunt; *cursum* verò eventuum series a legibus naturæ regulato nexu procedentes; mors hominis juxta ordinem naturæ; dierum, noctiumque alternata successio sine ulla interruptione juxta cursum naturæ fieri dicitur.

313

nem spatium illud, in quo nunc omnia creata continentur, velut imaginarium concipimus.

304 Corol. Inutiles prorsus censendæ sunt quæstiones illæ de spatiis imaginariis; nimirum utrum Deus in illis existat? Aut ubi ant creationem rerum extiterit? Nam, ut ait Tertullianus contra Praxeam: *Ante omnia Deus erat solus; ipse sibi & locus & mundus & omnia.*

305 Tempus est successiva rerum duratio, quatenus nulla acceleratione, retardatione, aut interruptione concipitur. Tempus in *absolutum* ac *relativum* distribui solet. Absolutum est ipsamet entium sibi succedentium duratio, continua quadam serie semper fluente, numquam interrupta, nec tardius aut celerius, sed æquabili semper tenore cursum suum perficiente, concepta.

306 Relativum tempus est comparatio durationis rerum ad motum aliquem corporum, puta solis, nobis sensibilem, e cujus partibus mensuram durationum nobis comparamus.

307 Tempus relativum est mensura admodum incerta durationis; nec nisi revocata ad tempus absolutum ac mathematicum, exhibere potest veri temporis notionem. Motus enim solis, aut cujusvis corporis incrementa aut decrementa plerumque subit, quandoque etiam æqualiter fluit, quin illius immutabilitatis in cursu, quam tempori reali affigere debemus, notionem præbeat.

CAPUT SEPTIMUM.

Naturale ac supernaturale.

308 Multiplici sensu *naturæ* nomen apud auctores usurpatur. Ac primò universitatem entium plerumque denotant, vulgari loquendi modo se accomodantes: deinde indolem, aut ingenium significant cujusque rei, ut quum a natura placidum, aut ferventem hominem dicimus: tum etiam statum rerum constantem, ut lapidi esse durum, igni calidum, gravibus deorsum ferri, veluti e natura sua illis tribuimus: demum principium quoddam internum tam in entibus singulis, quam in universum consideratis, e quo vires, ac potentiæ activæ, necnon & passivæ effluere concipiuntur. En descriptionem a Tullio Lucilii verbis traditam in 2. de Nat. D. c. 32.: „ Sed quid sit ipsa natura, explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Namque alii naturam censent esse vim quamdam sine ratione cientem motus necessarios: alii autem vim participem rationis, atque ordinis, tamquam via progredientem, declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat, quid sequatur, cujus solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando . . . sunt autem, qui omnia naturæ nomine appellent, ut Epicurus. „ Peripatetici recentiores verbis Aristotelis naturam definiunt: *principium*, & *causa motus*, & *quietis ejus*, *in quo est primò & per se*, & *non secundum accidens*. Unde concludendum, optimè observasse Martinum: „ Natura . . . inde dicta est, *quod nasci aliquid faciat*, atque in hanc originem vocis, quotquot a philosophis datæ sunt naturæ definitiones, variæ licet, ac vehementer discrepantes, conspirant: abjectis enim, quæ ad propriam cujusvis hypothesim pertinent notis, eam omnes dicunt vim cientem motus, seu *principium actuosum*, *quod scilicet rationem continet operationum entis internum*. De Nat. Stat. hom. §. 1.

309 Principium illud activum naturæ duplici modo concipio, 1. prout ab essentia metaphysica operationes fluere intelligimus, ex. g. in homine ratiocinari, in belluis sentire &c. 2. Res in *statu physico* juxta seriem quamdam legum operantes aspicio, quæ neque ab earumdem essentia exiguntur, neque ipsi vim aliquam inferunt: sic corpori per lineam rectam moveri, deorsum ferri, sub tali humorum temperie vivere animæ unitum, sub alia vita destitui, cetera; leges quædam in rebus existunt, quæ nec ab ipsarum attributis fluere, nec cum ipsis pugnare intelligimus.

310 Corol. 1. Omnia igitur, quæ juxta leges, ut ita dicam, metaphysicas a natura operari comprehendimus, absoluta necessitate fluere debent; quin ulla potentia talem ordinem variare queat. Essentiæ enim rerum sunt necessariæ, ac immutabiles (20, 21): quidquid ergo ad ipsas pertinet, eamdem necessitatem obtineat, oportet. Ad physicas leges quod attinet, necessariæ non sunt, quum ab attributis entium non emanent; ac proindè eodem modo essentiæ rerum se haberent, illis inversis, aut alio modo ordinatis.

311 Corol. 2. Ratio sufficiens legum metaphysicarum in essentiis rerum invenitur (33); physicarum verò extra ipsas est: ex. g. ratio sufficiens, cur corpus sit compositum, divisibile; ab ejus essentia petenda est: quod verò deorsum feratur, grave sit, has potius quam illas mutationes subeat; in alio ab ejus essentia distincto collocari debet.

312 *Ordo naturæ*, *cursus naturæ* ferè idem significant: plerumque ordinem naturæ aliquam ejus legem intelligunt; *cursum* verò eventuum series a legibus naturæ regulato nexu procedentes; mors hominis juxta ordinem naturæ; dierum, noctiumque alternata successio sine ulla interruptione juxta cursum naturæ fieri dicitur.

313

313 *Effectus* naturales hi sunt, qui juxta ordinem, aut cursum naturæ eduntur: *præternaturales* vim aliquam supponunt peculiari naturæ illatam ab alia fortiore, quin tamen leges physicas violaverit; sic in lapide, aut aqua calor præternaturalis est ab alio agente inductus, quem concipimus naturalem statum illorum mutare. *Supernaturales* sunt, quæ contra leges physicas patrantur: quod quidem dupliciter evenire potest: 1. Si leges omninò invertantur, ita ut contrarium accidat ejus, quod, ipsis servatis contingere debebat: ut in suscitatione hominis mortui ad vitam; suspensione cursus solis, aut terræ: compenetratione duorum corporum, cetera. 2. Si legum inversio non omnimoda fiat, sed tantum quoad modum operandi agentis; ut in momentanea infirmi sanatione, translatione velocissima ab uno in alium locum, aliisque, in quibus benè intelligimus rem fieri posse, fieri autem tali modo non posse.

314 Schol. *Effectus supernaturales theologicos* hic non consideramus; sunt enim theologorum provincia, quam nobis invadere jus non est. Effectus supernaturales theologicos voco, qui fiunt juxta ordinem *gratiæ*, ut infusio virtutum supernaturalium fidei, spei, charitatis, & habituum, Spiritus Sancti dona, aliaque a theologis explicari solita.

315 *Miraculum* dicimus effectus supernaturales tam primo, quam secundo modo edi solitos (313). Sunt autem, qui putent, miracula inter chimæras esse amandanda; hi nimirum, quibus

Humana ante oculos fœdè quum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub religione,
Quæ caput a cæli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans...
Lucr. L. 1. v. 62.

viderentque a miraculis validissimum præjudicium pro religione extare; omnem lapidem movere tentarunt, ut hujusmodi fulcimentum everterent.

Ergo vivida vis animi pervicit, & extra,
Processit longè flammantia mœnia mundi:
Atque omne immensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque altè terminus hærens.
Quare religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cælo.
Lucr. ibid. v. 73.

Epi-

Epinicion est non antiquorum tantum, verum hodiernorum etiam epicureorum, qui rem confectam jam putant, atque *egregiam laudem*, & *spolia ampla* de religione retulisse gloriantur: videlicet *curata bene cute*, tamquam *epicuri de grege porcos vivere*.

316 Alii etiam sunt, qui φιλοσοφοπατῶς se credunt agere, si alia quædam inveniant, quæ etiamnum excogitata non fuerint: his miracula res insolitæ, ac mirabiles sunt, minimè autem legum naturæ inversio. Post Spinozam, ac Lokium idem censuit Bonnetus in *Palingenesia philosophica* tom. 2. part. 17., & quidem hoc quasi corollarium est leibnitiani de optimo systematis, in quo dura quædam necessitas naturam, atque adeò ipsum naturæ Auctorem constringit. Rem tamen speciosa idearum catenatione depingit Palingenesiæ inventor, quas minutatim exponere longum esset. Miracula, si Bonnetum audias, sunt quidam effectus ab ipso ordine naturæ emanantes, atque in causis præcedentibus rationem sufficientem habentes: nos tamen latet ejusmodi connexio; at Deo sapientissimo, cui omnia aperta sunt, minimè occultantur, atque eadem in illis circumstantiis, in quibus ab interno naturæ cursu necessario edenda sunt, applicat ad manifestationem gloriæ suæ; religionis confirmationem, aliosque fines. Agnoscit quidem æternam præordinationem horum effectuum, qui per descendentem causarum seriem ita evolvuntur, ut tempore suo compareant; ac scopum, in quem æterna intelligentia collineat, attingant: quæ quidem præordinatio, si corticem verborum attendas, Deo libera asseritur, ut etiam in systemate de *Mundo optimo* leibnitiano.

Plura sunt, quæ in ejusdem metaphysici operibus laudes, non pauca quæ reprehendas. Quod ad hanc miraculorum theoriam attinet, auctorem nimis philosophatum fuisse existimo, ut rem breviore methodo conficiendam, nimis longo cursu deduceret. Nonnulla etiam interserit, quæ in suspicionem venire possunt, ut ex ejus verbis e gallico in latinum sermonem translatis ostendo.

„ Hæ igitur leges (*naturæ*) quodammodo naturæ Auctoris *termo* sunt, aut expressio *physica* suæ voluntatis. Haud difficulter ergo intelligo, Auctorem naturæ *hoc termone* uti potuisse, ut hominibus *certò* ostenderet, quod maximè ipsorum intererat scire, ac optimè scire; quod tamen ratio eisdem vix indicabat. Quoniam autem perspicuè animadverto, Legislatorem naturæ tantum has leges modificare valere, jurè possum deducere, ipsum locutum fuisse, quoties a ratione firmiter habeo, quasdam harum legum *modificationes* obtinuisse, ac finem illas *modificationes* operandi internosco. Hæ igitur modificationes

mihi erunt *signa peculiaria* Auctoris naturæ volantatem hominibus indicantia. Decet igitur hujusmodi modificationibus nomen aliquod imponere: saltem ut ostendam mutationes in cursum ordinarium naturæ inductas; *miracula* placet appellare, ac deinde notiones miraculis convenientes inquirere „.

„ Scio, miraculum frequenter considerari tamquam effectum omnipotentiæ per immediatam actionem in tempore operantem relatè ad quemdam finem moralem. Scio etiam, passim recurri ad immediatam hanc operationem omnipotentiæ, eo quod intra fines legum naturæ miracula contineri haud posse judicatum sit. Enimverò si ex indole *Sapientiæ* est, actus non multiplicare sine necessitate, si voluntas efficax potuit producere, aut *præordinare* omnes has legum naturæ *modificationes*, quas *miracula* voco; nonne erit saltem valde probabile, eumdem ita fecisse? Si Sapientia Æterna nullam *cum tempore relationem* habens, potuit extra *tempus universitatem* rerum producere, credibile ne erit, eamdem *ad tempus* suas operationes reservasse, operi manum adhibens, tamquam adhiberet aliquis de trivio artifex? Recte ne deducam, miraculum non contineri intra limites legum naturæ, ex eo quod prorsus non introspiciam, quomodo in ipsis contineri queat? Possumne gloriari, me leges naturæ perfectè comprehendere? Nonne perspicuum est, me exiguum, earumdem numerum, idque admodum imperfectè cognoscere? Cur igitur definire præsumam, usquequò leges naturæ in manu Legislatoris se extendant? „

Antequam ulterius procedamus, paucis pro re natâ ad ea, quæ hactenus auctoris verbis fermè ad verbum e gallico in latinum translatis, ne sensum mutasse viderer, exposita sunt, respondere satius duxi, quam post longam orationem ideârum serie interrupta retrorsum reverti. Ac primò quidem illa auctoris verba: *Sapientia Æterna nullam cum tempore relationem habens, potuit extra tempus universitatem rerum producere;* nisi benigne interpretemur, æternitatem mundi indicare videntur. Deinde illa, Deum *cum tempore nullam relationem habere*, durè admodum sonant auribus philosophicis, nedum christianis. Sed his dissimulatis, quæ auctori fortasse imprudenter exciderunt; illa videamus: „ *Sapientiæ est, actui non multiplicare.* Quos actus Sapientia multiplicat per immediatam legum naturæ suspensionem, aut eversionem in casu singulari? actus ne voluntatis? At ab æterno Deus immutabilis et legum naturæ cursum, ac earumdem suspensionem in casibus ab ipso prævisis, ac præordinatis uno voluntatis actu decrevit, quin opus ipsi sit mechanicus operandi modus; quem Bonnetus excogitavit, nimis humanè divina componens. In-

Inde est altera ejusdem assumptio: *Credibile ne erit eamdem ad tempus suas operationes reservasse?* quas operationes intelligis? voluntatisne Dei? at hæ æternæ sunt, ipsemet, Deus qui ab immutabilitate sua habet, ut æternum sit omne, quod ad divinas suas operationes, quas *ad intra* dicunt scholæ, pertineat. Externas ne? enimverò si mundus complexio rerum est alternata sibi succedentium duratione coalescens, ut vel ipsis oculis haurimus; Sapientiam æternam ad tempus suas operationes reservasse fateamur, necesse est. Operationes ejusmodi *ad extra* in scholis vocantur.

Insistit adhuc prælaudatus scriptor: *Rectene deducam, miraculum non contineri intra limites legum naturæ ex eo, quod penitus non introspiciam, quomodo in ipsis contineri queat?* Minimè, inquam, recta esset ejusmodi consecutio: ceterum si miraculum perspicua est legum naturæ eversio, rectè deducam, in ipsis legibus earumdem eversionem contineri. = Ain' te *leges naturæ perfectè comprehendere?* = ajo enimverò, me perfectè comprehendere cognitarum legum transgressionem, quantumvis leges omnes ad amussim non calleam. Opus ne est omnia arcana naturæ intimè rimari, ut asseram, corpus quatuor dies jam mortuum, ac humorum dissolutione in perfectam corruptionem delapsum, contra leges naturæ ad vitam restitutum? *Possum* igitur tutò *definire, quousque leges naturæ in manu Legislatoris se extendant* hoc sensu; nimirum eas non extendi ad effectus, illas planissimè evertentes.

Verum nodum in scirpo quærit Bonnetus: en quomodo miraculorum œconomiam explicare tentat. „ Ex hactenus dictis per viam maximè philosophicam, ni fallor, incedens, duo legum naturæ systemata distingui posse deduco. Primum cursum ordinarium naturæ determinat; ex altero eventus irregulares, quos *miracula* nuncupo, originem ducunt. Sed quoniam leges naturæ in proprietatibus corporum essentialibus fundantur (*hoc falsum esse, ostensum est* art. 309), ac essentiis rerum variatis, easdem interire necesse est; supponere oportet, in secundo systemate nihil prorsus inveniri, quod proprietates essentiales corporum evertat: quod ad animas ipsis conjunctas extendendum pariter est. E sublimi philosophia didici, rerum essentias esse immutabiles, atque a Dei voluntate independentes. Qualitates variabiles tantum, seu modi vel corporum, vel animarum ad hoc systema pertinere queunt, ac peculiarem rerum conjunctionem efficere, ex quibus miracula ortum ducunt: ex. gr. nullo negotio percipio, *e quadam prædeterminatione physica oriri posse, densitatem* cujusdam corporis augeri, aut minui ultra fidem

potuisse in præfixo quodam tempore (*): *gravitatem* in corpus aliquod vires suas non exeruisse: materiam electricam, circum corpus mirè accumulatam, personam transfigurasse (**): motus vitales extinctos in corpore renasci, qui ipsum vitæ restituant: obstructiones peculiares, in organis visionis formatas, dissipari, luci aditum patefacientes &c. (***) „

Tribus annotationibus ad calcem paginæ adnexis hæc confirmare auctor noster intendit. Prima (*): *Hic, ut est manifestum, suppono gravitatem materiæ essentialem non esse, atque a causa physica occulta, corpora versus centrum commune propellente, pendere. Hujusmodi supposito arbitraria non est: proprietates essentiales numquam variant, quod in gravitate accidit &c. Potest igitur existere prædeterminatio quædam physica, actionem gravitatis in quoddam corpus in definito tempore respicient.* ☰ 2. (**) *Novimus coronas lucidas apparere circum corpora, quæ machinæ electricæ applicantur, quibusdam adhibitis cautionibus: novimus etiam complura ostenta ab electricitate petita, quæ nostro hoc sæculo patefacta sunt.* 3. ☰ (***) *In præsentiarum planè demonstratum est, magnum principium motuum vitalium ab irritabilitate provenire. Prædeterminatio quædam physica, quæ valdè in corpore mortuo irritabilitatem augeret, posset motus vitales denuò excitare, quibus ad vitam revocaretur. Possent etiam complura alia media physica prædeterminari, apta ad eumdem effectum producendum quæ mihi incognita sunt. Sufficit ea indicasse, quæ aliquo modo percipio.*

Pace tanti viri candidè dicam quæ sentio: miracula hactenus ab ipso descripta circulatorum magis ostenta redolere manuum dexteritate patrata, quam supremi naturæ Domini opus, potentiam suam, atque absolutum in res omnes dominium ostendentis. Et quidem leges naturæ minimè e corporum essentiis diffluere, Bonnetus ipse hic tacitè fatetur, gravitatem ab proprietatibus corporis relegans. Si ergo gravitas materiæ essentialis non est, cur soliditas, extensio, sequentis status ab antecedente determinatio, cet. ipsi essentialia erunt? Deinde irritabilitas illa, quam auctor ore rotundo plenè demonstratum asserit, esse vitalium motuum principium, estne aliud præter verbum significatione destitutum? Quid enim nomine *irritabilitatis* intelligunt hodierni ejus assertores? Forsitan est quoddam sensationum principium? Capacitas quædam excitandi motus vitales? Hoc sanè a metaphysicis derideretur. In corpus a quatuor diebus vita functum, ac plenè putrescens infunde, quotquot *irritantia* in natura cognoveris: excitabitur quidam, non inficior, mechanicus, vel automaticus motus; vitalis autem motus numquam

quam excitabitur. Lazari corpus, tamquam machina automatica, ab irritantibus movebitur; ad vitam tamen sensitivam, ac rationalem numquam restituetur. Nisi velis irritantia virtutem habere, animam, quæ corpus deseruerat, iterum revocandi. Sed ne longius abeam, quam brevitas hisce institutionibus præfixa patiatur, plura alia, quæ hic adjungi possem, missa facio, ut ad ulteriora procedam.

„ Quod si inter eventus, insistit Bonnetus, *miraculosos*, qui menti occurrent meæ, aliquis existeret, cujus *physicam* causam rimari non possem; caverem maximè, ne *prædeterminationem* his eventibus respondentem, velut impossibilem pronuntiarem, Novi me homuncionem esse, facultates ingenii exiguis limitibus circumscriptas habentem, ac naturam vix, aut ne vix quidem, mihi cognitam esse, nisi ab paucis ejusdem effectis. Insimul ad alios id genus eventus mentem converterem, in quibus causas *physicas præordinatas* introspicerem, capaces tales effectus operandi. „

„ Conanti mihi notiones excelsiores magni Artificis hujusce universi concipere, nihil sublimius, nihil dignius de adorando hoc Numine succurrit, quam ipsum omnia uno suæ voluntatis actu *præordinantem* cogitare: nec nisi unum miraculum, si exactè loqui velimus, existit, quod tum immensam vulgarium, tum minus extensam rerum extraordinariarum seriem complectitur. Magnum hoc atque omnibus limitatis mentibus incomprehensibile *miraculum*, miraculum est *creationis*. *Voluit*, & *facta sunt*. Res igitur *successivæ* tam *vulgares*, quam *extraordinariæ* præextiterunt ab initio ante earumdem *manifestationem*; omniaque in sæculis, ac in æternitate apparitura existunt in hac *prædeterminatione universali*, tempus ac æternitatem complectente. „

Magnifica quidem hæc verba sunt; rem tamen ab scriptore intentam neutiquam conficiunt. *Prædeterminatio* æterna, quam auctor inducit, nihil aliud est quam divinum decretum, quo supremus rerum Dominus præfixis a sua sapientia, voluntate, ac omnipotentia tempore, ac circumstantiis quidpiam ab ordine illo, quem pro ordinario rerum cursu præfixit, diversum aut contrarium evenire constituit. Nec ipsi opus est systema illud ab æterno præfinire, seu catenatam illam seriem ab exordio mundi initium ducens, quo ejusdem modi effectus præparentur, ac suo tempore edantur. Id enim imbecillitatem quamdam indigitat, ac materiam artifici resistentem, quam nisi certo modo industrioso minimè tractare queat. Quod quidem tam longè abest, ut de supremo Artifice magnificam, ac sublimem ideam mentibus repræsentet, ut potius ope-

rosum quemdam artificem sistat, materiæ indolem consultantem, ac artificii sui technas de industria occulentem, quod in admirationem attonitos spectatores abripiat. Quod si dixeris, sapientiam æternam maximè decere, nihil sine ratione sufficiente moliri; nec effectus sine causis producere, id lege continuitatis exigente: ajo, rationem hic sufficientissimam esse, ostensionem potentiæ, ac dominii sui in res omnes creatas, ita ut verè dictum sit, *omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra*. Deindè effectus nullus sine causa umquam dicitur, quando, ipsamet prima causa operante, editur: nec lex illa continuitatis ab Leibnitio imposita Deum obligare potest; cujus plures auctores, vel ipsas res creatas jugum excutere quandoque, affirmant. Præterquam quod lex illa liberrimè ab supremo Legislatore rebus creatis imposita, liberrimè ab Domino supremo violari potest.

Jam si magnum creationis miraculum consulamus, ab eo validum contra Bonnetum argumentum deducitur, quo ejus de miraculis systema evertitur. Quam enim rationem sufficientem adduceat, ut supremus Conditor res e nihilo deduceret? Ut ab illo potius momento tempus, ac res initium ducerent, quam ab alio? Ut tot nunc sæcula numeremus ab exordio rerum, nec plura, nec pauciora? Eritne *quia rerum sic vertitur ordo*, qui ab essentiis rerum exigatur? At hoc fatum in mundum inducit; libertatem Creatori adimit; creaturas necessarias statuit; philosophicas nedum christianas ideas prorsus evertit. Nulla alia hic ratio potest concipi, nisi voluntas Creatoris, sapientissimè simul, ac liberrimè sic decernentis. Lex igitur momenti creationis liberè a Deo imposita fuit: ergo & reliquæ leges, quæ ab intrinseca rerum essentia non emanant, liberè etiam dictatæ sunt, ac pro libero Creatoris arbitrio, ut suam potentiam, dominium, independentiam ostendat; ac peculiariter, mediis his ostensis, *hominibus loquatur*, ut phrasi Bonnetiana utar, ad *finem quemdam moralem directi*. Demum ne infinitus sim: si supremus rerum Arbiter magno illo creationis miraculo, ipsas sine ullo machinamento, aut catenatione, quæ existentiam determinaret, produxit; cur postea eisdem uti ad libitum non poterit ad dominium supremum, independentiam, libertatem, aliaque attributa hominibus ostentanda; quin ipsi opus sit, longam illam causarum seriem præparare, quæ e latebris erumpentes technicum illum artificem citius, quam potentem exhibeant? Candidè dicam, quod sentio: sunt quidam philosophi christiani timidiores paulò contra incredulorum convicia, qui verentur, ne ab atheistis irrideantur, tamquam parum philosophi, qui ad asylum confugiant divinitatis, ubi humana non suppetit causa; ac peripateticorum phi-

philosophandi morem facilem in rempublicam litterariam reducant, omnia occultis qualitatibus, ac Dei voluntati adscribentium. Maximus nostræ ætatis philosophus, alio more philosophatur, nihil veritus atheorum scommata.

„ Hic nisus, inquit, abeundi per rectam tangentem in curvilineis motibus, non ex ipsa rei in se consideratæ natura oritur, nec rei natura postulat motum rectilineum potius quam curvilineum cujuscumque curvæ; sed ea naturæ lex est arbitraria, quam, nihil obest, quominus pro arbitrio suo mutare potuerit ipse supremus Conditor, dum rerum seriem ordinaret. Status movendi per rectam lineam est unus e corporis statibus, ut sunt status movendi per curvam lineam quamcumque: unum ex hisce statibus præ alio eligere . . . supremi Conditoris fuit.. Non adest sufficiens ratio, cur corpus motu aliquo delatum ad dexteram potius deflectat, quam ad sinistram; at nec adest sufficiens, cur per rectam pergat, nec adest, cur ad centrum quodcumque accedat potius, quam recedat; nec adest, cur a curvæ cujusvis positione introrsum deflectat potius, quam extrorsum.

Hinc . . . materiam natura sua putamus prorsus inertem, nimirum prorsus indifferentem ad motum, & ad quietem ita, ut & determinatio perseverandi in eodem statu, & electio motus uniformis, ac rectilinei præ aliis, & reliquarum virium omnium impressio pendeant unicè a libera quadam voluntate supremi naturæ Opificis, qui ut materiam potuit pro liberrimo arbitrio suo creare, ut ipsi libuit, vel non creare, ita etiam potuerit eamdem creare cum his conditionibus, & proprietatibus, quas habet, vel cum oppositis prorsus, nulla iis illata vi, utcumque deindè physicè explicandæ sint proprietates ipsæ, quæ ab unico etiam ipsius nutu, & quadam purè extrinseca lege pendere possent: a quo proprietatum a D. O. M. pro libito suo inditarum numero ne impenetrabilitatem quidem, atque extensionem excludimus . . . Natura erit aggregatum earum omnium legum, quas pro arbitrio suo idem, dum orbem conderet, sanxit. Naturæ investigatio erit inquisitio in ejusdem leges ex phænomenis eruendas, ex quibus cognitis illud utilitatis profluit, ut hujus veluti reipublicæ cujusdam leges, quibus nos etiam subjecti sumus, habeamus perspectas. Nec hoc erit physicam paucis absolvere, pro singulorum causis reponendo: *Quia Deus voluit*; ut nec pro causis ipsis in aliorum sententia reponi debet: *Quia rerum natura exigit*. Ipsa illa Conditoris voluntas inquirenda est, & illæ ipsæ, quamquam liberæ leges, quibus hæc ordinatissima universi compages tam aptè inter se cohæret, & donec ipsi libuerit cohærebit. „ Boscovichius Disset. de æstu mar. Ex dictis spontè fluunt sequentes conclusiones.

317 Positio 1. *Miraculum possibile est, comprehenditque omnes effectus supernaturales art.* 313 *expositor*. Prob. Leges physicæ naturæ corporum extrinsecæ sunt, ac liberæ Conditoris voluntate statutæ: ergo ab ipso possut suspendi, pervertì, aut in contrarias mutari: hoc autem est quod miraculum vocamus (315). Antecedens est satis confirmatum ex hactenus dictis, quin ulla ratio adduci possit, probans, leges naturæ ab essentialibus rerum attributis diffluere: imò ex notionibus ipsis, quas a sensu communi habemus, planè deducimus, plerasque naturæ leges, corporibus quidem sapientissimè aptatas esse, minimè verò ab ipsis exigi hujusmodi rerum tenorem potius, quam alium.

318 Positio 2. *Solius omnipotentiæ est miracula patrare*. Prob. Miraculum est inversio legum naturæ, vel quoad *substantiam* ut ajunt, vel quoad *modum* (313): invertere autem leges, illius tantum est potentiæ, qui easdem liberè dictavit: ergo ad Deum spectat miracula edere. Quod si aliqua ostenta, quæ tantum modum legum exequendarum violant, ab aliquibus superioris naturæ agentibus effici posse concipimus; quum hi ab universæ naturæ Domino regantur, nihil in leges naturæ tentare possunt, aut earumdem cursum, vel tantillum immutare, nisi eodem jubente, ac ipsis velut instrumentis operante.

319 Corol. Ratio igitur sufficiens (13) operationis miraculosæ, extra naturam est. Si enim in natura contineretur, puta in serie causarum juxta naturæ leges effectus producentium; non amplius portentum dici, sed *phænomenon* mereretur; ut sunt auroræ boreales, coronæ lucidæ, montium translationes a terræ concussionibus, insulæ de novo in mari natæ, stellarum apparitiones, aut occultationes.

320 Objiciunt. Leges naturæ ab essentiis rerum emanant: ergo juxta nostram doctrinam (310) violari non possunt. *Prob. ant.* id quod lege naturæ sancitum est, ad amussim rerum essentiis quadrat: ergo oppositum debet cum ipsis pugnare. R. *neg. ant.*, & *dist. ant. probat.* quadrat ex intrinseca earumdem exigentia, *neg. ant.* ex quadam indifferentia ad status a Conditore supremo destinandos, *conc. ant.*

321 Insist. Leges morales ab intrinseca rerum moralitate dependent, ita ut aliæ ipsis dictari non potuerint, quam quæ hominem ad finem suum dirigunt: ergo idem dicendum de physicis. R. *conc. ant. neg. cons.* ratio dispar in utroque casu est; quia leges morales in perfectionibus divinis fundantur, e quibus originem ducunt, ita ut ipsemet Legislator supremus ab infinita sanctitate sua ipsis conformetur; secus dicendum de physicis, quæ prorsus

sus indifferentes sunt ad finem naturæ physicum, ac moralem. Nempe Deus his legibus, aut contrariis statutis perfectionum suarum ostensionem æquè obtinuisset; resque omnes mirabili harmonia concordasset, quin infinita ejus sapientia præsenti opificio exhausta remanserit; ut supponunt *optimi mundi* assertores, aut ex eorumdem principiis non invitè deducitur.

322 Schol. 1. Partitio illa in miracula quoad *substantiam*, & quoad *modum* (313), modum nostrum concipiendi tantum respicit, quatenus majorem virtutem, ac nescio quid mirabilius in excitatione quatriduani defuncti, ex. gr. quam in depulsione momentanea febris videre videmur. Re tamen philosophicè perpensa, quæcumque vel minima legum physicarum eversio infinitam omnipotentiæ vim requirit; cui perindè est, cursum planetæ suspendere, atque aquarum profluentium descensum impedire: mulierem febri correptam, aut profluvio sanguinis laborantem momento sanitati restituere; ac puellam, juvenem, aut hominem ad vitam revocare. Nam si miraculum est, vires naturæ prætergredi debet, ac brachium Omnipotentis exigere.

323 Schol. 2. Quæcumque mutatio miraculo inducta novum rerum ordinem inducit, nisi portento alio novo res ad pristinum statum restituantur. Eleganter Wolfius rem miraculo patratam exemplo horologii illustrat. Si ab externa manu, indicis motione retrò, aut ante agatur a situ, quem a motu suo automato obtinebat, planum est hujusmodi motionis rationem sufficientem extra horologium existere. Ea tamen inversio nihil contra horologii structuram intentat, alioquin ipsum dissolveret; neque permotio juxta indolem illius est, quod sibi relictum numquam e suo interno machinamento illam efficeret. Facta autem mutatione, novus ordo motuum in horologio sequatur, necesse est; neque pristinus ille, qui antea obtinebat, cursus, nisi retroactis denuò, aut anteactis rotis restitui valet: sed omnia novo ordine fluent, qui ex illa inflexione indicis spontè sequi debet. Sic in motione illa lunæ in plenilunio, ut in morte Servatoris nostri solis deliquium contingeret, planetæ nulla vis illata est per semicirculum ipsum agendo, ut subtus solem collocaretur; hic tamen motus, quamvis ejusdem naturæ minimè repugnaret, ab eadem non exigebatur, ac sibi relicta luna toto cælo distans a sole cursum eo die peregisset. Postquam verò soli conjuncta fuit, menstrui ejusdem cursus incipere ab eo die debuerunt, nisi nova naturæ inversione ad antiquum situm acta fuisset: quod evenisse, nemo est, qui sciat. Hoc unum asserere possumus, ni ita factum sit, omninò alium tenorem in natu-

turæ ordine ab eo die invaluisse. Hic autem supponimus tenebras illas a deliquio solis evenisse; quod tamen necessarium non erat ad miraculosam solis obscurationem obtinendam; quæ ab impedita actione lucis in terram provenire potuisse non diffitemur.

324 Schol. 3. Alii etiam sunt effectus naturales quidem, quippe naturæ leges haud pervertentes; extraordinaria tamen quadam providentia patrari indubium est. Translatio Prophetæ a Palæstina in Babiloniam, ut prandium Danieli submitteret ministerio Angeli facta, si facultates activas illius spiritus minimè superabat, eventus extraneus dici potest; miraculum, nisi per ampliationem, dici non potest. Eventus tamen hujusmodi, si quando ministerio Angelorum patrantur ad servorum Dei solatium, institutionem, commendationem cet. illius sunt ordinis, quem art. 314 exposuimus; quæ sicut, & alia de miraculis disquirenda, theologorum sparta sunt, quibus ea enucleanda relinquimus.

DISSERTATIO III.

PSYCHOLOGIA.

Psychologia, seu *Pneumatologia* animarum, seu spirituum tractationem indigitat; ψυχὴ enim Græcis anima, πνεῦμα spiritus sonat. Quamvis autem pleræque notiones hic exponendæ ad animam nostram referantur; quippe nostra maximè interest, nosmetipsos noscere, ut oraculum Apollinis monuisse fingebant veteres; id genus tamen sunt, quæ ad alias substantias spirituales haud invitè derivantur. Ea verò, quæ de animo nostro cognoscere possumus, vel ab effectis, quæ in nobismet observatione comperimus, deducuntur: aut ratiocinatione ab ipsa animæ natura ab effectibus satis cognita, legitima consecutionum serie concludimus, primam psychologiam *empiricam*, seu experimentalem vocant: *rationalem* alteram. Ab psychologia empirica initium hujusce tractationis duci debere, vel ex eo manifestum est, quod plerasque notiones, quas de spiritibus habemus, ab effectis tantum obtinere possumus; quum humano corpori indissolubili vinculo, dum vivimus, sociati, extra nos egredi, ac spirituum indolem contemplari nequeamus.

CAPUT PRIMUM.

De existentia animæ, ejusque facultatibus.

325 Quam verè dictum sit, nihil tam absurdum esse, quod in medium ab aliquo philosophorum prolatum non fuerit, e lib. 1. Tusc. QQ. habemus. „ Dicæarcus autem, inquit Tullius, in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit: duobus Pherecratem quemdam Phriotham senem, quem ait, a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omninò animum, & hoc esse nomen totum inane, frustraque animantes, & animantia appellari; neque in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omni-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA "RAUL RANGEL FRIAS"

turæ ordine ab eo die invaluisse. Hic autem supponimus tenebras illas a deliquio solis evenisse; quod tamen necessarium non erat ad miraculosam solis obscurationem obtinendam; quæ ab impedita actione lucis in terram provenire potuisse non diffitemur.

324 Schol. 3. Alii etiam sunt effectus naturales quidem, quippe naturæ leges haud pervertentes; extraordinaria tamen quadam providentia patrari indubium est. Translatio Prophetæ a Palæstina in Babiloniam, ut prandium Danieli submitteret ministerio Angeli facta, si facultates activas illius spiritus minimè superabat, eventus extraneus dici potest; miraculum, nisi per ampliationem, dici non potest. Eventus tamen hujusmodi, si quando ministerio Angelorum patrantur ad servorum Dei solatium, institutionem, commendationem cet. illius sunt ordinis, quem art. 314 exposuimus; quæ sicut, & alia de miraculis disquirenda, theologorum sparta sunt, quibus ea enucleanda relinquimus.

DISSERTATIO III.

PSYCHOLOGIA.

Psychologia, seu *Pneumatologia* animarum, seu spirituum tractationem indigitat; ψυχὴ enim Græcis anima, πνεῦμα spiritus sonat. Quamvis autem pleræque notiones hic exponendæ ad animam nostram referantur; quippe nostra maximè interest, nosmetipsos noscere, ut oraculum Apollinis monuisse fingebant veteres; id genus tamen sunt, quæ ad alias substantias spirituales haud invitè derivantur. Ea verò, quæ de animo nostro cognoscere possumus, vel ab effectis, quæ in nobismet observatione comperimus, deducuntur: aut ratiocinatione ab ipsa animæ natura ab effectibus satis cognita, legitima consecutionum serie concludimus, primam psychologiam *empiricam*, seu experimentalem vocant: *rationalem* alteram. Ab psychologia empirica initium hujusce tractationis duci debere, vel ex eo manifestum est, quod plerasque notiones, quas de spiritibus habemus, ab effectis tantum obtinere possumus; quum humano corpori indissolubili vinculo, dum vivimus, sociati, extra nos egredi, ac spirituum indolem contemplari nequeamus.

CAPUT PRIMUM.

De existentia animæ, ejusque facultatibus.

325 Quam verè dictum sit, nihil tam absurdum esse, quod in medium ab aliquo philosophorum prolatum non fuerit, e lib. 1. Tusc. QQ. habemus. „ Dicæarcus autem, inquit Tullius, in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit: duobus Pherecratem quemdam Phriotham senem, quem ait, a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omninò animum, & hoc esse nomen totum inane, frustraque animantes, & animantia appellari; neque in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omni-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA "RAUL RANGEL FRIAS"

omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse, quippe quæ nulla sit, nec sit quidquam, nisi corpus unum, & simplex ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & sentiat „. Pugnantia hic Dicæarcus manifestè loquitur. Nam ipsamet temperatio naturæ, qua corpus viget, ac sentit, etiamsi nulla alia suppeterent, quibus hæc falsa demonstrarentur, non esse *nomen inane animum*, atque *animam* perspicuè ostendit, nisi de verbis altercari placuerit. Hoc enim nomine apud ipsos materialistas id intelligitur, quod principium est, quo corpus viget, ac sentit. Hinc optime Augustinus lib. 10. de Trinit. c. 20. ex dubio existentiæ animæ luculenter ipsius existentiam deducit. „ Si quis dubitat, vivit; si dubitat, unde dubitat meminit; si dubitat, dubitare se intelligit: si dubitat; certus esse vult: si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire: si dubitat, judicat se non temerè consentire oportere. „ Adderem ego, si negat, ex ipsa negatione & vivere, & meminisse, & intelligere, & cogitare, & scire manifestè concluditur: hoc autem talium operationum principium est, quod *animam* vocamus. Neque hic ejus naturam inquirimus, de existentia tantum disputamus: ac rectè concludere cum Cartesio possumus: *ego cogito: ergo sum*. Quod in me cogitat, anima est.

326 Discretio hæc, sive tactus interior, quo nos & agere, & res alias ab aliis, & a nobis distingui sentimus, *conscientia* dicitur; consciique sumus illorum, a quibus internè aliquo modo afficimur, eorumque discrimen inter se, aut a nobis internè quasi tangimus, & discernimus. Hoc melius quisque in se sentit, quam verbis explicetur. *Facultas* enim *sentiendi* cuique per sensum intimum notissima est.

327 Corol. Quum intima conscientia sentimus, & nos internè agere, atque a rebus, qui nosmetipsi non sunt, affici; & principii in nobis agentis, & alterius principii in nos agentis conscientiam habemus. Conscientia igitur principii in nobis agentis perspicua est animi in nobis existentis demonstratio, de qua dubitare solum per summam insaniam quis potest? e qua nec tribus anticyris sanabitur.

328 Schol. Nam idem dicendum de principiorum in nos agentium existentia, aliqui existimant. Posset enim fieri, ut affectio intima ab ipsa animæ modificatione oriretur, quin certi esse queamus, aliud præter animam nostram existere. Verum æquè mihi evidens est ab interna conscientia, dum ab aliis rebus afficior, a me ipse non affici, ac sit, me affectionem illam sentire. Quocirca alicujus saltem a me distincti, atque in me agentis principii, conscientia admonitio perspicua demonstratio esse videtur: quidquid sit de indole principii illius agentis, quam illa affectio non demonstrat quidem certè.

329 Conscientia in nobis perfici non potest, nisi adsit quædam repræsentatio illius rei, cujus conscientiam habemus; quæ quidem apparitio plerumque per imaginem aliquam fit: nonnumquam etiam vellicationes quædam sunt, sive affectiones omni figura destitutæ. Actio, qua hujusmodi repræsentationes peraguntur, *cognitio*; potentia has repræsentationes perficiendi, *facultas cognoscitiva* nuncupatur.

330 In potentia cognoscente duas quasi facultates distinctas intelligimus, quas *superiorem*, ac *inferiorem* vocare solent: per inferiorem homo cum belluis convenit, quibus cognitionem aliquam inesse experientia testatur, imperfectam illam quidem & confusam, nec nisi ad objecta materialia se extendentem. Ab superiore, seu rationali facultate anima ideas puras, distinctas, ac rerum etiam a sensibus remotarum perceptionem habet. Porrò omnia, quæ objectum cognitionis esse possunt, aut sensibilia, ac individua sunt, aut abstracta, seu universalia (Log. 16, 37). Sensibilia aut præsentia sunt, aut aliquando fuerunt: illa per sensus, hæc per *imaginationem* percipiuntur. Ceterum res abstractas cognoscere, *intellectus*, ac *rationis* opus est.

331 Corol. Cognitiones, quæ a sensibus, imaginatione, aut memoria peraguntur, communes brutis animantibus sunt, atque ad inferiorem cognoscendi facultatem attinent: parumque ab illis distaremus, nisi illa quadam divina vi a sensibus remota cognoscendi prædíti essemus.

332 Experientia itidem, ac intima conscientia (327) sentimus, a rerum cognitione in nobis excitari motum quemdam internum, quo vel eas habere cupimus, aut a nobis abesse. Id ipsum ab effectis in belluis internè accidere, ex eo, quod in nobis experimur, luculenter deducimus. Nam easdem, quibusdam objectis aliquo sensu perceptis, aut accedere, aut refugere conspicimus. Hos animi motus, quibus aliquid appetimus, aut aversamur, *voluntatem* nuncupari, lippis, ac tonsoribus notum est. In belluis hujusmodi permotiones *appetitus* vocantur. Atque hæc quidem, ut facultatum animæ generalem notionem habeamus, dicta sint: verum easdem singillatim oportet enucleare.

CAPUT SECUNDUM.

De sentiendi facultate.

333 *Facultatis sensitivæ* notionem jam dedimus Logicæ nostræ art. 11. Nimirum potentia illa, quæ in anima nostra

stra res extra se existentes, ac eam quodammodò afficientes, percipit, facultas sentiendi dicitur. Quum verò res extra nos existentes afficere animam non queant, nisi mediantibus externis corporis sensibus, rectè hi veluti nuncii considerari possunt, animæ referentes, quid extra ipsam in rerum natura existat, quibusque modificationibus, & qualitatibus, saltem relatè ad ipsam, corpora extranea donata sint.

334 Quinque sensibus nos instructos esse, a pueris discimus; visu nempe, auditu, gustu, odoratu, tactuque res omnes percipimus, quæ extra nos sunt. Nihil ad animam nostram potest accedere, quin ab his, veluti janitoribus, introducatur: unde proverbium philosophicum invaluit: *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. At quomodo hujusmodi notitiæ ad animam perveniunt? en paucis sensationum œconomiam.

335 E cerebri substantia, tamquam e radice, tenuissimæ fibrillæ nascuntur, quæ in unum collectæ per medullam spinalem e cerebro descendunt, atque in diversos ramusculos discriminatæ, per totum deindè corpus effunduntur. Arborem quamdam inversam diceres, cujus rami deorsum protensi ad spinam dorsi tamquam ad truncum referuntur, qui ascendens per collum ad cerebrum radices figit; e quo nutrimentum, succos, vitam derivat. Hujusmodi fibrillæ descendentes e cerebro, & subtiliores continenter factæ, ad extimam usque corporis superficiem deveniunt: ita ut corpus animale rete quoddam e nervis contextum jurè possis appellare. Sensationum instrumenta hæc sunt, quibus anima aliorum corporum præsentiam, actiones, modificationes, qualitates percipit; aut etiam ab illis afficitur, prout in corpus ab ipsa informatum agunt. Apud omnes tam medicos, quam philosophos convenit, nervos omnes per corpus diffusos instrumentum esse, quibus anima sensationes recipit, aut motus in corpore peragit. Innumeris enim experimentis institutis in nervis, ab eis benè valentibus functiones sentiendi ritè perfici; iisdem impeditis, aut malè valentibus respondentes operationes suspendi, destrui, aut perturbari, compertum est.

336 Corol. 1. Extima igitur nervi commotio per corpus usque ad cerebrum propagata, ratio sufficiens est sensationis in anima excitatæ: qua commotione, ac propagatione deficiente, sensatio nulla respondere potest. En rationem tot motuum corporibus impressorum, quin anima ab his afficiatur, ut in paralysi, apoplexi, aliisque infirmitatibus nervos aut obretientibus, aut ad munera sua ritè obeunda temperie debita destituentibus.

337 Corol. 2. Duplex commotio in quâlibet animæ sensatione distinguitur: altera externa, qua nervi concutiuntur, in ipsisque motus excitatur: interna altera, per nervos ad cerebrum usque transfusa, atque externæ respondens, qua anima concutitur, ac ad sentiendum determinatur. Sunt, qui primam *sensionem*, alteram *sensationem* vocent (Log. 11): alii sensationis *externæ*, ac *internæ* nota distinguunt. Nos promiscuè utrumque nomen usurpabimus, ubi distinguere alteram ab altera non oporteat, ad animæ excitationem indicandam. Hinc aptè nervi illi sensionem transmittentes *organum sensus* vocantur.

338 Corol. 3. Planum est, sensionem sine sensatione dari, minimè verò *sensationem* sine *sensione*, saltem præterita, existere posse. Ratio est manifesta; nam quandoque accidit, nos externè concuti, quin ulla sensatio in anima respondeat. Hoc videre licet tum in dormientibus, quum etiam in nobis vigilantibus, qui ab stellarum radiis percellimur diurno tempore, quin sensatio ulla in anima excitetur, ab vehementiore radiorum solis vibratione impedita, certè adeò extenuata, ut nullum effectum sensibile producat.

339 Quemadmodum sensationem in *externam*, ac *internam* tribuunt, sic organum sensus in externum, & internum partiuntur, cui divisioni altera sensus *interni*, ac *externi* respondet. Organa sensuum *externa* illa sunt, quæ in extima corporis superficie resident: *interna* per corpus ad cerebrum distenduntur. Sic etiam *sensus externus* illa facultas dicitur, quæ ope externorum organorum exercetur: cui altera respondet *sensus interni*, vi cujus ideas ab externo sensu transmissas sensu intimo percipiuntur; conscientiam etiam sensum intimum licet appellare (326). Hæc tantum claritatis gratia inventa sunt: plerumque enim sensus nomine veniunt tam sensio, quam organum sensus, ac facultas objecta percipiendi.

340 *Sensorium commune* illam partem cerebri vocant, in quam confluunt organorum sensus, quæ fibræ sunt per totum corpus diffusæ; eo quod ibi sensationum omnium sedes sit, centrumque commune. Hujusmodi motiones in cerebro agitatæ *ideæ materiales* apud recentiores audiunt: peripatetici *species impressas* appellarunt: quod nomen Makus sensioni tribuit, num rectè? nihil moror. Peripatetici tamen rem melius expressisse videntur: sensio enim, seu organi permotio, quandoque sine specie impressa (338) accidere potest. Nam ut Boheravius auctor est „ quando duæ unciæ aquæ in ventriculos cerebri effunduntur, homo nihil quidquam sentit neque fragorem maximi tormenti, neque lucem vividissimam, neque penetrantissimum ab ustione dolorem „ *Præt. tom.* 4. sed nomina, seu *signa* ad *placitum* cuique licet imponere pro lubitu (Log. 42).

341 Sensationum generales regulæ hæ sunt. 1ma. Ut sen-

sensatio ritè peragi queat, in organo, ac sensorio communi, recta dispositio adesse debet, ac justa temperatio, quæ nec nimium ab permotionibus excitari, nec lentè admodum transfundi in animam patiatur. Id enim experimento quotidiano compertum est, maximè in fœminis hystericis, vehementiorem commotionem sensationes pervertere, ac mentem turbare: tardiores in stupidis nullum fermè sensum excitare. 2da. Etiam organis integris, ac perfectè conformatis, congrua permotio in organo fieri debet, ut hoc munera sua ritè expleat: si enim justo major aut minor sit, ea quæ in præcedenti regula inconvenientia indicata sunt, sequantur, necesse est. Sic etiam minima animalcula acies oculorum effugiunt: nimius fragor minorem retundit: os aceto perfusum, aut aloes amaritudine exacerbatum sapores non percipit. 3tia. Sensus quivis organa peculiaria habet, quibus exercetur, nec ab aliorum organorum permotionibus ad propria munia excitatur: nec enim auribus sapores, oculis sonos, naribus colorata percipimus. 4ta Organis commotis, haudquaquam integrum nobis est, sensationes in anima impedire, mitigare, extinguere, aut in alias ipermutare. Hoc cuivis experientia propria liquet, fortasse magis quam vellet. Demum ne minutiora alia persequamur, eodemmet agente, atque intensitate eadem motionis existente, quandoque major, quandoque minor sensatio excitatur, non solum in diversis patientibus, verum in eodem etiam subjecto pro diversa organorum dispositione aliter temperato. Quotidiana in nobis exempla capere possumus, maximè si bonæ, ac infirmæ valetudinis status componamus.

342 Ex dictis sequentia Corollaria non invitè descendunt. 1 In quavis sensatione quatuor necessariò adesse debent; agens organum percellens, organi commotio, commotionis transmissio ad cerebrum, ac animæ conscientia id percipientis. 2 Dum commotio eadem est, sensatio eadem existere debet: ac proindè duo objecta similem motionem excitantia ab anima confundi debent, ac pro uno eodemque accipi. 3 Quo organa mobiliora sunt, eo facilius sensationes excitari: ab hisque delicatissimas quasdam sensationes oriri, quæ penè fidem superant, ut in musicis compertum est. 4 Ope instrumentorum impressionem adjuvantium majorem facultatem, sive ut ajunt, *sphæram* sensus acquirere; eo quod objecta ad organa pervellenda aptius applicentur. Demum errorem a sensibus nullum in animam induci; ipsi enim ea exactissimè referunt juxta leges a natura præscriptas: occasio tamen plerumque sunt deceptionis animæ præcipitanter judicium ferentis ob sensationum similitudines.

343 Corollarium generale ex hactenus expositis liceat de-

deducere, quod nescio an omnibus probandum sit: nempe facultatem sentiendi ab facultate cognoscendi numquam sejunctam esse posse. Adderem etiam revera facultatem sentiendi nihil aliud esse, quam ipsammet cognoscendi facultatem, prout ad impressiones in organa factas refertur, aut sui mutationem status respiciunt. Sed hæc meditatione magis quisque sibi persuadebit, quam longa rationum serie, si ad sequentia animadvertat. 1 Motus in corporibus automaticis excitati, puta in horologio, machinis &c. nullam sensationem efficere; quia facultate cognoscendi destituuntur; quæ si adjungeretur corpori illi technico, ita ut conscientia illorum motuum polleret, sensibile diceretur. 2 Sensibilitas, si ejus metaphysica natura introspiciatur, nihil aliud est, quam capacitas percipiendi mutationes, quæ in ente sentiente sunt; ab his enim mutationibus, quæ sentientem determinant ad percipiendum sui status mutationem, nulla oritur sensatio. 3 Essentialis differentia inter materiam, ac spiritum hæc est; ut hic mutationum suarum interna conscientia polleat, altera non item. Quod si & materia sui status mutationum perceptione donari posset, dubium lokianum de materiæ cogitantis possibilitate, ac proinde in spiritum conversæ, in philosophia triumpharet, ac revera materiam sentientem possibilem esse concluderet. Vide, quæ de anima brutorum infra dicemus.

Juvat hic Tullium de his disserentem inducere: „ Nos enim, inquit, ne nunc quidem oculis cernimus ea, quæ videmus; neque enim est ullus sensu in corpore, sed ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta, ac patefacta viderunt, via quasi quædam sunt ad oculus, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ: itaque sæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis, atque integris, & oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus: ut facile intelligi possit animum & videre, & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen nihil sentire queat mens, nisi id agat, & adsit. Quid quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quæ numquam quinque nunciis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, & is omnium judex solus esset. Atque ea profectò tum multò puriora, ac dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, animus pervenerit: nam nunc quidem quamquam foramina illa, quæ patent ad animam a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretis corporibus sunt intercepta quodammodo: quum autem nihil erit præter animum; nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit. Tusc. QQ. lib. 1, c. 20. Legesis etiam

lib. 2, de Nat. Deor. *Sensus autem interpretes, ac nuntii rerum &c.* quæ brevitati consulentes, omittimus: in his tamen plura, quibus dicta confirmentur, reperies mirabili eloquentia depicta.

CAPUT TERTIUM.

De Animæ Sede.

344 Animam in corpore tamquam in propria regia commorari, etiamsi ætatum omnium consensus non existeret, intima cuique de hac veritate conscientia persuaderet. „ Dicæarchum verò cum Aristoxeno, æquali, & condiscipulo suo, doctos sane homines omittamus, quorum alter ne condoluisse quidem umquam videtur, qui animum se habere non sentiat: alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad hæc transferre conetur. Harmoniam autem ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures: membrorum verò situs, & figura corporis vacans anima, quam possit efficere harmoniam, non video „ Tusc. lib. 1, c. 18. Ad philosophos saniores accedamus, qui animum habere contentes, fortassis de animæ sede melius ratiocinentur.

345 Veteres philosophi non omnes animam toto diffusam corpore existimarunt. Hoc ex lib. 1 Tusc. QQ. cap. 9 perspicuum est, ubi Tullius philosophorum opiniones de animi natura recenset. Imò Aristoteles lib. de motu anim. c. 6 non toto corpore existentem innuere videtur. Peripateticorum recentium hæc opinio fuit, ad tempora nostra propagata. Ceterum amplius id sustineri non posse, ex his, quæ art. 340 exposuimus, perspicuum est. Si enim anima toto corpore, veluti aqua in spongia contineretur, nulla ratio reddi posset, cur, injecta aqua in cerebrum, sensationes impediantur in reliquis corporis membris. Videmus etiam, ligato strictè membro aliquo corporis, in inferiore ejus parte sensationem impediri. Neque concipi potest, quomodo anima, recisis partibus corporis, retrocedat, ac veluti contrahatur, quod materialitatis speciem quamdam præseferre videtur. Demum præsentia illa toti corpori coexstensa sine divisibilitate, immensitatis nescio quid continet, quod ad creaturas transferre nefas est.

346 Toto cerebro contineri animam alii excogitarunt, ex his, quæ præcedente capite de sensationibus disseruimus, argumentum deducentes. Verum post multas monstrorum inspectiones, in quibus cerebrum destructum; ægrotantium, qui partem aliquam exesam, aut corruptam habuisse, post disectionem inventi sunt; institutis etiam in belluis experimentis, partem aliquam resecando, integra vita manente; ab hac opinione cessatum est, atque ad peculiares cerebri partes sedes animæ translata. Buffonius in *diaphragmate cerebri*, sive membrana ipsum involvente: Cartesius in *glandula pineali:* Peyronus in *corpore calloso*, sive substantia candente, quæ inter duo hemisphæria cerebri continetur: in cujusque *nervi origine* Burdenavius animæ sedem sitam esse dixerunt. Verum de singulis his partibus eadem recurrit difficultas, quæ de toto cerebro modò exposita est: inventi enim sunt homines, quorum cerebrum his partibus destitutum erat, nec tamen a muneribus animi peragendis cessaverant.

347 Schol. Paucis hic cerebri descriptionem dabimus, quam si quis fusiore calamo descriptam velit, apud anatomicos præsertim recentes Willisium, Winslovium &c. inveniet. Ut communia integumenta corporis *cutem, cuticulam, adipem, carnosumque panniculum* taceam, quibus omnia corporis membra conteguntur; cerebrum intra cranium, veluti capsulam osseam, solidamque contineri, omnibus notum est. Ejus substantia massa quædam est glandulosa, quamdam rotunditatis speciem, inæqualiter tamen affectans, ad exteriorem occipitis formam accedentem. Interiore, ac exteriore membrana circumvestitur, quas *meninges* vocant. Externa illa ab majore duritie *dura mater*, interna verò ab subtiliore, ac molliore materia *pia mater* audit: matris nomen ab eo, quod internam substantiam quasi foveant, ac tutentur, sibi demeruerunt. Cerebrum deindè, si hoc nomine totam massam intelligas, in tres partes dividit Pascolus; *cerebrum* proprie dictum, *cerebellum* ac *medullam oblongam*: *cerebrum* est pars in sincipite collocata: quæ occiput tenet, *cerebellum*; ab hocque *medulla oblonga* descendit. Cerebrum in duo quasi hemisphæria dividitur, quæ a duplicatura *duræ matris* versus internam partem proveniunt, ac in dexterum ac sinistrum distinguunt. Ejusmodi separationem a quadam cum falce messoria similitudine *falx*, *septum* etiam *lucidum* audire consuevit. Intra cerebrum continetur substantia quædam cinerei coloris, a quo *cineream* vocant; intraque ipsam aliam album induens colorem, quæ solidior est, ideòque *corpus callosum*, aut *medulla cerebri* est appellata. Inibi etiam *glandula pinealis* seu conarium, quam nobilem Cartesius reddidit ab animæ sede ibi collocata. E cerebro proximè decem nervorum paria originem ducunt, alia triginta e medulla spinali derivantur, hinc quadraginta omninò nervorum conjugationes, seu *paria* in corpore humano reperiri, apud anatomicos in confesso est. Originem verò ab cerebro trahere, vel per immediatam derivationem, vel per remotiorem spinalis medullæ communicationem ex

hactenus dictis perspicuè deducitur. Nervorum munia his versibus continentur:

Olfaciunt primi, videt altera copula; motum
Tertia fert oculis: quarta est pathetica: quinta
Olfacit, & gustat, faciemque & viscera jungit
Communi affectu: has imitatur sexta, oculisque
Affectus animi prodit, ramumque ministrat
Intercostalem, sed septima fertur ad aures,
Faucesque & linguam, perque os dispergitur omne.
Octava invadit variis præcordia fibris.
Par nonum & decimum cum vertebralibus, omnes
Quos ultro expetimus, peragunt in corpore motus.

348 Corol. 1. Falsa est deductio, quam Chambersius in suo Lexico trahit ex quibusdam monstris sine cerebro repertis, aliisque experimentis in canibus, columbis &c. quæ sine cerebro, aut capite etiam, si diis placet, reciso vixerunt: nimirum cerebrum ad vitam non videri necessarium; quod & animæ sedem in eo haud sitam esse probaret. Nam & monstra illa, ut ipse citans Prestonium, ac Verneyum ait, aliquam partem cerebri, aut saltem medullæ dorsalis habuisse compertum est, in qua per aliquod temporis spatium anima functiones vitales peregisse potuit: quod ad alios eventus similes in animalibus capite mulctatis, si vera sunt quæ narrantur, extendi potest. Nec quæ in probationem adducit vitæ superstitis, negotium facesset neganti, ea supervixisse: ait enim ex insufflatione pulmonum compertum fuisse, adhuc vitales motus in cane, cerebro extracto, permansisse. Automaticus hic motus ab aere excitari potuit in machina illa animali, quæ adhuc a calente corpore, ac spiritibus animalibus commotis perageretur. Quæ de insectis in medium adducit laudatus auctor, minimè rem conficiunt, quum ex observationibus Reaumurii in historia insectorum, conformatio organica eorumdem prorsus ab reliquorum animalium diversa sit.

349 Corol. 2. Ceterum verisimilius est, animam in cerebro sitam esse: qua tamen ipsius parte, prorsus incertum. Sedem habere variantem ex his, quæ Chambersius retulit *art. ant.* fortassè deduci posset; ita ut in illis, qui aliquo cerebri vitio laborent, statio diversa sit pro infirmitatis, aut impedimenti natura. Quid si in cerebro collocata, mobilis semper, ac numquam eidem puncto adhærens, omnia recurreret nervorum capita, prout necessitas suaderet? Mihi quidem hoc perceptu difficile non est, maximè si memoriæ phænomena inspiciamus, quæ explicatus

tus perdifficiles in aliis hypothesibus habent; in hac autem minoribus urgentur difficultatibus. Verum de his postea, ubi de imaginatione recurret sermo.

350 Nondum compertum est, quo pacto sensationes excitentur, ac motus in corpore perficiantur. Alii a nervorum oscillationibus ab extima parte ad cerebrum usque propagatis sensationes mentales perfici crediderunt: alii a *fluido nerveo*, seu *spiritibus animalibus*, corpusculis nimirum tenuissimis ex puriore sanguinis portione secretis, tam sensationes, quam motus præcipui excitari arbitrantur. Utrumque adhibent alii, ut tam a motu fibrarum oscillatorio, quam a spiritibus vi motu transmissis proveniant. Secretionem hujusmodi *spirituum* in cerebro perfici, passim apud anatomicos, ac physicos receptum invenies, mirabili naturæ auctoris machinamento, ut ad munia exequenda præsto sint, id disponentis.

351 Verum quod summam omnibus sapientissimi Artificis reverentiam, commendationem, & cultum ingenerare debuerat; materialistis ansam dedit, ipsum e cordibus hominum extirpandi, animam in cerebrum, ac *spiritus animales* transformantibus, ut postea videbimus. Id unum hic recensere sufficiat, ab auctore libri, cui *systema naturæ* titulo est, a magnitudine cerebri animæ facultates metiri, quasi cerebrum ipsum *homini pro sale sit, ne putresceat*. Nimirum, anima materiali constituta, sibi plaudunt:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
Virg. Geor. 2. v. 490.

Verum nihil proficiunt; ad lumen enim puræ veritatis hujusmodi commenta evanescunt. Nam vel magnitudo cerebri absoluta ad facultates animi dimetiendas consideratur; vel relativa, habito ad molem corporis respectu. Si primum dixeris, elephantes, qui dimidio majus hominis cerebrum habent, in dupla, aut sesquialtera proportione ingeniosiores erunt, ac *serquiulysses* merito dici poterunt: quod in maximis aliis belluis, cujus cerebrum introspicere non licuit, etiam verum erit. Quid si ad relativam proportionem recurras? magisne ingenio in utero matris Neutonum valuisse dices, quam quum mirabiles illas progressiones invenlebat? Et quidem habita proportione, majore tum cerebro pollebat, quam dum opera sua conscriberet. Sed non juvat ejusmodi ineptiis tempus conterere.

CAPUT QUARTUM.

De imaginandi facultate.

§. I.

De Imaginatione.

352 Quotidiano experimento compertum habemus, rerum quarum aliquando sensibus hausimus notionem, sensationes in nobis excitari; vel nobis id imperantibus, vel etiam invitis, vel imprudentibus. Facultas hæc res præteritas animo sistendi *imaginatio*, *phantasia*, *potentia*, aut *facultas imaginativa* dici solet. Imagines illæ, quæ animo sistuntur, *phantasmata* nuncupantur.

353 Ceterum imaginationem in *activam*, ac *passivam* distribuunt: illa est facultas excitandi sensationes jam perceptas, altera recipiendi impressiones in sensus factas. Nullum igitur objectum, quod sensibus perceptum non sit, ad imaginationem pertinere potest. Inest tamen imaginationi quædam facultas *componendi*, sive *fingendi* novas imagines ex sensationibus jam ante perceptis. Sic Angelos alatos nobis repræsentamus, humano capiti cervicem equinam jungimus, atque alia benè multa, quæ pictorum, ac poetarum provincia sunt.

354 Schol. Non negamus, quandoque fibras sensorias ab aliqua interna causa ita permoveri possi, ut sensationem quamdam excitent, quæ non sit alicujus præhabitæ redintegratio, sed nova quædam idea in anima respondeat, ab aliis omninò diversa; in febribus præsertim acutis id contingere posse, Boerhavio assentimur. Hæc tamen solum probant, interne nos percieri sine causa extrinsecus agente posse; minimè verò sine organi commotione imaginationem excitari.

355 Ideæ, quarum una recurrente, altera etiam animo sistitur, *consociatæ* dicuntur. Passim evenire nobis experimur, ab objectis aut visis, aut imaginationi iterum præsentatis, aliarum rerum insimul ideas recuperare. Sic a vestibus alicujus conspectis personæ imago; ex locorum recordatione rerum inibi gestarum memoria animo obversatur. Plerumque similitudo inter objecta satis est ad recordationem; ut dum hominem amico similem intueor, hujus reminiscor: quod ad belluas extendendum esse familiari exemplo canis, ab ostentato baculo fugientis ob verbera olim inflicta, perspicuum fit. Ab idearum consociatione *memoria artificialis*, cujus meminimus Logicæ art. 307, prorsus dependet. Vulgare sunt exemplum nodi in vestibus facti, aut chartæ frustulum in thecam pulveris tabaci injectum, ut postea recordemur ejus, cujus interest memoriam refricari.

356 Corol. 1. Idearum consociatio aliquam rationem sufficientem habere debet, a qua desumatur phantasmatum regressio. Hæc vel e similitudine, qua sensus affectus fuit ab utroque objecto, vel e tempore, in quo utraque sensus modificatio contigit, repeti debet. Nonnumquam tamen evenire solet, ut neque a similitudine, nec a tempore consociare ideas valeamus; aut jam ante consociatarum unius ab alia recordationem excitemus; aut demum refricationem impediamus; eas tamen excitatas sopire, maximè alias vividiores imagines concitando, sine magistro didicimus.

357 Magna inter imaginationis phantasmata disimilitudo intercedit: alia enim vividiora, remissiora alia, clara, diuturna, languida, fugacia, obscura plurima sunt. Ab hac diversitate repetenda est facilitas quædam, aut difficultas, quam nobis inesse experimur phantasmata excitandi. Si imagines recentes sint, attentius res consideratæ, aut diuturno tempore conspectæ, facillimè imagines recurrunt, atque ad nostrum imperium statim animo se sistunt: quæ si per transennam, perfunctoriè, vel semel tantum viderimus; aut numquam, aut maxima difficultate illarum recordamur. Id maximè in rebus domesticis experimur, quas a pueris ob oculos semper habuimus, puta parentes, fratres, domesticos, domum, supellectilem, quorum facillimè imagines restauramus:

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

quæ verò iter agentes, obiter ut fit, vidimus, statim obliterantur.

358 Corol. 1. Dum imaginatio phantasmata reproducit, idea illa *materialis* (340), quæ cerebro vi sensationis impressa fuit, suscitetur, oportet. Nulla enim alia ratio sufficiens inveniri potest repetitæ hujus sensationis, nisi organi iterata commotio: aliter, integrum nobis foret retum omnium aliàs sensibus perceptarum, imò & non perceptarum, imagines refingere; quod experientiæ contrarium est, quin opus sit rem exemplis, aut rationibus confirmare.

359 Corol. 2. Ex præc. Corol. eruitur ratio explicandi, cur cerebro læso, aut torpente, imagines restaurari non possint, & quare rerum præteritarum memoria obliteretur. Referente Thucydide, quidam e peste Peloponnesiaca convalescentes obliti sui fuerunt ita, ut alio in mundo de-

degere viderentur. Alia exempla affert Plinius Hist. nat. lib. 7, cap. 24. *Ictus lapide oblitus est litteras tantum; ex prælto tecto lapsus, matris, & affinium, propinquorumque cepit oblivionem; alius ægrotus servorum tantum.* Quemdam novi postquam e febri periculosa convalescere cœpisset, crepundiis, ac cupediis velut puerum maximè delectatum, eosque, a quibus hæc requirebat, alioquin ipsi familiares, haud internoscentem; quorum postea, sibi redditus, consciusque factus a domesticis, tanta eum cepit verecundia, ut illorum conspectum per dies aliquot vitaret. Aliqua videlicet in cerebro respondet commotio, aut dispositio actioni animæ suas ideas restauranti, quæ quidem quam simillima sit, oportet, illi, quam objectum impressit, dum sensationem in cerebrum transmisit: quæ tamen a præterita illa omninò dependeat ita quidem ut ab extrinsecis, aut etiam intrinsecus agentibus causis in posterum queat impediri, aut destrui; hocque in eventibus modo narratis contigisse, dicendum arbitror.

360 Corol. 3. Quo igitur vividior fuerit sensatio præcedens, ac fortiorem in organo commotionem excitaverit, eo facilius anima phantasma illud postea instaurabit. Quod si non solum fortis, ac vivida sensatio, verum & sæpius iterata fuerit, majorem anima acquiret facilitatem eamdem redintegrandi; donec aut per longam cessationem organi, aut per impedimentum aliquod superveniens facilitas illa deperdatur. Hoc tamen a dispositione quadam in organum inducta explicari posse, conjectando postea dabimus.

361 Corol. 4. Quid si adeò vivida sit imago illa redintegrata, ut æquet, aut superet, principio aliquo interno id adjuvante, præteritam sensationem? Indubium est, tunc imaginationi objectum non ut præteritum, at ut ita dicam, *recordatum*, sed velut præsens sisti debere. Conscientia enim illa (326) objecti præsentis a forti sensatione, qua ob objecti præsentia ferimur, ratio sufficiens nobis est, rem absentem a præsente discernendi. Et en cur amentes, furiosi, aut phantastici videre sibi videntur tot objecta, quæ in eorumdem imaginatione tantum existunt. M. Bruto nocte concubia ante Philippicam pugnam intentorio scribenti spectrum quoddam secum alloqui visum fuit, ad Philipporum mœnia ad diem sequentem iterum se eumdem conventum ire denuntians, quod postea infelicis pugnæ exitus præsagium fuisse, existimatum fuit: re tamen fervidæ hujus stoici imaginationis effectus esse potuit, silentio noctis, ac rerum externarum tumultu quiescente, ad vividiora phantasmata concitanda magis expeditæ. Solitudo enim, ac tenebræ maxime phantasiam adjuvant ad vim suam exerendam, imaginesque vividius depingendas; quod

quod a majore animæ applicatione, rebus externis tacentibus, ac nullas vel debiles commotiones organis imprimentibus, repetendum est.

362 Schol. Maxima hic occurrit difficultas explicandi, quomodo sensiones ad cerebrum usque propagatæ ideas materiales, non solum ibi concitent, ut actualem phantasmatis perceptionem in anima producant; verum hac etiam sensatione præterita, & consopita, possit denuò ab anima exsuscitari. Sunt, qui putent, impressa quædam in cerebro remanere vestigia, quæ profundiora etiam fieri queant ejusdem sensionis repetitione, recursuque spirituum animalium eamdem motionem excitantium. Imagines alii excogitarunt quasi cera insculptas, a quarum inspectione recordatio in anima concitetur. Hanc hypothesim perantiquam esse testis est Cicero: „ Ego autem quodammodo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde naturam? . . . Utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo, tamquam in aliquod vas, ea, quæ meminimus, infundantur? absurdum id quidem: qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi potest? aut quæ tanta animo capacitas? an imprimi quasi ceram animum putamus, & memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? quæ possunt verborum, quæ rerum ipsarum esse vestigia? quæ porrò tam immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere „? Tusc. lib. 1. cap. 25.

Memini quondam, dum Bonneti analysim psychologicam legerem, venisse mihi in mentem, recordationis arcanum a nervulorum cerebri permotionibus diutissimè continuatis repeti posse: ita ut quoties fibrillarum motio a sensibus excitata in cerebro permaneret, anima applicatione quadam ad hujusmodi fibrillarum motum, sensationem reproduceret; recordaretur nimirum illius objecti, a quo olim affecta fuit. Quum verò fibrillæ ita invicem complicatæ sint, ut motio unius plurium aliarum commotionem concitare debeat, aut illis jam permotis, agitationis permanentiam adjuvare, ab hujusmodi motuum complicatione consociatarum idearum (356) catenationem exponi posse non diffidebam. Verum re maturius perpensa, ac tot motuum concursiones diu perdurare non posse cognoscens, aliud, dum hæc agitarem, in animum subiit, quod paucis exponere non gravabor, dummodo ne tamquam novarum hypotheseon confictor, traducar; sed rem in medio relinquens, ut ab perspicacioris ingenii philosophis inter commenta humanæ mentis perpetuò exulare jubeatur, si nullo fundamento innixam esse compererint.

Ac primò illud pono, quod haud difficulter concessum iri autumo ab his, qui divisibilitatem materiæ ultra id, quod

quod concipi potest, norunt extendi: fibrillas videlicet innumeras tantæ tenuitatis in cerebro existere, ut numerum idearum materialium, quas homo toto vitæ cursu acquirere valeat, facilè superent. Hallero teste, Hookius ponens, saltem tertiam minuti secundi partem requiri ad ideam formandam; hominem, qui solidos centum annos viveret 9, 467, 280, 000. ideas formare posse deducit; qua summa ad tertiam partem redacta, ob tempus somno consumptum, tantum 3, 155, 760, 000. remanerent. Cerebri substantiam ad duas libras materiæ continere supponit laudatus auctor, adeoque in particula substantiæ granum ponderis continente 205, 452, partes visibiles exhiberi posse asserit. Commodè igitur supponere possumus, quum tot suppetant in cerebro fibræ, cuilibet ideæ materiali suam fibrillam respondere.

Jam si ponamus animam per cerebrum discurrere posse (349), ac pernicissimo motu ad quamlibet fibrillam accedere, dum commovetur ab externa organi impulsione, *primitivarum* idearum formationem habemus. Ab experientia verò discimus, etiam organi commotione cessante, multoties animam eamdem sensationem, sive ideam materialem retinere; quod tantum ab applicatione animæ ad illam fibram antea commotam, in eoque statu, in quo a motu collocata fuit, permanentem, repeti posse videtur. Et hæc fortasse illa sunt vestigia, quæ passim impressa remanere dicuntur ab auctoribus, ut quodammodo recordationis mysterium exponant. Nec enim typos exculptos aut insculptos in cerebri substantia permanere ab externis, aut internis concussionibus, quisquam somniaverit. En jam quò rem deducam: dum anima voluntatem concipit suas præteritas sensationes renovandi, ad illas fibras accedens, ac eo modo sitas, quo tum, quum affecta primò fuit, illas revisens, denuò ab his afficitur, ac pristinæ sensationis recordatur. Quod si fibræ in eadem positura non manserint, phantasma nullum remanet; videlicet illâ fibræ dispositio, a quâ ideæ primitivæ excitatio originem duxit, phantasma esse videtur, sive idea materialis in fibra perseverans; quam fibram quum rectè positam anima invenerit, nihil videlicet a pristino statu motam, præterita sensatio renovatur.

Sanè qui motum fibræ actualem ad idearum renovationem exigunt, quo pacto fibrarum oscillationes renoventur, difficulter expedient. Nam si animus [illegible] pollet facultate; cur rerum omnium recordari nequit, quam sit integrum ipsi ad libitum fibras commovere? Cur antequam recordemur, plures ideas, nec opinantes, concitamus aliquando, quas meminisse non juvabat? Cur novas ideas sine organi externa commotione non creamus? Si ergo animus

mus instaurare motiones non potest, quas aliquando habuit, e quibus recordationem oriri dicunt, a quo tandem agente hæc fibrarum commotio perficitur? hoc unum restat, ut anima sine hujusmodi oscillatione ideas materiales recognoscere queat, ac sibi iterum repræsentare: aut si hæc motio fibræ est necessaria, oscillationem illam primitivam diutissimè permanere posse fateamur, oportet: quod nescio an alicui probandum sit.

Ceterum si fibrarum posituram phantasmatis vices gerere admittamus, haud ineleganter recordationis phænomena exponi posse videntur. Nam dum anima voluntatem concipit alicujus ideæ redintegrandæ, hac illac circumcursans, ac ut ita dicam, commentarios suos revisens, phantasma illud, sive fibrillam tamdiù quærit, donec in illas fibras incidat, a quarum positione, contactuque præcedens illa sensatio, aut sensationum series a fasciculis fibrarum olim repræsentata fuit. Sæpius experimur, antequam recordemur, plura alia phantasmata menti obversari, quæ minimè requirebamus: identidem etiam ab uno ex his statim in quæsita objecta incidimus: quandoque post longam inquisitionem invenimus; aut demum a labore supersedemus, inventionem desperantes; quæ omnia indicare videntur internum quemdam animi motum, ac applicationem ad diversas fibras, a quibus plures per transennam sensationes, seu recordationes excitantur, donec in eas incidat, quæ præteritæ sensationis causa fuerunt, aut viciniores his sunt, sive consociatæ (355) aliarum, quibus anima quærendis operam dabat, atque ab illis in quæsitam deducitur. Quod si aut posituram pristinam amiserint fibræ, aut procul aberret a situ, in quo jacent, anima frustra laborabit in his recordandis. Et ecce facilis ratio duos eventus explicandi, quos animadvertimus, in nobis ipsis frequenter accidere: primum, rerum præteritarum memoriam quandoque penitus aboleri: alterum, sæpe frustra laborare, ut excitemus alicujus objecti memoriam, quam deindè, aliud agentes, spontè occurrere, dum minimè illam requirimus, experimur. Nimirum in primo casu illa fibræ dispositio a primitiva sensatione incta omninò immutata fuit; adeòque in posterum illud phantasma, a quo excitatio dependet præteritæ sensationis, in suo tabulario animus reperire non potest. In altero verò casu longè aberrat a situ, in quo hujusmodi monumentum repositum est; idcircò frustra labor insumitur, nec optatæ recordationis compos fit: donec forte fortuna alio tempore nec opinanter in illam fibram incidit, quæ adversariorum vices gerit, in eaque legit, quod antea frustra quæsiverat. Si hæc vero proxima non sunt,

ter-

certè rudè aliquod exemplum perhibent eorum, quæ in memoriæ historia accidere solent.

§. II.

De Somniis.

363 In machina animali duplex motus distinguitur: *vitalis* unus, a quo functiones vitæ dependent, ut motus cordis, pulmonis, arteriarum &c. *animalis* alter, qui sensationes omnes, motusque membrorum voluntarios comprehendit. Ille cessare numquam potest, vita salva remanente: animalis verò intermittit, maximè quum dormimus, ut planum est.

364 Status igitur ille animæ, in quo sensationes conquiescunt, aut saltem remittuntur adeò, ut earum conscia non sit, *somnus* dicitur; quum verò sibi adest, ac ideas claras rerum, quæ tum intra, tum extra se geruntur, obtinet, vigilare; statusque ille *vigilia* audit. Quod si aliquando contingat, motus animales cessare, cum remissione quadam motuum vitalium, *deliquium* animus patetur; quod a somno in hac motuum vitalium remissione distinguitur, in quo potius intendi motus vitales, observatione compertum est.

365 *Somnus* vel *profundus* est, in quo anima planè sensationum omnium conscientia destituitur: vel *remissus*, ita ut statum quemdam medium inter sommum, ac vigiliam faciat, phantasmatibus animo occursantibus, a quibus etiam afficitur. *Somnium* id appellamus, in quo ideæ materiales præhabitæ id pariunt, quod in vigilia sensiones ab objectis externis impressæ.

366 Corol. Somnia habere non possemus, si nullæ in cerebro præteritarum sensionum ideæ remanerent. Sicut enim recordari non valemus, quæ sensibus numquam percepimus (352); sic nec ab his in somno affici, si nulla in fibris vestigia, phantasmata reproducentia superessent. Hinc omnia, quæ in somniis animo occursant, præteritarum rerum memoria dici posset, nisi temerè imagines confunderentur, ac monstris simillima comparerent. Nam quemadmodum animus vigilans facultate pollet (353) dissimilia conjungendi, quæ a duarum, aut plurium idearum permixtione oritur; sic in somnio ab earumdem imaginum concursione ejusmodi monstra nascuntur.

367 Sunt, qui opinentur, omne somnium ab sensione aliqua initium ducere; quin phatasmatum excitatio enascatur ab interno aliquo principio fibras commovente. Mihi ægrè hoc persuadebunt Wolfius, ac Makus, ægriusque

que assentiar rationi, cui innituntur; videlicet non rarò postquam experrecti sumus, sensionis originem somnio præbentis nos recordari. Quod addunt ideas consociatas unam ab altera excitari, primamque ab aliqua sensione exsuscitari oportere, probat tantum rationem aliquam sive internam, sive externam adesse, animam determinantem ad has impressiones, minimè verò ab externa organi commotione semper proficisci debere. Quis enim credat, semper sensus externos percieri debere, ut ad somniandum determinemur? Rarò admodum somnia contingerent, si hoc verum foret.

368 Jam si anima ab una fibra tantum afficiatur, *somnium simplex* erit, nihilque aliud præter unius objecti phantasma conspiciet in somnio; verum si plura recurrant simul, *somnium compositum* succedet simplici; ab hoc enim plerumque initium ducit compositum. Quod quidem a lege idearum consociatarum provenire (355), præsertim deducitur ex natura ipsa somniorum, in quibus ideæ, quæ vigilantibus consociatæ fuerunt, dormientibus obversari experimur;

Et quoi quisque ferè studio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somniis eadem plerumque videmur obire:
Causidici causas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare ac prælia obire:
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum:
Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum,
Semper & inventam patriis exponere chartis.
Lucr. Lib. 4, v. 959.

369 Ceterum quæ somniantibus nobis phantasmata recursant, veluti præsentia conspiciuntur, ut graphicè modo depinxit Lucretius. Hoc a cessatione sensuum externorum, vividaque imaginum repræsentatione, a quibus phantasia percellitur fortius (361), dum per quietem ceteræ functiones cessant, repetendum esse videtur. Si enim vigilantibus nobis æquè vivida sensatio præsentium, ac absentium objectorum excitaretur, res omnes pro præsentibus usurparemus; nec recordationem a præsentia distingueremus (ibid.).

370 Somnia cessant, vel accessione profundi somnii (365), dum anima, humoribus magis consopito cerebro, fibrarum impressiones sentire non potest; vel sensionibus vehementioribus cerebrum excitantibus, e qua commotione vigilia initium ducit. Hoc plerumque post sex, aut septem horas præsertim evenire quotidie experimur; quum

suc-

succo nerveo instaurato, nervorum tensionem restituit, a qua status vigiliæ consequitur.

371 Schol. Si somnia in causa, sive ut scholæ loquuntur, *subjectivè* spectentur, rationem habent in phantasiæ, seu cerebri affectionibus, a quibus vis imaginandi determinatur ad hujusmodi impressiones recipiendas. *Objectivè* autem omni ratione destituuntur, quum sint rerum series a concursione imaginum provenientes, ac plerumque monstrosam scenam animo exhibentes, quæ nullibi, ut repræsentatur, existit.

§. III.

De Memoria.

372 Facultas imaginandi *memoriæ* quasi fundamentum est. Quamvis autem hæc alteram necessariò supponat; memoria, ac imaginatio res sunt omninò diversæ. Nam hæc, facultas est præteritas sensationes renovandi (352); altera renovatas sensationes recognoscendi. Phantasma præsens Archimedis habebat ille, qui tamen illud non recognoscebat: Cononis verò imago & præsens, & ab ipso recognita fuit.

In medio duo signa: Conon, & quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?
Virg. Ecl. 3, v. 40.

En igitur imaginationis opus in instauranda utriusque mathematici præconcepta idea; memoria verò recognoscebat Cononis esse quod præsentabatur signum, Archimedis non recognoscebat. Hoc etiam nobis evenire passim experimur, dum sententias, eventus &c. in mente habemus; auctoris, libri &c. non recordamur.

373 Verum etiamsi affinitas magna inter phantasiam ac memoriam intercedat, plura objecta comprehendit memoria, quæ ad facultatem imaginandi non pertinent. Abstractionum (Log. 16), ratiocinationum &c. olim a nobis perfectarum recordamur, quæ imaginationis opus non sunt. Idcircò memoriam in *sensitivam*, ac *intellectualem* dividere possumus: illa res imaginatione perceptas, hæc intellectus operationes comprehendit.

374 Schol. Hæc divisio claritatis gratia tantum inventa est. Nam res etiam abstractæ, ac ratiocinio deductæ prius ab idearum materialium excitatione incipere debent, juxta vulgatum dogma: *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. Deindè memoria illa intellectualis a cerebro etiam pendere, quemadmodum altera sensitiva, manifestum est ex eo, quod utraque cerebri læsione, aut mutatione intereat (359), intellectus functionibus integris permanentibus.

Quod jam in phantasia observavimus, idearum associationem dari (355), ad memoriam etiam transferendum esse, res ipsa loquitur. Ab hac enim recurrentium idearum catenatione memoriæ subsidium maximè pendet; quod in iis, quæ memoriæ mandamus, experiri licet.

375 Corol. 1. Idea de novo adveniens nullas ideas excitare potest ratione consociationis. Si enim ob hanc causam illas concitaret, non amplius nova, sed aliis jam antea consociata fuisset. Ab hac igitur exsuscitatione aliarum notionum dignoscere possumus, num aliàs eam ipsam ideam habuerimus. Hoc frequenter evenire solet, dum aliquem, rem quasi novam admirantem, commonemus jam ante a se visam, & cognitam fuisse, ostendentes ab indicatione aliquarum circumstantiarum, ex quibus in illo memoria refricetur. Hinc senex Œdipo nomen requirenti illius pastoris, cujus infans custodiæ traditus fuerat, ait:

Prima languescit senum
Memoria longo lassa sublabens situ.
Œd. *Potesne facie noscere ac vultu virum?*
Sen. *Fortasse noscam: sæpe jam spatio obrutam*
Levis exoletam memoriam revocat nota.
Seneca in Œd. act. 4.

376 Corol. 2. Ideam recognoscimus, dum ad seriem notarum, quibus antea consociata fuit, ac nunc est, animadvertimus. Dum hominem pridem jam visum intueris, attentè oris notas, staturam, molem &c. contemplaris, statimque excitatur aliarum notarum series, quibuscum sociata fuit pristina illa visio, & conspectus primus, puta domus, fori, vestium &c. quæ simul comitatæ sunt notionem illam personæ nunc præsentis. Ab hac mentis in utramque seriem animadversione, quæsita tandem recognitio oritur, idem nunc esse objectum præsens ac illud quondam nobis cognitum. „ Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his memoriæ ducta sit disciplina. „ Cic. de Fin. lib. 5, c. 1.

377 Schol. Præcipua memoriæ nota, sive character insignis, quo eam ab aliis animi facultatibus discernimus, hic est; actio mentis, sive judicium reflexum notarum convenientiam recognoscens, identitatemque inter objecta, quæ duo videbantur, affirmans. Licetne ex hoc antecedente deducere, memoriam nihil aliud esse quam judicium, sive ratiociniurn practicum ex adjunctis identitatem

tem inferens? Sanè dum e similitudine quadam notarum duo objecta unum, idemque videntur, ac majore attentione mens, discussis utriusque notis, postea diversa esse recognoscit, quæ prius idem apparebant, judicii exercitium id esse videtur de diversitate objectorum sententiam ferentis. Sed hæc parum nostra referunt: ac citius juvat contentiones minuere, quam novas exsuscitare in hac temporis egestate.

378 Ex magna illa memoriæ cum imaginatione affinitate (372) facilè derivatur explicatio earum, quas in memoria animadvertimus, proprietatum. 1 Quo res distinctius, sæpius, ac recentius fuerunt imaginationi præsentatæ, eo alacrius, ac promptius memoria ipsarum revivíscit. Nam ex iisdem capitibus phantasia adjuvatur ad imagines reparandas (360): adeòque & mens ad eas recognoscendas; in quo memoriam consistere docuimus (372). 2 Quo promptior imaginatio fuerit ad ideas instaurandas, major erit memoriæ alacritas ad easdem recognoscendas; quo tardiorem, inconstantem, ac remissam magis experiemur, & memoriæ detrimenta similia subsequantur, necesse est: idcircò a phantasiæ vitiis, vitia memoriæ repetere debemus; ab ejusdem optimis qualitatibus, respondentes in memoria virtutes consequentur. 3 Id quod *mandare memoriæ* dicimus, est facilitas quædam renovandi, ac recognoscendi ideas, comparata ab repetitione ejusdem notionis; qua repetitione, sicut in aliis corporis membris ad alia officia, sic in phantasia promptitudo innascitur ad imaginum instaurationem. Hac facilitate perdurante, *memoria retinere* aliquid dicimur; cessante, rerum *oblivisci*. 4 Hæc memoria acquisita repetitione ejusdem impressionis, *artificialis* quædam est facultas exercitio comparata: quæ etiam signis, ordine rerum, aut verborum adjuvari potest; hæc enim mirè phantasiam excitant (355) ad memoriam artificialem vel augendam, vel conservandam. 5 *Memoria labimur*, quum ideam quampiam recurrentem cum alia confundimus, unam, eamdemque esse existimant. Hoc non rarò accidit scriptoribus citantibus verba alicujus auctoris, aut operis, quæ tamen in aliis legerunt, aut in alio ejusdem auctoris opere inveniuntur.

379 Schol. 1. Memoriæ portenta quædam referuntur ab historicis, quæ pene fidem superant. Cyrum numerosissimi exercitus milites de nomine salutasse, auctor est Plinius lib. 7, hist. c. 24. idem fere de Francisco I. Gallorum Rege in historia Caroli Quinti legisse memini. Seneca duo millia hominum, quo erant ordine recitata, referebat, & ab his, qui ad audiendum præceptorem cum ipso convenerant, singulos versus a singulis datos, quum plures essent ducentis, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabat. Franciscus Suarius, Famiano Strada referente, opera D. Augustini ita memoria retinebat, ut loca omnia, pagina, ac linea indicatis, citare posset. De Scalligero, Vallissioque mathematico alia memoriæ prodigia refert Bonnetus tom. 1. Palingenes. in tract. prodromo. Hujusmodi facilitas ab peculiari cerebri structura, ac temperie, quæ rarò admodum hominibus contingit, repetenda videtur: neque artem illam memoriæ, quam sprevit Themistocles, teste Tullio, a Simonide, aut alio quopiam oblatam, eo usque protendi posse existimaverim, ut communem hominum reminiscendi facultatem excedat.

380 Schol. 2. Tritum est illud, *memoria excolendo augetur*; quod ego sic intelligo, ut animus iterato exercitio memoriæ mandandi alacritatem quamdam nanciscatur, ac, ut ita dicam, *habitum* contrahat hujusmodi exercitii. Ceterum quo plus memoriam oneramus rerum imaginibus, minorem easdem retinendi facilitatem experiamur, oportet. Memoria enim imaginationi innititur; cujus facultas a dispositione fibrarum cerebri omninò dependens, quum limitata sit, ab nimia conclusione idearum debilitetur, necesse est. Idcircò juvenes ad mandandum memoriæ promptiores animadvertimus, quam viros, etiamsi hi in magno memoriæ exercitio versati fuerint. Relege dicta art. 361.

CAPUT QUINTUM.

De intellectu, ejusque Operationibus.

§. I.

De facultate intelligendi.

381 *Intellectus* est illa animi facultas, qua res distinctè percipimus, earum notas ita separando, ut ab aliis discernere possimus. Hinc tum demum quidpiam intelligere dicimur, quum notas objecti percipimus, eas distinctè separando, ac repræsentando eo modo, quo objectis insunt. Intelligenter etiam aliquid exponi declaramus, quum ejus notæ dilucidè explicantur.

382 Corol. Hac facultate nos pollere intima conscientia monemur (326). Quis enim vel plumbeus in se ipse non sentit, res aliquas ita percipere, ut quasdam notas distinguat in objecto, quibus illud ab alio discernat? hoc autem est, quod *intelligere* vocamus (præc.): gaudet igitur animus vi intelligendi, seu intellectu.

383 Schol. 1. Sunt, qui facultatem intelligendi per vim mentis ad res *universim* repræsentandas explicent, ita ut sen-

tem inferens? Sanè dum e similitudine quadam notarum duo objecta unum, idemque videntur, ac majore attentione mens, discussis utriusque notis, postea diversa esse recognoscit, quæ prius idem apparebant, judicii exercitium id esse videtur de diversitate objectorum sententiam ferentis. Sed hæc parum nostra referunt: ac citius juvat contentiones minuere, quam novas exsuscitare in hac temporis egestate.

378 Ex magna illa memoriæ cum imaginatione affinitate (372) facilè derivatur explicatio earum, quas in memoria animadvertimus, proprietatum. 1 Quo res distinctius, sæpius, ac recentius fuerunt imaginationi præsentatæ, eo alacrius, ac promptius memoria ipsarum revivíscit. Nam ex iisdem capitibus phantasia adjuvatur ad imagines reparandas (360): adeòque & mens ad eas recognoscendas; in quo memoriam consistere docuimus (372). 2 Quo promptior imaginatio fuerit ad ideas instaurandas, major erit memoriæ alacritas ad easdem recognoscendas; quo tardiorem, inconstantem, ac remissam magis experiemur, & memoriæ detrimenta similia subsequantur, necesse est: idcircò a phantasiæ vitiis, vitia memoriæ repetere debemus; ab ejusdem optimis qualitatibus, respondentes in memoria virtutes consequentur. 3 Id quod *mandare memoriæ* dicimus, est facilitas quædam renovandi, ac recognoscendi ideas, comparata ab repetitione ejusdem notionis; qua repetitione, sicut in aliis corporis membris ad alia officia, sic in phantasia promptitudo innascitur ad imaginum instaurationem. Hac facilitate perdurante, *memoria retinere* aliquid dicimur; cessante, rerum *oblivisci*. 4 Hæc memoria acquisita repetitione ejusdem impressionis, *artificialis* quædam est facultas exercitio comparata: quæ etiam signis, ordine rerum, aut verborum adjuvari potest; hæc enim mirè phantasiam excitant (355) ad memoriam artificialem vel augendam, vel conservandam. 5 *Memoria labimur*, quum ideam quampiam recurrentem cum alia confundimus, unam, eamdemque esse existimant. Hoc non rarò accidit scriptoribus citantibus verba alicujus auctoris, aut operis, quæ tamen in aliis legerunt, aut in alio ejusdem auctoris opere inveniuntur.

379 Schol. 1. Memoriæ portenta quædam referuntur ab historicis, quæ pene fidem superant. Cyrum numerosissimi exercitus milites de nomine salutasse, auctor est Plinius lib. 7, hist. c. 24. idem fere de Francisco I. Gallorum Rege in historia Caroli Quinti legisse memini. Seneca duo millia hominum, quo erant ordine recitata, referebat, & ab his, qui ad audiendum præceptorem cum ipso convenerant, singulos versus a singulis datos, quum plures essent ducentis, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabat. Franciscus Suarius, Famiano Strada referente, opera D. Augustini ita memoria retinebat, ut loca omnia, pagina, ac linea indicatis, citare posset. De Scalligero, Vallissioque mathematico alia memoriæ prodigia refert Bonnetus tom. 1. Palingenes. in tract. prodromo. Hujusmodi facilitas ab peculiari cerebri structura, ac temperie, quæ rarò admodum hominibus contingit, repetenda videtur: neque artem illam memoriæ, quam sprevit Themistocles, teste Tullio, a Simonide, aut alio quopiam oblatam, eo usque protendi posse existimaverim, ut communem hominum reminiscendi facultatem excedat.

380 Schol. 2. Tritum est illud, *memoria excolendo augetur*; quod ego sic intelligo, ut animus iterato exercitio memoriæ mandandi alacritatem quamdam nanciscatur, ac, ut ita dicam, *habitum* contrahat hujusmodi exercitii. Ceterum quo plus memoriam oneramus rerum imaginibus, minorem easdem retinendi facilitatem experiamur, oportet. Memoria enim imaginationi innititur; cujus facultas a dispositione fibrarum cerebri omninò dependens, quum limitata sit, ab nimia conclusione idearum debilitetur, necesse est. Idcircò juvenes ad mandandum memoriæ promptiores animadvertimus, quam viros, etiamsi hi in magno memoriæ exercitio versati fuerint. Relege dicta art. 361.

CAPUT QUINTUM.

De intellectu, ejusque Operationibus.

§. I.

De facultate intelligendi.

381 *Intellectus* est illa animi facultas, qua res distinctè percipimus, earum notas ita separando, ut ab aliis discernere possimus. Hinc tum demum quidpiam intelligere dicimur, quum notas objecti percipimus, eas distinctè separando, ac repræsentando eo modo, quo objectis insunt. Intelligenter etiam aliquid exponi declaramus, quum ejus notæ dilucidè explicantur.

382 Corol. Hac facultate nos pollere intima conscientia monemur (326). Quis enim vel plumbeus in se ipse non sentit, res aliquas ita percipere, ut quasdam notas distinguat in objecto, quibus illud ab alio discernat? hoc autem est, quod *intelligere* vocamus (præc.): gaudet igitur animus vi intelligendi, seu intellectu.

383 Schol. 1. Sunt, qui facultatem intelligendi per vim mentis ad res *universim* repræsentandas explicent, ita ut sen-

sensus ad rei singularis præsentis repræsentationem; imaginatio ad objectum absens singulariter itidem, confusè tamen repræsentandum; intellectus verò ad repræsentationem distinctam universim referatur. Verum hic *universim* repræsentandi modus ab abstrahendi facultate, quæ una est ex operationibus intellectus, provenire videtur. Non negamus tamen, sensationes, imaginationes, ac intellectiones discerni etiam posse ab enuntiatis proprietatibus.

384 Schol. 2. Sensationes, ac imaginationes ab intellectionibus discriminare sensus intimus unumquemque docet; etiamsi alia externa non extarent, e quibus experimentum capere licet ad insignem earum differentiam rimandam. Nam infantes, emotæ mentis homines, imò & bruta animantia sensationibus, ac imaginationibus percieri, ab ipsorum operandi modo perspicuè deducimus; eos tamen intellectione duci, nemo umquam sanus pronunciabit. Comparativo enim secernendi judicio, ab notarum in objectis existentium collatione, distinctaque notione proveniente, ad intelligendum opus est; quo tam parvuli, quam amentes, ac belluæ destituuntur; hæ per intrinsecum principii intelligentis defectum, illi per cerebri impeditam facultatem.

385 Intellectiones aut *puræ* sunt, aut *non puræ*: dum nihil obscuri perceptionibus admiscetur, intellectio pura dicitur; contra verò, si aliquæ notæ confusè aut obscurè percipiantur, ab intellectione non pura id oriatur, oportet. Plerumque autem a sensibus, aut imaginationibus intellectiones nostras contaminari sentimus; rarò admodum ab omni sensatione, aut imaginatione depurgari; unde non puræ intellectiones puris frequentiores sunt.

386 Schol. Non id intendimus præfacta divisione intellectionum, ut aliquas esse, quæ a sensibus nec mediatè proveniant, contendamus. „ Hæc enim quæstio, ait Jacquierius, *utrum ideæ omnes a sensibus saltem mediatè originem habeant*, intellectus nostri limites longe excedit. Pendet enim ex animæ, corporisque commercio, cujus quidem commercii leges tamquam divinum arcanum venerari potius debent metaphysici, quam curiosius scrutari.„ Met. par. 2. cap. 3. Verum intellectionis puræ nomine intendimus, quod nulla corporea imagine a mente repræsentatur, ut perceptio axiomatum, veritatum moralium, existentiæ Dei, ac animi nostri esse solet.

387 Vim intellectus in *objectivam*, ac *formalem* tribuunt. Quo quis plura objecta percipere valet, eo majore intelligendi facultate objectiva gaudet. Unde quum intellectus divinus ad omnia se extendat, quæ cognosci po sunt, infinita facultate intelligendi præditus est; quæ infinitudo ad modum etiam, quo illa percipit, extenditur, notas omnes

omnes in ipsis repertas penitissimè, ac summa claritate, distinctioneque pernoscens; unde & *formalem* vim habere etiam infinitam, in confesso est: hæc enim in modo cognoscendi, ac repræsentandi consistit. Nos verò ad pauca objecta extendere vim intelligendi, eaque obscurè, confusè, ac partim tantum cognoscere, quotidiana experientia admonemur.

388 Corol. Ex dictis art. sup. divisio illa, qua intellectus proprietates in hominibus animadversas solemus distinguere, emanavit. Intellectus *profundus* ille vocatur, qui, quæ composita in objecto reperit, dissolvit, quasi anatomicè in ejus partes internas irrumpens, ac in membra dissecans. *Acumen* intellectus est vis plura in objectis distinguendi: *soliditas* est recta ex his, quæ percepta sunt, deductio: quod quidem facultatem ratiocinandi maximè respicit. Dotes hujusmodi, ut non omnis fert omnia tellus, passim disjungi, ex hominum commercio, ac librorum lectione compertum habemus.

389 Schol. Soliditatem intellectus qui acquirere studet, in logicis, in historia, ac ethica versari, & eventus rerum, quo nascantur ordine, meditari oportet; quod ad physicas etiam res extendi debere, experimentalis pars hujus scientiæ in primis docet. Acumen, ac profunditas intellectus analyticarum scientiarum studio comparatur. Hinc mathesin præcipuè colere debent, qui acumine, ac profunditate ingenii pollent; & qui has facultates acquirere, excolere, atque augere avent. Ceterum *tu nihil invita dices faciesve minerva*. Omnes autem mediocritatem quamdam sibi comparare posse, modò *ingenium docilem* a natura nacti sint, nec *vervecum in patria, crassoque sub aere nati*, experientia quotidiana testatur.

390 *Ingenium* ferè cum intellectu acuto, ac profundo confundere solent: atque adeò homo ingeniosus ille erit, qui acumine, ac profunditate intellectus pollet; adverum tamen magis accesseris, si *ingenium* explices pro facultate illa, qua rerum inter se similitudines perspicimus, & convenienter aptamus. Poetæ hac dote excellere, nonnumquam, & oratores illa adjuvantur. Acumine, ac profunditate intellectus ingenium mirificè extolli; phantasia, ac memoria percelli ad imaginum collationem, ex harum facultatum notione deducitur. Ab perspicuitate enim, ac notarum in rebus inventarum evolutione, ac prompta, vividaque harum imaginum præsentatione feracitas ingenii plerumque ab omnibus commendatur.

§. II.

De Judicio, ac Ratione.

391 In Logica plura ad judicium, aliasque mentis operationes attinentia, prout illam scientiam spectant, jam disseruimus ab artic. 73. Hic tantum judicium pro facultate mentis sumimus, qua convenientiam, aut discordiam idearum inter se introspicimus, ac sententiam ferimus, ideam cum idea convenire, aut disconvenire.

392 Corol. Quicumque hac pollet facultate facilè discernendi concordiam, aut disconvenientiam idearum inter se, ita ut rectè de rebus sententiam ferat, *optimo judicio* præditus est: vulgò id *bonum judicium*, aut *bonum sensum* appellant. Quod si rectus loqui velimus, *bonum sentum* facilitatem quamdam discernendi ea, quæ sub sensus cadunt, appellare debemus. Sunt namque plures natura ita comparati, ut prima sensuum impressione rectè de rebus judicent: hoc maximè id, quod *pulchrum* dicitur, respicit, ac *bonus gustus* solet etiam dictitari. Ejusmodi judicia a sensuum optima conformatione pendere, indubium est. Idcircò & *bonus sensus* partialis tantum, plerumque invenitur; quum rarò admodum extent homines omnibus naturæ donis cumulati: *non omnia possumus omnes*. Qui de musicis optimè judicat, non idcircò picturas, statuas, architecturam optimè discernit: qui poetas, aut oratores, aut stilum dignoscere scit, & gustare, hebes ad botanicem &c. esse solet.

393 *Ratio* est illa animi facultas, quæ singulares veritates in universalibus contentas percipit, deducit, atque applicat. Nam certo certius est, universales quasdam veritates existere, in quibus singulares continentur, velut in stamine fila, ita ut una ex altera deduci, ac demonstrari possit; mentemque nostram ex illis principiis plurimas, quarum nexum cognoscit, notiones deducere. Scientiæ omnes, ac libri dogmatici veritatem asserti comprobant.

394 Corol. 1. Judicium igitur, & Ratio in hoc uno discrepant, quod primum ad convenientiam unius ideæ cum altera solum refertur: ratio verò plures inter se comparat, connectitque perpetua quadam catenatione; qua judiciorum serie ad veritatem inveniendam manu ducitur.

395 Corol. 2. *Bonus sensus*, aut *bonum judicium* (392) a ratione penes minorem extensionem differt. Quid enim per rectum judicium intelligimus, nisi de rebus, prout sunt, judicare, quæ bona sunt, ut bona; quæ secus, velut prava æstimare: falsis, aut pravis specie veri aut recti apparentibus neutiquam decipi, singulaque, prout sunt, æqua lance ponderare? Atqui hoc initium quoddam, ac veluti gressus primus rationis est, sine quo ulterius progredi non valet. Itaque eam differentiam inter rectum judicium, ac rectam rationem percipio, quam inter propositionem, ac syllogismum intercedere ex dialectica habemus.

396 Corol. 3. Quo plures veritates distinctius pervidere, nexumque illarum internoscere mens nostra valet, eo majore ratione pollet: atque id demum ratiocinari est, idearum catenationem, aut dissociationem ex earumdem nexu, aut separatione eruere.

397 Corol. 4. Quod jam art. 388 de intellectus *soliditate*, *acumine*, ac *profunditate* explicatum est, ad rationem tranferre licet; sæpe enim ratio pro intellectu usurpatur. Ceterum in familiari usu loquendi rationem *solidam*, *acutam*, *profundam* intelligere solent, *objectivè*, ut ferè dicitur, quatenus excogitatum aliquid profunde, solidè, aut acutè innuimus.

398 Schol. In Ethica *ratio* est regula morum, ad quam mores nostros conformare debemus ad propriam felicitatem obtinendam. Hic etiam *objectivè* ratio sumitur; quemadmodum quum aliquid *rationi* conforme, aut difforme dicimus, id intendimus, ut aliquid veritatibus cognitis consentiat, aut dissentiat; sive id ad veritates naturales, sive ad morales referamus.

399 Optimè quidem se habet, experientiam a ratione distinguere, quod doctus quidam auctor facit. Nam experientia, utpotè per sensus comparata, ad res singulares solum extenditur, ac sub sensus cadentes (383): neque ad veritates universales, earumque connexionem nisi rationem attingere, concedere non gravamur. Rationem verò solum a *priore* (Log 214) cognoscere, persuaderi mihi ægrè patiar. Inductiones enim in physicis adhibemus, quarum ope ratio conclusiones universales deducit, veritatesque plurimas demonstrat a *posteriore*: quod in metaphysica obtineri, in Dissert. sequente ostendemus, existentiam Dei demonstrationibus physicis, ac moralibus statuentes. Ratione igitur & a priore, & a posteriore cognoscere possumus, ac saltem mediatè experientia, ac sensibus inniti.

400 Rationem *puram*, ac *impuram*, ut hunc nodum solvat, distinguit laudatus auctor; quod sanè inventum rem quodammodo componit. Puram illam vocat, quæ axiomatis, principiis, postulatis, definitionibus utitur: quæ experientiam adhibet, impuram: e ratione pura demonstrationes a priore; ab altera, quæ a posteriore ducuntur, proficisci statuit.

401 *Expectatio casuum similium* ad secundum genus reducitur. Casus autem similes illi sunt, in quibus, positis principiis iisdem, sive adjunctis, quibuscum eventa quædam connexa vidimus, similia eventura expectamus. Hoc autem duplici modo considerare possumus, aut tamquam eventus fortuitos, aut necessarios: dum semper in circumstantiis ejusdem modi eventus eosdem sequi videmus, necessarios esse ratio a posteriore persuadet; secus, si variabiles effectus consequantur. Cometas aliam viam a zodiaco affectare hactenus compertum est: visa igitur in cælo caudata stella, per varias cæli plagas a zodiaco diversas erratum ire expectamus: nubibus autem in atmosphæra condensatis, etiamsi sæpe pluviam sequi experti simus, quandoque ab aliarum concursione causarum impediri posse portendimus.

402 Corol. *Casuum similium expectatio*, si propriè loqui velimus, a ratione proficisci solum potest. Belluæ quidem ab imaginatione, ac recordatione eventus præteriti excitantur quodammodo ad *expectationem casuum similium*. Memini, canem quemdam & macellum & macellarium, a quo castratus fuerat, constanter fugisse; ita ut ejus domino prope macellum transeunte, ille, qui ut solent canes, vestigia ejus continenter premebat, quum ad locum accederet, aliam viam tenebat circuitione facta, donec iterum, transacto jam præteriti doloris loco, dominum assequeretur. Quis tamen hanc casuum similium expectationem dicat? Aut si ita appellare juvat, nimium irrationalem hanc expectationem esse pronuncio. At, inquit laudatus auctor „ Qui casum similem expectat, alia re opus non habet, quam ut percipiat præsentes rerum circumstantias, iisque adjunctos eventus: tum ut his similia alia percepta reducat in animum: denique ut agnoscat eadem nunc rerum esse adjuncta, quæ tunc fuere. Atqui primum efficitur sensibus, alterum imaginatione, tertium memoria: similium ergo casuum expectatio absque rationis adminiculo haberi potest „.

Enimverò si hæc ita se habent, exulare etiam ratio ab homine jubeatur: ratiocinationes enim non aliter in mente nostra peraguntur, quam methodo hactenus descripta. „ Postquam enim in casu quopiam aliquid evenisse, sensu usurpavimus, casu iterum eodem recurrente, ejus eventi memoria vicem subit propositionis; ejusdem nunc recurrentis perceptio est instar assumptionis: opinio denique sequuturi denuò ejusdem eventus locum complectionis obtinet. Igitur tacita hæc ratiocinatio in ea expectatione quodammodo inclusa latet: in casu illo istud evenit: atqui præsens casus idem est: istuc igitur idem est„.

In belluis ejusdemmodi operationes, prout hactenus descriptæ sunt, non solum rationis quiddam vicarium probarent, verum perfectam illis inesse rationem. „ Dum enim casus similis expectatur, effectus e præsentibus adjunctis sequuturus, ut ut confusè prævideatur, scitur proindè cum iisdem esse connexus, tametsi vis ipsa, & modus connexionis minimè perspiciatur. „ Hoc autem in plurimis e nostris ratiocinationibus, maximè circa eventus non necessarios (401) semper contingere indubium mihi videtur; quod & rationem perfectam, si alia deessent, nobis inesse planè probarent. Prævidere enim ex connexione unius cum alio effectum sequuturum, id demum ratiocinari perfectè est, non umbra ratiocinationis; illaque *memoria*, *casu eodem iterum recurrente*, *vicem subit propositionis* universalis, ut in syllogismo expositorio (Log. 181).

Quod ad belluas attinet, nulla connexionis idea ipsis concedi posse videtur. In casibus modo figuratis id evenire in earumdem phantasia existimo, quod nobis somniantibus contingere solet, dum terrificis imaginibus commovemur. Nec quisquam, puto, nos somniantes quodam rationis vicario agere ea, quæ in somniis experimur, maximè in noctambulis, umquam pronunciabit. Sed hæc hactenus: non enim impugnandi libidine hæc scripsimus, sed, occasione data, rem dilucidandam assumpsimus, quadam stili varietate materiam illustrare cupientes.

403 Schol. 1. Juvat hic subnectere qualitates peculiares, quæ in animo nostro distinguuntur, ac frequenter tum in libris, tum in familiari sermone solemus usurpare, indiscriminatim animo, intellectui, rationi, spiritui, ingenio applicantes. Harum qualitatum notiones, quam brevissimè dabimus, ut quid his vocabulis significetur, exponamus: ac ne illa usurpantes, malè applicemus. Animus igitur, seu intellectus, aut ratio, dicitur

1 *Rectus*, seu *verus* tam in sensu physico, quam morali, quum res æstimat ac perpendit juxta genuinum valorem; notas percipiens cujusque rei proprias, quin cum aliis confundat ac similitudine decipiatur. Hinc judicia emanant illa, quibus homo nec propria utilitate, nec damno res æstimat; sed recta ducitur, ad jus suum cuique tribuendum. *Falsus* eo aspectu res cognoscit, qui ipsarum non est proprius; quod plerumque a depravatione cordis evenire solet; nonnumquam ab imaginationis debilitate.

2 *Solidus*, *profundus*, *acutus*, seu *argutus*, vide dicta art. 388. His opponuntur *mobilis*, *superficialis*, *obtusus*, contrariis nimirum qualitatibus vitiata sunt ingenia hujusmodi, ac sint virtutes superiorum.

3 *Elegans* pulchritudinem ubique sectatur, ac *sensum rectum*,

sum, seu *bonum gustum*, ut phrasi vulgari serviamus, indicat ei inesse, qui ejusmodi qualitate præditus est. Huic opponitur *inconcinnus*, seu inelegans. Sæcula, quæ nos præcesserunt, *solida*, *profunda*, *acuta* dici possent: præsentis sæculi ab *elegantia* character est.

4 *Jucundus*, seu *lætus*; *malignus*, seu *causticus* in familiari congressu, ac scriptis maximè dignoscuntur. Ille dictis, ac factis hilaritatem aspergit, grato lepore, ac suavitate animos omnium devincit, omnibus se facilem præstat, cunctis gratus, nulli onerosus. Malignus omnia felle conspergit; amarè insectatur; quæ optima sunt, in pravum sensum detorquet; sibi incommodus, omnibus invisus. Hujusmodi qualitates graphicè depictas habes in senibus illis Terentianis in comœdia, cui *Adelphi* titulo est. Ceterum optandum, ne adeò frequens in scriptorum animos causticum fel diffunderetur.

5 *Præjudicatus*, seu *præoccupatus* ille audit, qui a præconceptis educatione, lectione, amicitia opinionibus ducitur. Præjudicia omnia exuere adeò est difficile, ut vix, aut ne vix quidem a constitutione mundi hominem, qui nihil humani passus sit, extitisse, affirmare non dubitem. Sed hæc miseræ conditionis Adami posterorum sors est. Enitendum tamen, ut quam fieri possit, animus a præconceptis opinionibus liberetur, ac nihil nisi ratione duce persequamur.

Demum *Fortis* ille est, quem describit Poeta Venusinus: justum, ac tenacem propositi virum non ardor civium prava jubentium, non vultus instantis tyranni mente quatit solida: si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Alio sensu nunc *spiritus fortes* se appellare solent quidam deliciis fracti; qui omnem Numinis metum e corde depellentes, terriculamenta puerilia dictitant pœnas iniquis infligendas in altera vita: *debilesque* vocant eos, qui intellectum abnegantes in obsequium Christi, christianam religionem impensè colunt. Nos *debilem* appellamus, qui facili negotio a proposito abducitur, puerilibusque terriculamentis aut etiam crepundiis frangitur; ut evenire solet iis, qui se *forti spiritu* præditos existimant.

404 Schol. 2. Mentis humanæ operationes, pura etiam ratione agente, ab cerebri constitutione nonnihil pendere, aut saltem connexionem quamdam cum cerebri motionibus intercedere, indubium videtur. Experimento enim quotidiano compertum habemus, non solum a nativa cerebri constitutione, ac temperie homines sagaces, industrios, strenuos, stupidos, bardos, lentos; verum infirmitatibus, senectute, laboribus nativas qualitates immutari; nonnumquam educatione perfici, corrigi, aut mitigari; quod immutationem quamdam in cerebro factam lucu-

culenter probat, e qua hujusmodi varietates proficiscantur.

405 Corol. 1. Ergo ab his cerebri modificationibus desumendæ etiam sunt qualitates illæ, quas habitus vocamus. Quemadmodum enim motuum quorumdam corporis repetitione eam nanciscuntur aliqui facilitatem ad similes actiones peragendas, quæ penè facultatem humanam superare videantur, ut funambuli, musici &c. sic & ab exercitatione fibrillarum cerebri, & ad quamlibet intellectus operationem applicatione habitus intellectuales oriri, credendum est.

406 Corol. 2. Mira illa varietas, quam sicut in hominum facie, sic etiam in judicio, ratione, ac ingenio animadvertere licet, ab hujusmodi fibrillarum cerebri temperie nascitur. Alacritas etiam, ac promptitudo, sive docilitas ingenii excolendi, a felicitate quadam naturæ, aptius cerebrum, meliusque conformatum adeptæ, proficisci, in comperto est: quin opus sit ad intrinsecam animorum diversitatem recurrere, ad id explicandum.

§. III.

De Reflexione atque Attentione.

407 Anima *conscientia* percipit res, quæ extra illam sunt (326); eorumque conscia est, quæ quum perceperit, distinguit (ibid.). Duplici autem modo objectum, prout ad rem præsentem attinet, percipere potest: vel illud ab aliis distinguendo, vel partes, quæ in ipso sunt, discernens, ac singillatim considerans, ut distinctè percipiat. Distinctionis objectorum conscia esse non potest anima, nisi notas in illis repertas secernat, percipiatque alias huic, alias aliis notas convenire. In eodem autem objecto diversitatem notarum ut discernat, opus habet, quamlibet ab aliis separare, ac inspicere, ut distinctè cognoscat. Singularis hæc objectorum, aut notarum inspectio *reflexio* dicitur; quasi animus ad considerationem illarum inflectatur.

408 Schol. Vulgò *reflexionem* intelligunt conversionem animi ad sua cogitata; hæc autem reflexio quædam illius genericè descriptæ species est, quam universim jam in illa comprehendimus.

409 Corol. Quicumque *reflexione* utitur, ad objectum se convertit, in eoque mentem figit: hoc autem est attendere, ut vulgatus etiam usus fert: reflexio igitur est initium attentionis, quæ a reflexione oritur; ita ut attentio continuata quædam reflexio animi ad objectum sit: ex. g. ingressus templum D. Petri in urbe, magnam illam molem

lem intueor, nihil adhuc in ea distinctè percipiens, nisi partium magnitudinem, e qua satis ab aliis ædificiis, ac templis distinguo: conscius itaque sum, me templum ingressum, longè alia, vel magnificentissima urbis ædificia superans. Deindè altaria singula perlustrans, ad picturas musivo opere elegantes, illarumque partes ad vivum lapillis expressas, singillatim mentem converto: en reflexionem, quæ dum in his animum figit, attentio est.

410 Schol. Alii attentionem vocant, quod nos reflexionem diximus. Pro libitu nimirum nomina imponere licet. Nobis arrisit, reflexionem diuturniorem attentionem nuncupare; qui contra, ac nos, illis utitur vocabulis, rem tenet, nomina mutat. Nobis visum est, magis ad sensum latinæ linguæ accedere nostram explicationem.

411 Corol. 1. Ad distinctas rerum ideas concipiendas attentionem præcipuè juvare, quisque in se experimentum capere potest; ratio etiam suadet. Nam reflexio animum ad notas inspiciendas convertit, easque singillatim considerando, alias ab aliis secernit (407): at ideæ distinctæ illæ sunt, in quibus notæ objectorum discernuntur (Log. 29): quisquis igitur distinctas ideas comparare sibi velit, attentione utatur, necesse est.

412 Corol. 2. Ut in ceteris rebus, sic in animi commentationibus, trahit sua quemque voluptas: quare manifestum est, eo facilius attentionem in studiis diuturniorem fore, quo jucundiora nobis fuerint objecta meditationis. Rursus in litteris, aut officii lege devincti sumus, ut solent juvenes, dum grammaticis aut philosophicis vacant studiis; aut officii lege soluti, operam dare scientiis pro libitu possumus. Adolescentes eo attentionem majorem adhibebunt, quo jucundiora fuerint ipsis studia; quæ animi applicatio & ab ingenua ipsorum indole proficisci debet; & ab auctorum amœnitate, necnon Magistrorum solertia, ac facilitate concilianda est. Qui verò scientias quibus operam navarent sibi delegerunt juxta canones, quos Logicæ art. 298 statuimus; veritatem hujusce corollarii comprobabunt.

413 Attentionis gradus varius pro ingeniorum diversitate semper fuit. Sunt, qui per plures horas meditationi vacant, minima mentis divagatione distracti, ut fuit ille Montmortus Academicus Gallus, mathematicis studiis ita abreptus, ut, instrumentis musicis resonantibus, puero circum clamitante, domusque rumoribus, numquam ab attentione evocaretur. Vallisius, Varignoniusque ad multam noctem elucubrantes, mirabantur, tot horas præteriisse; calculis nimirum subducendis intenti, tempus effluere non sentiebant. Ricatum etiam Bononiæ novimus, qui quum ad prandium evocaretur, quasi somno experrectus,

actus, ad se redibat. In mathematicis studiis hoc præsertim evenire, qui vacant hujusmodi commentationibus, experiuntur. Alii frequentes animi avocationes sentiunt, ita ut numquam cogitationem ad longum tempus in eodem objecto figere valeant. Alii diutius retinent, longè tamen attentionem non protrahunt.

414 Attentionis historiam scribi in votis habebat Bonnetus: elucubratio sanè difficilis isthæc est, ad quam contexendam documenta non suppetunt, nisi si quis observationes in se factas in medium proferat; quibus scilicet juvatam, aut impeditam attentionem suam senserit. Sequentia tamen adnectere monita possumus, quin hanc historiam legerimus, quibus attentio comparetur, aut promoveatur nostræ juventuti. Ac 1mo. Animum ab inordinatis affectibus liberum ad litteras plurimum conducere, attentionemque juvare, monuimus Logicæ nostræ art. 296, ubi, quæ hic dici possent, invenies. 2. Attentionis gradus exercitio comparari, nec viros supra memoratos diuturnam illam attentionem conservare potuisse, nisi paulatim imaginationem retinere, ac ab occursantibus phantasmatibus cohibere didicissent, res est manifestissima. 3. Qui in eodem objecto fixam cogitationem diu retinere, ac dotem maximam attendendi ad id, quod præ manibus habet, consequi cupit, longiores demonstrationes in mathematicis tractare assuescat; ab his enim se mirificè retineri, ac sensim attentionem augeri comperiet. 4. Impedimenta attentionis sedulò removere debet, qui attendendi facultatem promotam velit, maximè in principio, dum phantasiam vagantem ad alia experitur. Secessus musis amicus esse, ac litteris, testatur ille: *carmina secessum scribentis & otia quærunt*. Concussiones etiam vehementes sensuum attentionem distrahunt, cerebro ab sensionibus commoto (337): hinc non secessum tantum, sed locum rumoribus vacuum sectari oportet, qui attentionem constantem obtinere avet. 5. Vulgare est proverbium: *pluribus intentus minor est ad singula sensus*: quare auctor sum, adolescentibus diversa simul studia minimè convenire, prorsusque illorum attentionem corrumpere. 6. Qui imaginationem ab aliarum rerum imaginibus liberam adhibet, facilius attentionem figit in studiis, quod matutino tempore, postquam cerebrum somno præcedentis diei phantasmata consopivit, evenire quisque comperiet. Idcircò confabulationibus, novarum rerum nunciis, negotiis &c. quæ novas imagines in animum inducunt, ante studium valedicendum. 7. Demum, quod mihi supremum attentionis adjumentum semper visum fuit, stylum nocturna versate manu, versate diurna; ita ut, quæcumque legas, in commentaria referas. Vide dicta Logicæ Diss. 4. cap. 4.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Commercio Animæ cum corpore.

415 Ab externorum objectorum concussionibus in nostrum corpus agentibus, ac in ipsum mutationem aliquam excitantibus, animam nostram percieri, res est experientia, plus quam vellemus, comprobata. „ Nec minus, corpore quiescente, ab internis animi pulsibus machinam nostram commoveri, tum in motibus voluntariis, quum etiam internis cogitationibus, ex quibus perturbationes oriuntur, quæ sunt turbidi animorum, concitatique motus, aversi a ratione, & inimicissimi mentis, vitæque tranquillæ. Important enim ægritudines anxias, atque acerbas, animosque affligunt, ac debilitant metu. Iidem inflammant appetitione nimia; quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quamdam animi, a temperantia & moderatione dissidentem „ Tusc. lib. 4. c. 15. Quibus permotionibus animi respondent in membris corporis motus, qui a nulla externa causa producuntur. Ejusmodi igitur inter corpus, & animam actio reciproca *commercium* nuncupatur. Porrò in explicando hoc mirabili naturæ arcano multum desudarunt philosophi tum antiqui, tum recentes: quorum præcipuas opiniones exponam, gravesque, quibus urgentur, difficultates non dissimulabo: „ Nec ego nunc ipse aliquid afferam melius. Omnibus enim ferè in rebus, & maximè in physicis, quid non sit citius, quam quid sit, dixerim „. Tull. de Nat. Deor. lib. 1. c. 21.

§. I.

Systema Harmoniæ præstabilitæ.

416 Leibnitius, qui mundum optimum esse jussit (225), ne quid ad ejus perfectionem deficeret, novam harmoniam excogitavit, qua, veluti saltuares illæ insulæ Plinii, corpus, & anima ad concentum moverentur. Nonnulla de *harmonia præstabilita* Leibnitii in historia philosophica delibavimus; rem hic fusius exponere oportet, ac argumenta, quibus impetitur, indigitare. Nullum, si Leibnitium, ejusque asseclas audias, inter corpus, & animam commercium intercedit; sed omnia, quæ ab ipsis peraguntur, phænomena quædam mirè respondentia sunt, harmonicè ita concordata, ut quæ intrò geruntur in anima, eadem serie repræsententur in corpore. Res altius est derivanda.

417

417 In natura vinculo quodam arctissimo omnia ita catenata sunt, ut a prima cujusque *monadis* (226) directione, reliqua omnia necessario nexu sequantur, in primoque motu ratio sufficiens sequentium reperiatur, quo posito, veluti, qui primum catenæ anulum trahit, ceteri consequantur, necesse est. Ut quæ mundum universum respiciunt, ad singularem casum contrahamus, corpus, & anima duo sunt per leibnitianos automata; corporale unum, spirituale alterum, quorum operationes mechanico quodam vinculo a penè infinita serie ad creationem referente, in æternumque duratura repetendæ sunt. Pedem ex. g. aut manum moveo; hic motus jam a serie primi illius motus in creatione ita determinatus erat, ut fluxu continuo, motu motum protrudente, ad pedem meum, aut manum impellendam devenerit. Nam motus quantitatem eamdem semper in natura conservari, placuit hujus opinationis auctoribus statuere, nullo augmento, nullo decremento imminutam, sed per universalem naturam fluentem, ac refluentem, & omnia ultro, citroque agitantem. Hoc etiam ad animi internos motus est transferendum; ac præsentis voluntatis, seu cogitationis determinatio jam inde ab initio creationis rationem sufficientem habuit, e qua, velut in motu corporali, altera alteram cogitationem determinante, ad præsentem ventum sit; e qua reliquæ deinceps futuræ proficiscentur.

418 Quo rem deducat Leibnitius, ne te morer, audi. *Monas* infinita Deus, utpotè intelligentia immensa pollens, has series motuum tam in anima, quam in corpore futuras prævidens, ac sciens a primo illo impulsu ceteros deinde motus tali ordine consequuturos; in anima pariter ex illa prima interna motione reliquas ejusdem determinationes profecturas, corpus & animam copulavit, ita sibi in serie motuum respondentes, ut mira consonantia, quæ intus in anima geruntur, in corpore pariter agitentur. „ Anima, inquit Wolfius, ita est a Deo creata, ut vi sua sine ope cujusvis causæ omnes suas perceptiones, & appetitiones continuata serie sibi producat, ita ut semper posterioris perceptionis, aut appetitionis ratio sufficiens contineatur in antecedente perceptione, vel appetitione; & corpus ita compactum, ac constitutum est, ut per se solum ex legibus motus sine ulla animæ ope sibi producat omnes suas motiones, itidem continuata serie, ut semper posterioris mutationis ratio sufficiens sit in præcedente. Quocirca etiamsi nullum esset corpus, anima eadem continuata serie omnes eas perceptiones, & appetitiones, quas nunc habet, producere sibi posset: & sublata omni anima, corpus eadem continuata serie omnes motus suos sibi crearet. „ Physic. rat. sect. 3.

419

419 Ex igitur *Harmoniæ præstabilitæ* systema, in quo commercium animæ cum corpore tollitur citius, quam statuitur: tantumque consonantia quædam actionum relinquitur, quæ sine ulla copulatione utriusque provenire posset. Anima Ciceronis in saturni, aut jovis stella commorari poterat, dum Philippicas illas ejusdem corpus exarabat in hac urbe, in senatu, aut pro rostris proferebat. In systemate causarum occasionalium, quod mox dabimus, ac relatè ad causas materiales jam explicuimus (165), etiamsi nec anima in corpus, nec hoc in animam agat, tamen utrumque conjugatum requirit; quæ conjugatio occasionem Deo præbeat motus utrobique pro re nata producendi. Systema etiam *influxus physici*, ut vocant, sive veræ efficientiæ, inter animam, & corpus commercium intimum exigit. Billebius id sequenti illustrat exemplo. „ Concipiamus duo horologia quæ consonare debent: res expedita reddi potest triplici ratione. Una per influxum, si fecerimus, ut alterum agat in alterum, idque vel mutuò, vel ex unica tantum parte. Altera per causas occasionales, si opificem operi comitem fecerimus, qui dissonantia alioquin, vel cessatura a motu horologia singulis momentis dirigat. Tertia si sapienter satis perfecerimus eas machinas artis, ut singulæ suas leges exactè sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaverimus. Ita enim quum utræque easdem, vel similes exequantur leges, semel harmonicæ factæ, numquam dissonabunt. Idemmet exemplum adhibet Bulfingerus, ac ferè omnes auctores ab ipsis mutuarunt.

420 Positio. *Systema harmoniæ præstabilitæ non satis firmis videtur inniti fundamentis; maximasque incurrit difficultates, e quibus non facile se expediunt ejus assertores.* Nam 1. asserto harmoniæ præstabilitæ systemate, omnia quadam necessitate fluunt, libertasque humana, quam ex intima conscientia in nobis extare, atque ex infra dicendis indubium est, prorsus tollitur: at hoc solum sufficeret ad illud convellendum: nullo ergo innititur fundamento. Prob. maj. Libertas humana vel consideratur relatè ad corporis motus, vel ad internas animi affectiones: in neutro autem casu subsistit libertas humana, in systemate harmoniæ. Prob. min. Corporis motus, ipsis fatentibus harmoniæ fautoribus, prorsus ab animi nutibus independentes sunt: atqui animi etiam actiones internæ a principio libero non proficiscuntur. Quod sic probo. Wolfio teste, *semper posterioris perceptionis*, aut *appetitionis ratio sufficiens continetur in antecedente perceptione, vel appetitione*; posita ergo prima perceptione, vel appetitione, reliquæ actiones voluntatis necessario fluxu sequuntur, nec ab ipsa amplius impediri queunt. Nullus evadendi locus hic relinquitur, nisi dixeris, hanc actionum seriem a libera voluntatis electione ponendam, a Deo prævisam, ideòque ita decretam, quia ab ipsa voluntate ita liberè profecturam intellexerit, ut, servatis libertatis juribus, actiones illæ consequerentur.

421 Fateor, ita compositis rebus sartam tectam libertatem servari: attamen hujusmodi responsionem posse in harmoniæ systemate sustineri ad puræ veritatis lumen nimium diffido. Si enim ratio sufficiens præsentis appetitionis in antecedente continetur; voluntatis determinatio non est ratio sufficiens præsentis appetitionis. Quæ igitur libertas stare potest sine exercitio libertatis? Hæc sane diserens Harmonista, qua de re agatur, & in quo causa consistat, non videt. „ Non enim, si alii ad alia propensiores sint propter causas naturales, & antecedentes, idcircò etiam nostrarum voluntatum, atque appetitionum sunt causæ naturales, & antecedentes: nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet ... Si enim omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione consertè, contextèque fiunt. Quod si ita est, omnia necessitas efficit: id si verum est, nihil est in nostra potestate „. Tull. de Fat. cap. 5, & 14. Sed hæc mittamus.

422 2. Systemate harmoniæ admisso, commercium inter corpus, & animam nullo modo explicatur: quod sic ostendo. Duo horologia, quæ sic artificiosè essent constructa, ut mira consonantia omnes motus conformarent, ac, ut ita dicam, ad harmoniæ præstabilitæ leges omnia peragerent, non continuò commercium ullum, & copulationem inter se haberent: at hoc est exemplum, quo harmoniæ defensores cogitatus suos declarant, ut commercium corpus inter, atque animam exponant: nullum igitur erit commercium, nulla copulatio inter utrumque. Vide art. seq. quæ de Archimedis anima disserit Wolnus.

423 3. In harmoniæ præstabilitæ hypothesi omnes certitudinis fontes obcæcantur, quin ullum supersit argumentum, quo idealistas, scepticos &c. confutemus. Nam, hoc fieri posse vel a perspicuitate, vel a sensuum testimonio, sensu communi, vel denique hominum auctoritate docuimus Diss. 4. Log. cap. 2. at hujusmodi veritatis criteria, deceptionis potius fontes dicendi sunt in hoc systemate. Hanc assumptionem sic ostendo. Perspicuum mihi est, & ab intima conscientia, & a sensuum testimonio, tum etiam universali hominum persuasione, & communi sensu, me inter homines degere, cum ipsis sermocinari, eorum animi sensa per verba expressa percipere, cetera: atqui de his dubitare jurè possum, placitis Leibnitii veris extantibus. Alteram hanc assumptionem exemplo singulari

ri a Wolfio desumpto comprobo: „ Archimedes tam sublimia inventa, quibus geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo scripti sunt modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima „ Psych. rat. num. 637. Quis igitur mihi jurè succenseat, si dubitaverim, Archimedis animum inibi tum fuisse præsentem, dum ejus corpus descripsit radio gentibus totum orbem? Id ad omnes humanæ vitæ eventus extendi posse, nemo non videt; quin perspicuitas ipsa rerum, communis sensus, res ipsa per sensus a me atque ab universo hominum cœtu percepta, atque auctoritate firmàta validum sit argumentum, ut credam ea, quæ extrinsecus geruntur, cum interna rerum veritate convenire.

424 Deinde etiamsi nulla extarent corpora, omnia in meo animo ita evenirent, quemadmodum corporibus existentibus. Nego igitur, corpora ulla in rerum natura extare, ac me solum rerum naturam componere contendo. Quomodo probabis, ac me ad confitendum impelles, alia extra me universum habitare? Dices, id a summa Dei bonitate haberi, qui harmoniam hanc præparans, id pracavrt, ne quid in anima gereretur, quin extra ipsam suum objectum responderet. Rem teneo: ratio igitur sufficiens, cur in anima hæ ideæ excitentur, in corpore sita est, ac vicissim. Prob. *Si vel demonstratione, vel experientia pateat, ideò esse A, quod ponatur B; ipsum B erit ipsius A ratio sufficiens . . . quo posito, aliquid ponitur, illud ejus ratio sufficiens est.* Wolf. Ont. 831, & 866. enimverò *positis mutationibus in corpore, poni mutationes in anima: illis verò sublatis, hæ quoque tolli: istis impeditis, has etiam non oriri: ac similiter, posita volitione animæ, poni motus voluntarios in corpore; posita nolitione, hos cessare, vel prorsus impediri*, fatetur prælaudatus auctor: Psychol. rat. num. 337.

425 Demum, ne longius rem protraham, innumerabiles actiones sunt, in quibus nulla ratio sufficiens in antecedente reperiatur, quæ consequentem determinare posset; nec ulla connexio ideas antecedentes consequentibus adnectens: sic dum ambulamus, gradum interdum sistimus, directionem contrariam tenemus; dum legimus lexica seriem verborum insistendo, ideas prorsus inconnexas habemus, quin *posterioris perceptionis ratio sufficiens contineatur*, imò ne contineri possit in antecedente; adeò sunt invicem distinctæ, ac separatæ. En lexicon casu aperui latinæ linguæ, in quo lego: *Adjuvo, adlaboro, adlambens, adlavo, adlivescit &c.* quæ demum connexio inter has ideas se invicem excipientes, quæ altera alteram trudere possit, ut menti obversentur eo ordine, quo se in lexico excipiunt? Quod si dicas ita se excipere hujusmodi inconnexas ideas

ideas in mente; quia Deus prævidens lectionem meam in lexico, sic easdem in mente disposuit, quemadmodum in oculis erant comparituræ; hoc demum est occasionalistarum systema, cothurno mutato, in scenam proferre. Ille enim Deum ponit actu agentem in anima, & corpore, occasione motionum utrobique enascentium: tu Deum ab æternitate res ita disponentem, ut *positis mutationibus in corpore, ponantur mutationes in anima, ac similiter posita volitione animæ, ponantur motus voluntarii in corpore*; quod verbis fere totidem ab occasionalistis exprimitur: ut jamnum visuri sumus.

§. II.

Systema assistentiæ, seu Causarum Occasionalium.

426 Cartesiani ut commercium animæ cum corpore explicarent, ad systema causarum occasionalium (165) confugerunt: quibus etiam subscripsit Para, a cartesianis ceteroqui plerumque dissidens. Si hos philosophos audias, Deus immediate tot in anima producit sensationes, quot corpus ab impressionibus in organa factis mutationes subit. In corpus item eos motus inducit, quos ab animæ motionibus imprimi oportet, quin ullus inter utramque intercedat actionum influxus, ac physica causalitas, nisi eo sensu, quo ad præsentiam unius tamquam conditionis aliud ponitur; talique conditione deficiente, non produceretur. Pluribus in hoc systema invehunt influxus physici assertores, quæ partim citato art. 165 jam dedimus, reliqua hic tradituri. Ne tamen aliquid detraxisse videar roboris, concertationem alibi inter duos auctores institutam ad exitum perducam, eorumdem verbis retentis, ut quisque pro animi sententia litem dirimat, aut injudicatam relinquat.

Systema isthuc, inquit Makus, sustineri non potest: gravissimis enim difficultatibus est implicatum. „ Et quidem 1. vel omnes omninò animi affectiones a Deo efficerentur; vel aliquæ dumtaxat: si omnes, nulla in nobis erit libertas, imò ne anima quidem: unde enim eam esse demonstrabimus? Si aliquas, cur non omnes? an plus requiritur efficacitatis ad efficiendas has, quam illas? cur non internoscit anima eas, quas ipsa vi sua progignit, ab illis, quas in ea Deus imprimit? cur eumdem planèque similem de omnibus sensum habet? Certè clarissimè sensit Josue, quid interesset inter cessationem solis a cursu suo, cui occasionem tantum ipse præbuit, & inter hastæ vibrationem, quæ ab ipso profecta est. 2. Si hæc opinio valeat, omnes animi, corporisque motus habendi erunt in miraculis: ut quorum effectrix causa na-

turæ universitate nequaquam contineatur. Neque eos e prodigiorum sensu eximas propterea, quod anima, & corpus iis efficiendis occasionem suppeditent: nam & Lazari in vitam revocationi occasionem preces sororum præbuere; an idcircò minus habenda est prodigiosa? Systemate hoc animæ & corporis conjunctio prorsus non explicatur. Quid, quæso, doceret ille, qui ad elateris præsentiam, indicem horologii a Deo percieri, & contra contenderet? quod quidem in cartesianos vel in primis valet, qui explicationes rerum omnium planissimas profitentur. Magna stultitia est, inquit Cicero, earum rerum Deos facere effectores, causas rerum non quærere. Quidquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat in natura, necesse est. „ Mako Psychol. n. 447.

Audiamus nunc Param, & impugnantem, & respondentem: „ Anima, inquit, humana non videtur apta motum producere, ut causa efficiens: ergo verisimile est, varios motus tum liberos, tum necessarios humani corporis causam efficientem habere, quæ sit substantia ab anima humana omninò distincta. Dem. Animæ humanæ propria est *intrinseca activitas*, & *intrinseca intelligentia*. Hinc a natura sua binas proprietates excludit, quæ materiam ineptam efficiunt, ut sit causa efficiens motus. At intrinseca hæc animæ intelligentia & activitas tanta ne est, ut eam constituant aptam motum producere ut causam efficientem? Non videtur. Ut enim anima sit causa efficiens motus præsertim regularis, qui in corpore ab ipsa animato habetur; deberet intrinseca ejus activitas aliquod *actionis medium* habere in partes movendas, & ejus intelligentia aliquam partium movendarum *distinctam cognitionem*. Atqui duo hæc animæ humanæ deesse videntur ad motus liberos, aut necessarios corporis, quod animat, excitandos.

1. *Anima humana nullum actionis medium habere videtur in partes humani corporis movendas*. Activa, est at ejus activitatis intra suam naturam circumscriptæ objectum esse videntur tantum modificationes quædam, quæ in ipsa sunt, & quarum ipsa subjectum est. Activa est, at ejus activitas ita limitata esse videtur, ut tantum producat tamquam causa efficiens quasdam ideas, quædam judicia, innumera ratiocinia, volitiones plurimas, ac liberas determinationes, nulla ipsi data actione efficiente extra naturam suam, & in corpus, cui conjuncta est.

Si anima humana motum fibris, nervis, spiritibus animalibus corporis, cui conjuncta est, indere potest actione sibi propria & intrinseca, ratione cujus re ipsa fiat motus producti causa efficiens; nulla alia ratione concipi potest motum hunc indere posse, nisi aliquo ex tribus hisce mediis, nempe aut *cognitionibus* suis, aut *volitionibus*, aut *sensationibus*, sive sensibus: triplices enim hæ modificationes omnes, quas novimus, accidentales animæ proprietates complectuntur. Atqui sensus intimi testimonio nobis constat, nullam nos concipere proportionem, nullumque nexum inter cognitiones nostras, aut volitiones, aut sensationes, sive actus, et modificationes quascumque animæ nostræ, et nostrarum fibrarum, nostrorumque nervorum, et spirituum animalium motum. Imò potius concipere vi demur, nullam inter varias animæ modificationes, et materiam quamcumque movendam proportionem, nullumque nexum haberi, aut haberi posse. Ex. g. quænam *connexio efficiens* haberi potest inter volitionem meam, et brachii mei motum, aut quietem? Si mea volitio brachii mei motum pro libito producit, aut extinguit: quare volitio mea pro libito ut causa efficiens pulmonum meorum sanguinis, spirituum animalium motum non extinguit?

2. *Anima humana partium humani corporis movendarum nullam distinctam cognitionem habere videtur*. Quod tamen necessarium esset, ut diversorum motuum liberorum, & necessariorum, qui in ipso fiunt, esset causa efficiens. Si quoque supponamus, habere animam humanam aliquod actionis medium in fibras, & organa, corpus, quod animat, moventia; ut tamquam causa efficiens motus tum liberos, tum necessarios, qui dantur, produceret, necesse profectò esset, ut totum eorum artificium penitus dignosceret; ut brachii, pedis, linguæ, cordis, pulmonis, stomachi, ceterarumque partium fibras accuratissime distingueret; ceterum, pedem moveret ex. g. quum lingua movenda est: & machina humana exquisiti artis automatis sorti suberset, quod ignaro, & artificii inscio dirigendum, & ad motum disponendum committeretur.

Atqui sensus intimus noster monet, nihil horum nobis notum esse: nos nullo pacto interius artificium dignoscere, quo machina ad motum excitatur; nos fibras pedis, & brachii motrices a fibris oculi, & linguæ motricibus non distinguere: ubi motus incipiat, quo transmittatur penitus ignorare, & cur hic potius, quam alius motus; qua ratione in nobis enascatur, qua perseveret & motus species, & quantitas a diversis nostris necessitatibus, positionibus, affectionibus, volitionibus requisita. Nulla igitur ratione verisimile videtur, animam humanam esse causam efficientem motus, qui in corpore ab ipsa animato habetur. Ergo verisimile est varios humani corporis motus seu liberos, seu necessarios, transeuntes, aut permanentes a causa efficiente produci, quæ ab anima humana prorsus distincta sit „.

Nota. *Mitto aliqua argumenta, quæ hic sibi objicit auctor*,

Eler, ex quibus probare intenditur, Deum auctorem fore peccati, si causarum occasionalium systema verum esset: hæc enim æquè influxus physici assertores urgent; qui sanè optimè satisfaciunt, ajentes: Deum illas actiones efficere tamquam causam universalem ad agendum, a prava voluntatis inclinatione determinatam, cum qua concurrere debet ad actiones physicas, si tantam tectam velit libertatem: quod causis occasionalibus suo modo applicant adsistentiæ propugnatores. Sequentia argumenta occasionalistas tantum vexant.

1. „ Si anima humana non est causa efficiens, sed *occasionalis* tantum diversorum motuum humani corporis, sequetur, hominem semper posse aut suo, aut alterius cuivis corpori, quam libuerit indere indefinitam motus quantitatem; productio enim motus necessariò pendet a libera volitione illum petente, & ejus existentiam determinante: porrò humana voluntas semper petere, & determinare potest, quam libuerit, tum in proprio, tum in aliis corporibus, *indefinitam* motus *quantitatem*.

Resp. Deus, qui motus nostros liberos producit consequenter ad nostras liberas volitiones, non pro voluntatis nostræ libidine eos producit, sed ad *leges generales* ab ipso statutas, a quibus motus productionem pendere vult. 1. Liberæ nostræ volitiones nequeunt esse causa occasionalis nisi primitivi motus impressi, aut spiritibus, aut fibris nostris motricibus. Porrò causalitas hæc occasionalis semper, aut spirituum animalium, aut fibrarum motricium naturæ est proportionata. 2. Primitivus hic spirituum animalium, aut fibrarum motricium motus est deindè causa occasionalis motus reliquo nostro corpori imprimendi; puta carni, atque ossibus, quibus brachium, aut crus constat; atque ita de ceteris. 3. Motus hic nostri corporis est tandem *causa occasionalis* motus aliis corporibus imprimendi.

Hinc sequitur, non a voluntatis nostræ libidine pendere, ut nostro corpori *arbitrariam* motus *quantitatem* tribuamus, naturam nostram excedentem: neque aliis corporibus a nobis sejunctis, & quæ attingere non valemus; neque iis, quæ attingere valemus, sed quorum massa immensa esset: hæc enim vim habent resistendi motui cuivis primitivo spirituum nostrorum animalium, aut fibrarum nostrarum motricium, a quibus universa vis motrix nostri corporis, et corporum procedit, quæ ut causa occasionalis posset ad motum excitare „.

Obj. 2. „ Si Deus est unica causa efficiens motus; ad quid mirum, & humani corporis, & brutorum artificium? Quare post vehementes motus, quos Deus tantum efficit, lassi, & fatigati sumus? R. Si Deus nullas certas leges in motus productione, & communicatione sequeretur, objectio aliquid valeret, sed, positis hisce legibus, nihil valet. 1. *Mirum* hominis, & brutorum *artificium*, cui evidenter infinita intelligentia præest, in nostra hypothesi non est inutile. Inservit enim evidenter, juxta Dei dispositiones, quantum opus est, primo ne diversæ animalis corporis partes diffringantur, aut luxentur in diversis concussionibus, quas in eorum ministerio subire debent: deinde ut vel minimus motus sensibiliter, juxta individui exigentiam, diversis partibus sensibilibus, aut insensibilibus humani corporis communicetur, quæ juxta generales communicationis motus leges contingere nequirent in hominis, aut brutorum corpore, si rudis illud, & informis moles esset „.

„ Unius lucis fasciculi motus satis sensibiliter tenuissimas oculi fibras concutit, ut claram, ac distinctam objecti, lucem hanc emittentis, aut reflectentis, sensationem habeam. Si hic idem motus non fibras maxime mobiles in intimis oculi offenderet, sed rudem, aut nimis gravem materiam tantum, quid contingeret? Se nimium dividens, aut nimiam resistentiam inveniens, nullus fieret, & insensibilis, nec claram, ac distinctam sensationem pareret, cujus occasio est. Non igitur oculi fibrarum tenuitas, ac mobilitas in nostra hypothesi inutilis est; juxta enim generales communicationis motus leges necessariæ sunt, ut sensationis, quam experior, occasio sint. Idem dici posset de organis auditus, olfactus, gustus, tactus, de universo humani corporis machinamento, eademque ratione de omnium brutorum corpore.

2. Satis frequens disputationum philosophicarum vitium est, ut contra hypothesim aliquam objiciatur, quod *contra hypotheses omnes* æquè facit, ne illa quidem excepta, quæ admittitur, aut quæ impugnatæ necessariò sufficienda est. En rei hujus exemplum, quod breviter innuere opportunum est. Nostræ hypothesi objicitur, quod nobis in quavis alia hypothesi insolubile videtur. -- Nonne absurdum est dicere (ut dicunt, aut dicere tenentur, qui animam volunt causam efficientem motus sui corporis), animam *lassitudinis sensationem* experiri, quod in ipsa post violentos, ac diuturnos motus vis motrix exhauriatur? Quid enim est hæc animæ vis motrix? est ne anima ipsa? at anima non exhauritur. Est ne quid in anima ab ipsa distinctum? ast anima est substantia simplex, omnem natura substantialem compositionem excludens, quæ tantum virtutem, aut vim motricem habere posset.

Quænam igitur hujus *sensationis lassitudinis* causa, aut occasio est, quam post diuturnum, aut nimis gravem laborem experimur? Facile est in nostra hypothesi præclarum hoc problema solvere. Quare itaque hanc lassitu-

dinis sensationem experimur? quia in nimis diuturno aut nimis violento motu, nimis magnam *spirituum animalium dissipationem*, ac *jacturam* corpus nostrum patitur; atque hæc spirituum animalium jactura est causa occasionalis, cui Deus hanc sensationem adjecit, ut sitis sensationem partium humidarum jacturæ, sensationem famis partium nutrientium jacturæ adjecit. „

Object. 3. „ Si homo suorum motuum non est causa efficiens, quare illi agentis denominatio tribuitur, quum non agat? R. Diversi hominis motus, præsertim qui liberi vocantur, homini jurè tribuuntur; ipse enim conditionem ponit, seu *causam occasionalem*, quæ hos motus pariat. Homo igitur verè *physicè* in hos motus *influit*; neque enim haberentur, si actu suæ voluntatis homo eos existere non faceret.

Object. 4. „ Nulla major datur connexio inter Dei voluntatem, & motus productionem in natura, ac inter meam voluntatem, & productionem motus in meo corpore: ergo aut negandum, a Deo posse moturi produci; aut fatendum, ab anima humana posse produci. Resp. Omnia Dei actionem in materialem naturam annuntiant, & ostendunt: nihil animæ humanæ in humanum corpus actionem indicat, aut probat. Nulla ergo a Deo ad animam humanam, aut ab hac ad Deum illatio.

1. Deus est ens natura, & perfectionibus essentialiter infinitum. Ejus igitur voluntas concipitur necessariò infinitè per se activa, & efficax, etsi ignotus nobis sit modus, quo agit. Intelligitur ergo, posse ejus voluntatem motum in materiali natura producere, etsi ignota nobis connexio sit hujus voluntatis cum motu producendo. 2. Contra; homo natura, & perfectionibus essentialiter limitatus est. Intelligitur ergo, non posse quoscumque effectus producere. Intelligitur ergo, effectus, quibus nullam proportionem dicit, illi non esse tribuendos. Atqui hujusmodi est motus humani corporis, qui datur, nec esse potest aut a materiali, aut a spirituali substantia, quarum compositum hominem constituit.

3. Motus regulares, & permanentes naturæ visibilis necessariò ostendunt *virtutem motricem in divina voluntate*: evidens enim est, motus hos dari; nec dari posse, nisi voluntate efficiente causæ infinitæ intelligentis, & activæ: porrò hæc nonnisi Deus esse potest. Motus humani corporis liberi, aut necessarii non item *in humana voluntate virtutem motricem* indicant: fieri enim evidenter potest, ut Deus sit eorum causa efficiens, & humana voluntas sit eorum causa, tantum occasionalis.

4. Anima nostra, fortasse inquies, ita virtutem suam motricem sentit, ut existentiam suam sentit; ergo de illa, ut

ut de hac certa est. At in hoc manifestus est error, & æquivocatio, qua *sensus persuasionis* cum sensu objecti hujus persuasionis confunditur. Anima nostra putare potest, aut sibi persuadere, *se in corpus suum virtutem activam habere*, quin hinc sequatur hanc activam virtutem habere: sicuti putare potest, aut sibi persuadere, materiam virtutem activam habere, quin hujus opinionis, aut persuasionis objectum re ipsa existat. At error nihil probat; & *persuasio non est semper demonstratio*, saltem apud philosophos.

Object. tandem: „ Si Deus esset cujuscumque motus causa efficiens, nullus daretur motus vitiosus; & venator ex. gr. in leporem collimans, illum numquam non trajiceret. Venator enim, quantum in se est, omnia præstat, quæ ad ictum in leporem dirigendum sunt necessaria; Deus verò numquam fallitur in directione, & motu fistulæ venatoriæ tribuendo, ut lepus trajiciatur: ergo lepus semper trajici deberet. Resp. Deus est, qui & corporis nostri, & corporum, in quæ agere videmur, motus efficit. At nos sumus, qui eorum magis, minusque promptam, & magis, aut minus aptam directionem determinamus: porrò motus hi tandem a primitivo spirituum animalium, aut fibrarum motricium motu derivantur.

1. Deus in motu producendo numquam fallitur. Semper immutabiliter præcisam motus qualitatem, & quantitatem efficit, quam ex generalibus communicationis motus legibus postulat *causa occasionalis* a re creata, sive materiali, sive immateriali, intelligente, sive non intelligente, libera, aut necessaria illi exhibita. At res creata intelligens, & libera, de qua hic sermo, non semper Deo causam occasionalem exhibet, unde motus consequatur ab ipsa intentus. —— Tunc verò non motus ab ipsa intentus, sed omninò diversus emergere debet: ipsa verò tunc fallitur, non auctor motus. Ex. gr. cur venatoris ictus leporem, aut perdicem non attingit, in quam collimat? quia in spiritibus suis animalibus, vel in suis fibris motricibus, motus qualitatem, & quantitatem determinat, quæ cetera non ita disponit, ut venatoria fistula in leporem, aut perdicem trajiciendum recte dirigatur. Idem dicas de ludente pilis eburneis in abaco, qui in pilam in quam collimat, ea, quam trudit, non impingit; deque similibus.

2. Experientia, & consuetudo sensim sine sensu animam docet, causam occasionalem ponere, a qua in spiritibus animalibus, sive in fibris motricibus motus enasci debet aptus effectum certò producere quem intendit: ex. gr. quid in venatore præstat venandi consuetudo? Efficit, ut anima exerceatur, & assuescat, eam velle motus qua-

litatem & quantitatem, quæ in spiritibus animalibus, aut in fibris motricibus necessaria est, unde oculus, & brachium celeritate opportuna moveantur. Efficit quoque, ut anima exerceatur, & assuescat, citò, & exactè angulos directionis definire, sub quibus fistula venatoria collimari debet, ut scopus attingatur. Quare venator ictu suo aberrat, quia vel diligentiam non satis adhibens, vel experientia carens, voluntate sua exigit, ac determinat in spiritibus, vel fibris motricibus *motum ineptum*, seu motum, quo juxta generales communicationis motus leges, objectum, in quod collimat, attingi non debet. Non ita aberrabit, quum experientia, & usus illum docuerint in suis spiritibus animalibus, aut in fibris motricibus quantitatem, qualitatem, directionem motus ab effecto obtinendo requisitam aptius determinare. Idem dici potest de ludentibus pilis eburneis in abaco, aut reticulo in sphæristerio, ac de ceteris. Illos usus docet, causam occasionalem aptius dignoscere, ac determinare, a qua intentorum motuum series universa procedit „. Para Met. tom. 3. a num. 1223.

§. III.

Systema Influxus physici.

427 Reliquum est systema *causarum efficientium*, sive, ut jam loquendi suscepit consuetudo, systema *influxus physici*, situm in vera, ac mutua efficientia, quæ animo adversus corpus, & huic adversus animam attribuitur. Docent nimirum ejus defensores, naturas has plurimum dissimiles, ita sibi esse adstrictas, ac devinctas, ut altera in alteram verè, atque efficienter influat; neque tamen ea actione ex una in alteram quidquam transferri; sed impressis in sensu motionibus, & nervorum ope ad cerebrum usque propagatis, mentem ad informandas rerum notiones determinari; & vicissim suborta in animo voluntate membri cujuspiam commovendi, nervos continuo impelli, motusque in eo membro voluntarios consequi. Quare opinantur hi philosophi sæpè in humano corpore inchoari motus, qui causam in corpore ipso antecedentem non habeant, sed ex animi appetitu, & movendi facultate progignantur: sæpe item ad mentis arbitrium motiones in membris extingui, nullo in natura corporea motu consequente.

Systema causarum efficientium, etiamsi obscuritate non modica sit implicitum, defendi tamen posse videtur. In primis enim ex eo intelligitur, quomodo corpus animo instructum vivat; quo item modo mens corpori unita ex ve-

vero dicatur: quod utrumque in systematis superioribus explicari nullo pacto potest. Deindè sentimus profectò, animam pro varia corporis mutatione vario modo affici; nunc dolore, cujus est morsus acerrimus, nonc voluptate perfundi: modò languere, modò vigere, & ad exequendum munus suum aptissimam esse: unde admodum est verisimile, corporis impulsionibus animum revera appeti, ac affici. Videmus præterea, ad mentis nutum motiones in membris voluntarias, admirabili celeritate, & constantia consequi: igitur probabile est, eas a mente ipsa proficisci: ut adeò systema hoc primi defensores ab ipsa natura didicisse, non ipsi reperisse videantur. Quid quod nulla umquam ratio sufficiens proferri possit, cur ideæ in nobis tam dissimiles enascantur, nisi ad pulsiones in organis impressas confugiamus? Denique Wolfius, adversarius in primis acer, fateri coactus est, eam observari in animo, & corpore colligationem, quæ esset, si veram in sese efficientiam exercerent: quum ergo in ea efficientia neque repugnantia ostendi ulla possit, & effectus omnes mirum in modum consentiant, nihil causæ est, cur eam sententiam repudiemus. Nam qui propter naturarum dissimilitudinem facultatem corpus movendi ab animo submovent, hi illam a Deo submovere debent: earum proindè oratio non jam a philosopho, sed a religioso censore opprimenda est „.

„ Schol. Qui dimicationem contra hoc systema susceperunt, plura confestim agglomerant, quæ nulla defendi ratione posse videntur; nos selectione quadam utemur, & summa tantum capita perstringemus. Ajunt itaque 1. hanc opinionem non posse sustineri, nisi concedatur ex animo in corpus, & vicissim ex corpore in animam quidpiam transfundi, idque sonare ipsum *influxus physici* vocabulum. Wolfius hac in re disputat, quasi de verbo, non de re laboretur. Quum corpus in mentem agere, aut fluere contendimus, pingui sit ingenio, oportet, qui sic accipiat, quasi si Vienna influat in Danubium: id intelligimus, vim dumtaxat, ac naturam mentis a commotionibus cerebri sic affici, ac dirigi, ut repræsentationes in ea oriantur, minimè verò ideas rerum externarum e corpore in mentem quasi commeare. Similiter, quum mens commovere manus, aut pedes dicitur, non est putanda motum quemdam suum eis impertiri: sed vim, quæ corporis elementis insita est, sic excitare, & quodammodo determinare, ut motus demum in his partibus consequantur. Certè ne tum quidem, dum corpora in sese agunt, quidpiam effluit de uno in alterum. Sed quoniam neque mentis indolem, neque structuram nostri corporis intimè pervidemus, non parva semper obscuritas in his enucleatè

tè explicandis residebit: & plæraque in scholis disceptata ex eo sunt genere, quod, quum quis præclare didicerit, nihil sciat. Illud certum, agitationibus cerebri animo non communicari motum quemdam intestinum corporibus proprium; sed eum modo naturæ suæ conveniente ad agendum determinari.

2. Negant ab anima posse percieri membra corporis, ut cui prorsus ignota sit admirabilis nervorum, & musculorum structura, quorum tamen ope hæ membrorum motiones efficerentur. Verum quis est tam excors, quem ista moveant? Responsum occupavit illustris Kautzenius in syst. caus. effi. c. p. 193. „ Concipe, inquit, ab ingenioso quodam artifice fontem quemdam ad artis mechanicæ & hydraulicæ amussim ita constructum esse, ut quam primum asserculi, per quos aditus ad fontem datur, incedentium gressu deprimuntur, occulto mechanismo variarum rotarum, funiumque ope sub asseribus absconditorum, aliæ atque aliæ mirificæ species e fonte confestim prosiliant, quales v. g. fontes, Kircherus, Schottus, aliique describunt. Concipe jam tibi puerulo ad hocce spectaculum admisso, dum hac accurrit, Neptunum cum tridente minaci obviam fieri; dum illac, Nereides, ex alia parte Glaucum marinum, alibi vero Delphinos, & sic porrò. Puer iste mechanismi absconditi ignarus, nec ad omnia præsentia attentus, non observabit, se revera actione sua producere hosce effectus: observabit tamen, si adversus eam partem processerit, semper sibi hoc potius, quam aliud obviam fieri objectum: poterit igitur jam pro libito hæc phænomena moderari, ac si v. g. Neptuni, ac sceptri ejusdem tricipitis contemplatione delectetur, efficere, ut prodeat, si scilicet versus certam plagam accurrat. Nemo dubitaverit, puerum horum motuum causam esse, ac actione sua phænomena producere. „ Patet hoc exemplo, aliisque innumeris, ad movendam machinam hanc corpoream opus non esse, ut menti omnis ejus constructio penitus comperta sit.

3. Quærunt, quinam possit fieri, ut mens cerebri pulsiones planè ignoret, si ab his veluti pervellatur, atque ad agendum excitetur? at quæri ex adversariis vicissim potest, quinam fiat, ut animus res extrinsecus positas, & magnis sæpè disjunctas intervallis acutè pervideat, cerebri tamen commissuras, & mirabilem coagmentationem, cui intimè præsens sit, non perspiciat? Sed missa hac quæstione, nodum hunc solvit Juancsicsius Inst. Met. disp. 4. p 240. hunc in modum: „ In quavis profectò sensatione immediatè percipit mens motionem cerebri a motione externi sensorii propagatam, uti infra declarabo: tumque hoc veluti nuncio, & signo rei illius, quæ in sen-

sensorium impressionem fecit, accepto, ad rem eamdem convertitur. Interea quum sensus nobis ab Auctore naturæ eo fine dati sint, ut per eos veluti fenestras, nuncios ac interpretes, intelligeremus ad usum vitæ res externas; nec ob brevitatem mentis nostræ ad res istas, quantum ad vitæ rationes satis est, adverteremus, si attentionem harum impressionum, quas illæ dependenter a sensoriis externis in cerebro excitant, occuparemur: idcircò sapientissima ejusdem Auctoris naturæ dispositione ita comparati sumus, ut impressiones illas neque percipiamus clarè, & distinctè, prout in nobis peraguntur: nec in illas attentionem nostram defigamus; sed ut primum ipsas percipimus, ad objecta, a quibus adveniunt, convertamur. Propterea que nec consideramus impressiones has, tamquam cerebri nostri affectiones; sed veluti qualitates objectorum sensibilium per sensus nobis significatas; ut adeò perceptionem ipsarum cum perceptione horumce objectorum confundamus; nec tam illas, quam hæc immediatè percipere nobis videamur. Hinc fit, ut neque conscii nobis simus, impressiones easdem nos percipere; neque sciamus, quo pacto, quave cerebri parte peragantur. „

4. Queruntur, præcipuam quamdam naturæ legem subduci, & convelli propterea, quod si ea opinio valeat, non eadem constanter obtineat virium vivarum in mundo quantitas, quum vis quædam movens oriatur in materia aliqua, quæ ex nulla alia in eam derivetur; & quædam in gratiam animæ intereat, quin ulla alibi progignatur. Verum scire in primis ex Wolfio pervelim, qui ista objicit, ubinam demonstraverit, vires quasdam vivas in natura esse, aut si sint, eas a quantitate motus omninò distingui? Sunt sanè hodie homines doctissimi, qui putent, effectus omnes ita pendere a vi inertiæ, & minimis, ac perpetuò pereuntibus potentiarum actionibus, ut vires vivæ sint planè superfluæ: sunt, qui eas a motus quantitate nihil differre arbitrentur, Wolfiumque ea in re egregiè refellant; in horum sententia lex illa decantata locum non habet. Sed demus eam reapse extare: an uspiam obtinebit alibi, quam in corporum collisionibus, in quibus solis ante; & post conflictum eadem illa virium quantitas habebitur? Certè res est indubitata in elasticorum corporum incursionibus velocitatem comparativam eamdem semper conservari: idem tamen in aliorum conflictu non obtinet: an ergo idcircò perturbari naturæ ordinem clamitabunt? non opinor: alia quippè est hujus, alia superioris collisionis natura. Similiter ergo de naturæ perturbatione queri desinant, si eam legem mutua corporis, ac animi actio non sequatur; aut probent, his quoque naturis in sese agentibus legem eamdem esse præ-

sti-

stitutam ; quod quidem nunquam efficient, quum lex ipsa generalis Neutoni, ex qua speciales motuum regulæ dimanant, accomodari ad animum nequeat.

5. Sunt, qui hanc sententiam pugnare cum animorum immortalitate arbitrentur. Si enim efficienter influat corpus in animum, censent, illum corpore isto exsolutum aut vivere, aut aliquid operari non posse, ut cui desit adminiculum ad agendum necessarium. Ego verò miror hæc a quoquam objici, qui se in Leibnitii sectatoribus profiteatur: non enim debuit ignorare virum illustrem in ea fuisse opinione, ut putarit, numquam defore animabus corpora subtiliora, etiam quum ex his crassioribus emigraverint. Sed utcumque istud sit, animus terrenis his vinculis exsolutus poterit sanè modo longè nobiliore actiones suas exercere, quas quidem nunc, corpore adjuvante, efficit, non propter naturæ suæ imbecillitatem, sed propter arctissimam cum eo domicilio copulationem. Quemadmodum ergo ridiculus sis, si, quod inclusus in carcere solem absque fenestra contueri nequeas, ex eo velis efficere nihil te, quum carcere exieris, posse cernere: ita quamvis animus propter corporis terreni consortionem non queat quidquam sine ejusdem adjumento percipere, perperam hinc colligas, eum, quum liber evolaverit, circumjecta corpora non posse comprehendere. „ Ea profectò tam multò puriora ac dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, liber animus pervenerit: nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, calidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis, concretisque corporibus sunt intercepta quodammodo; quum autem nihil erit præter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit „. Cic. Tusc. Quæst. lib. 1. cap. 10.

6. Duo celeberrimus harmoniæ leibnitianæ propugnator Bulfingerus objicit. Ac primo quidem in Dilucid. Phil. §. 327. hunc in modum disputat. „ In quocumque entium genere effectus non est tantus, quantus seriò intenditur; ibi datur proportio inter vires ad effectus applicatas, & quantitatem ipsius effectus: ille igitur effectus non dependet a viribus cum effectu quoad proportionem incomparabilibus; atqui vires animi, & corporis motus sunt quoad proportionem incomparabiles: ergo effectus, quales in corpore movendo experimur, non procedunt a viribus animæ „. Deindè in tract. de Harm. præst. ait, admissa corporis in animam efficacia, effectum causa sua majorem fore, quod perabsurdum est. Contendit enim integrum, ac plenum effectum corporis nostri viribus respondentem esse motiones cerebri; causam ergo ab effectu vinci, si perceptiones, quæ in mente conformantur, eisdem insuper at-

tribuantur. Hæc ille. Sed neutrum est lethale telum: nam quod ad primum attinet, si vox *proportionis* apud Bulfingerum sonet comparationem duarum rerum, quæ ejusdem sint generis, sive quarum utraque ad eamdem unitatem revocetur, quis umquam dabit inter quamvis causam, & effectum eam proportionem intercedere? Certè si id universè valeat, ne ipsa quidem vis animi erit ad suas actiones comparabilis, ac proindè non erit causa perceptionum, quod utique nec ipse assentit adversarius. Sin autem vocabulo *proportionis* ea subjecta sit notio, quam subjicere communiter geometræ consolent; verum profectò non est, vires animi ad corporis motus non esse comparabiles: earum enim virium contentioni motuum in corpore quantitas accurata semper proportione respondebit, ita ut vis major incitationem, vis minor debiliorem motum constanter efficiat. Sed & telum alterum facile retundimus. Corpori aliam a motu effectionem nos quidem minimè assignamus, neque enim ideas in animo procudi a corpore dicimus, sed a mente ipsa motione cerebri veluti admonita. Quare plena corporis effectio motus, est animæ perceptio. Si quis ad extremum dubitet, unde ingentes illæ membroram incitationes possint ab animo effici, adeat doctissimum Borellum, qui incredibiles musculorum vires e principiis mechanicis accuratissimè demonstravit: nobis enim neque otium, neque propositum est ista minutatim persequi. „ Mako Psychol. cap. XI.

428 Schol. In Diss. 1ma. c. 5. §. 1. exscriptis, ut nunc, Paræ, ac Maki sententiis, exposuimus, quid nobis occurreret, ut intricatissimam hanc quæstionem, si fieri posset, nonnihil enodaremus. Nec aliud hic nobis addendum ad ea, quæ inibi diximus, superest, nisi ad casum singularem commercii animæ cum corpore derivare. Ac primò quidem corpus in animam motus transferre, ac mediis nervorum, ac fibrillarum cerebri concussionibus externorum objectorum impressiones ad ipsam animæ substantiam concutiendam propagare; res est notiones philosophicas pervertens, quas de essentiali discrimine materiam inter, ac spiritum hactenus tradidimus, ac deinceps exponemus, ferè omnium philosophorum, qui *Materialistæ* non audiunt, suffragio comprobatas. Audiatur recentissimus omnium Antonius Ludenna, cujus Metaphysica Camerini non ita pridem edita nuper in manus venit.

„ Hoc quidem systema (influxus physici), quod omnes ferè scholastici tenuere, quum obscurissimum sit, tum ex eo animos nostros corporeos esse, nec a materia secretos facilè quisque demonstrare poterit, dummodò per influxum physicum vera actio, et physica corporis in animum intelligatur, nec ad alium sensum transferatur vox; ac

ac propterea ne defendi quidem posse judicamus, illæsis juribus religionis. Quare nihil mirum est, quod nostris temporibus hoc totum systema ubique probatum ac receptum fuerit ab his præsertim, qui animorum, et materiæ vires invicem confundere, et permiscere satagebant, vel certè vires materiæ ultra æquum perducere voluerunt. Contra hos igitur potissimum agendum, qui quæstionem vero sensu intelligentes, tantam esse vim materiæ constituerunt, ut verè ea possit in spiritum agere.... Etenim si corpus in animum physicè ageret, physicamque actionem exerceret, nonne motum ipsi corporeum imprimeret, et verè communicaret? Atqui hæc motus communicatio fieri nulla ratione potest, nec planè intelligi, nisi spiritus concretus, et corporeus, et prorsus impenetrabilis habeatur... Atque hoc quidem argumentum ita efficax, et robustum existimo, ut eo penitus conficiatur, vires materiæ diversis esse generis, et ordinis, si viribus spiritus comparentur „. Metaph. lib. 3. cap. 4.

2. Etiamsi hoc absurdum in actione animæ respectu corporis non adeò luculenter eluceat; tamen ob diversitatem utriusque naturæ nulla proportio videtur intercedere inter actiones spirituales, quales sunt illæ animi, ac motiones corporis ab illis excitandas, si hæ per emanationem quamdam, aut fluxum physicum ab una in alteram substantiam diffusum explicentur. Equidem tam difficile est, actionem corporis in animam hoc sensu explicatam concipere, quam illam animæ in corpus simili modo transfusam. Nec illa activitas spiritus aliquid juvat, ut ei efficientia aliqua per influxum physicum in corpora tribuatur: ordinis quippè diversi sunt motus ille corporeus, ac vires spirituales animæ: ut proindè in *sphæra*, ut ajunt, virtutis unius alterum contineri non possit. *Est in juvencis, est in equis patrum virtus, nec imbellem progenerant Aquilæ columbam.*

Quod si dixeris, Deum substantiam spiritualem naturam omnem materialem perciere, ita ut supremus, ac primus rerum motor dicatur: ajo, istiusmodi actionem nullum motum, nullam emanationem, nullum influxum ab una in alteram substantiam transmeantem importare. Supremi dominii in omnem naturam hæc actio est; qua *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt:* quin opus sit Deum concipere veluti brachium extendentem, ac naturam e nihilo extrahentem, & conservantem eadem virtutis aut virium interna quasi effusione in substantiam creatam transmissa. Phantasmata hujusmodi ab rebus materialibus hausta ad divinam virtutem transferimus, modumque omnem operandi in natura ad imaginationis nostræ imbecillitatem confingimus. Re tamen id, quod *vim activam dicimus, actionem, influxum, operationem, concursum, motionem*, ac siqua sunt alia; nihil in Deo relatè ad creaturarum vel creationem, vel conservationem; aut etiam *causæ primæ* (155) *cum secundis concursum* involvit, nec aliud est nisi decretum divinum, cui omnis natura se præstat, ut juxta leges ab ipso dictatas in talibus circumstantiis respondentes effectus exoriantur.

Si licet in parvis exemplis grandibus uti; hoc modo etiam naturam omnem operantem concipio; secundarumque causarum *vim activam, actionem, influxum, operationem* cet. ita explico, ut modò in prima causa intelligi posse enuntiavi. Hoc unum invenio discrimen inter causam primam, ac secundam; quod illa nulla a causis secundis dependentia cuncta operatur; hæ supremi imperii velut instrumenta sunt, quibus mediantibus effectus in natura ponuntur. Ad casum singularem rem deducamus. Simul ac sensus externi pervelluntur, protinus ab hac permotione in anima sensatio excitatur, puta, ad æris campani nunc meas aures contundentis pulsum sensatio illa, quam auditionem vocamus, exoritur. Quid igitur rei est hujusmodi sensationis productio? Fac, Deum, remotis causis mediis, hanc sensationem in anima excitare: sanè, ni motionem aliquam in Deo fingas ad modum corporeæ actionis, hanc ideam, sola voluntate divina id decernente, formari in anima concedes. Hoc igitur modo, & ad percussionem organi formatam fuisse dico illam sensationem in anima, Deo nimirum sic decernente, ut percussioni externæ interna illa excitatio respondeat. Quod etiam ad motus corporeos ab anima excitatos transferre licet. Si juberet Deus, motum aliquem excitari, puta, motum manus meæ hæc exarantis, opusne esset aliquid infundere in nervos, aut ipsos arripere, ac dirigere, veluti pueri manum, characteres formantis, nostra quandoque manu commovemus? Sanè hoc absurdum esset concipere, omnipotente sua voluntate, ac ut ita dicam, omnimovente, id decernere satis est, ut motus iste protinus formetur, ac manus characteres depingat. Atqui id ipsum fieri posse, anima id volente, manifestissimum est; quod enim Deus, nulla mediante causa secunda, facere potest, cur, ipsis concurrentibus, operari nequeat, haud satis video. Nec alium reperies modum actionis Dei explicandæ, qui in maximas difficultates non impingat, ac argumentis supra allatis non urgeatur.

Oppones fortasse; id demum est nihil producere, ac verbo tenus causas appellare. Scilicet nec causam primam aliquid producere dices, si hic modus producendi non est talis, ut veræ causæ nomen mereatur. At si prima causa *verè efficit, si physicè influit* in effectus, qui ad ejus præsentiam nutu tantum educuntur; si hæc *vera causalitas*, atque

atque *actio*, *productio* &c. dici meretur: cur causis secundis id denegari possit, suo modo id peragentibus, non video.

Quod si ad alia te convertas, ac dicas, *magnam stultitiam esse rerum Deum facere effectorem, causas rerum non quærere:* quin & philosopho indignum esse ad Deum recurrere, ubi difficultas aliqua sistitur, quam superare non possumus. Maxime, inquam; *nec Deus interit, nisi dignus vindice nodus extiterit*. Enimverò quocumque te vertas, in eas salebras impinges, quæ gradum referre cogent: ceterum, *si quid novisti rectius istis, candidus imperti; si non, his utere mecum*.

CAPUT SEPTIMUM.

De Idearum Origine, & Natura.

429 Monitis obsecundantes, quæ prudentissimè Jatquierius metaphysicis præbet (389), quæstionem de origine idearum intellectus nostri limites longè excedere; historicè tantum, quæ in hoc argumentum a philosophis congesta sunt, expendemus; quin aut alicui sententiæ calculum adjungamus, aut melius aliquid in medium proferre tentemus. „ Tu verò ne ista asciveris, neve fueris commentitiis rebus assensus: nihil sentire est melius, quam tam prava sentire. Non ergo id agitur, ut aliquid assensu meo comprobem, quæ tu vide, ne imprudenter etiam postules, non solum arroganter; præsertim quum ista tua mihi ne probabilia videantur... sed cur rapior in invidiam? licetne per vos nescire, quod nescio? „ ajebat Cicero in Lucul. c. 40. 41.

430 Animam pollere facultate ideas formandi, jam art. 329 statuimus, a conscientiæ testimonio id derivantes. Quatuor autem modis hujusmodi perceptiones effici, ac animæ sisti interiore tactu cognoscimus. Et primò quidem dum res sensibiles nobis præsentes sensuum organa pulsant, animamque quodammodo concutiunt. 2. Dum sensibilia objecta, quæ quondam animam excitarunt, quamvis præsentia non sint, iterum ipsi repræsentatur. 3. Insensibilia objecta quadam forma corporea veluti induta videre etiam interdum in penetralibus animæ nostræ solemus. 4. Demum objecta insensibilia omni imagine corporea destituta etiam percipimus. Primi generis ideas a sensibus provenire, sive ope sensuum acquiri, indubium est: secundi, & tertii generis a phantasia antiquas sensationes renovante provenire, jam art. 353 statuimus.

431 Ad perceptiones objectorum insensibilium, quod attinet, *reflexione*, *attentione*, *ratiocinio*, *abstractione* a mente formari credunt, qui innatas ideas, modò explicandas, aut causas occasionales non admittunt; remque hoc exemplo illustrant. Postquam ratiocinio mens nostra eruit, existere oportere aliquod ens necessarium, quod res contingentes ad existendum determinet; ideam hujus entis abstrahendo sibi formare nititur hoc modo. Res creatas perfectionibus præditas considerans, & perfectiones ab imperfectionibus, quibus necessariò admixtæ sunt, separans, ac in immensum augens; illud, quod entium contingentium causam primam esse comperit, his veluti circumvestit, eique adjudicat; ex quo entis necessarii infinitè perfecti ideam sibi comparat, perfectiones ab imperfectionibus segregando. Simili methodo ideas universales a mente exculpi docuimus. Log. art. 15.

432 Schol. Si ideæ vocabulo id solum intelligas, quod imaginem quamdam objecti sistit; certum videtur, dari posse sensationes ab ideis disjunctas. Odor, sonus, frigus, calor &c. quorum sensationes in anima excitarentur, remotis objectis, a quibus proficiscuntur, nullam imaginem talis sensationis in anima depingerent. Entium pariter abstractorum ideæ, rerum moralium &c. sine corporea ulla sensione actu existente ab anima effici videntur. Ceterum sensationes plerumque ideis conjunctas esse, quotidiana experientia comprobamus.

433 Certum omninò videtur, animam objecta externa videre in imaginibus, sive ideis quæ interius ab extrinsecis pulsionibus formantur. Quomodo autem hujusmodi ideæ in anima conformentur, quæ vim repræsentativam habeant, veluti pictura, rerum, cujus sunt imagines? Sint necne hujusmodi imagines ab ipsa animi perceptione distinctæ? En argumentum, quod omnium philosophorum ingenia torsit; ac in posterum etiam vexabit, si ea velint perscrutari, quæ obscuritate sunt involuta naturæ. En opinionum brevem expositionem. „ Utinam tam facilè vera invenire possem, quam falsa convincere „.

434 Democritus, & qui ab eo suam philosophiam mutuavit Epicurus, simulacra quædam subtilissima, ac oculorum aciem effugientia a rebus omnibus continenter jaculari, & quaquaversum emitti existimarunt; a quibus in interiorem animi sedem admissis, ac animi substantiæ veluti insculptis, visionem, perceptionem &c. oriri existimarunt. Hanc etiam sententiam peripatetici *specierum impressarum*, *ac expressarum* nomine donatam, in scenam protulerunt. Species impressa per ipsos est imago illa, quæ per sensus transmeans, ad animam tandem appellit, ac intimè unitur; velut quum ærea lamina imagine insculpta chartæ applicatur. Ex hac intima unitione hujus icunculæ cum anima species expressa excalpitur, quam substan-

atque *actio*, *productio* &c. dici meretur: cur causis secundis id denegari possit, suo modo id peragentibus, non video.

Quod si ad alia te convertas, ac dicas, *magnam stultitiam esse rerum Deum facere effectorem, causas rerum non quærere:* quin & philosopho indignum esse ad Deum recurrere, ubi difficultas aliqua sistitur, quam superare non possumus. Maxime, inquam; *nec Deus interit, nisi dignus vindice nodus extiterit*. Enimverò quocumque te vertas, in eas salebras impinges, quæ gradum referre cogent: ceterum, *si quid novisti rectius istis, candidus imperti; si non, his utere mecum*.

CAPUT SEPTIMUM.

De Idearum Origine, & Natura.

429 Monitis obsecundantes, quæ prudentissimè Jatquierius metaphysicis præbet (389), quæstionem de origine idearum intellectus nostri limites longè excedere; historicè tantum, quæ in hoc argumentum a philosophis congesta sunt, expendemus; quin aut alicui sententiæ calculum adjungamus, aut melius aliquid in medium proferre tentemus. „ Tu verò ne ista asciveris, neve fueris commentitiis rebus assensus: nihil sentire est melius, quam tam prava sentire. Non ergo id agitur, ut aliquid assensu meo comprobem, quæ tu vide, ne imprudenter etiam postules, non solum arroganter; præsertim quum ista tua mihi ne probabilia videantur... sed cur rapior in invidiam? licetne per vos nescire, quod nescio? „ ajebat Cicero in Lucul. c. 40. 41.

430 Animam pollere facultate ideas formandi, jam art. 329 statuimus, a conscientiæ testimonio id derivantes. Quatuor autem modis hujusmodi perceptiones effici, ac animæ sisti interiore tactu cognoscimus. Et primò quidem dum res sensibiles nobis præsentes sensuum organa pulsant, animamque quodammodo concutiunt. 2. Dum sensibilia objecta, quæ quondam animam excitarunt, quamvis præsentia non sint, iterum ipsi repræsentatur. 3. Insensibilia objecta quadam forma corporea veluti induta videre etiam interdum in penetralibus animæ nostræ solemus. 4. Demum objecta insensibilia omni imagine corporea destituta etiam percipimus. Primi generis ideas a sensibus provenire, sive ope sensuum acquiri, indubium est: secundi, & tertii generis a phantasia antiquas sensationes renovante provenire, jam art. 353 statuimus.

431 Ad perceptiones objectorum insensibilium, quod attinet, *reflexione*, *attentione*, *ratiocinio*, *abstractione* a mente formari credunt, qui innatas ideas, modò explicandas, aut causas occasionales non admittunt; remque hoc exemplo illustrant. Postquam ratiocinio mens nostra eruit, existere oportere aliquod ens necessarium, quod res contingentes ad existendum determinet; ideam hujus entis abstrahendo sibi formare nititur hoc modo. Res creatas perfectionibus præditas considerans, & perfectiones ab imperfectionibus, quibus necessariò admixtæ sunt, separans, ac in immensum augens; illud, quod entium contingentium causam primam esse comperit, his veluti circumvestit, eique adjudicat; ex quo entis necessarii infinitè perfecti ideam sibi comparat, perfectiones ab imperfectionibus segregando. Simili methodo ideas universales a mente exculpi docuimus. Log. art. 15.

432 Schol. Si ideæ vocabulo id solum intelligas, quod imaginem quamdam objecti sistit; certum videtur, dari posse sensationes ab ideis disjunctas. Odor, sonus, frigus, calor &c. quorum sensationes in anima excitarentur, remotis objectis, a quibus proficiscuntur, nullam imaginem talis sensationis in anima depingerent. Entium pariter abstractorum ideæ, rerum moralium &c. sine corporea ulla sensione actu existente ab anima effici videntur. Ceterum sensationes plerumque ideis conjunctas esse, quotidiana experientia comprobamus.

433 Certum omninò videtur, animam objecta externa videre in imaginibus, sive ideis quæ interius ab extrinsecis pulsionibus formantur. Quomodo autem hujusmodi ideæ in anima conformentur, quæ vim repræsentativam habeant, veluti pictura, rerum, cujus sunt imagines? Sint necne hujusmodi imagines ab ipsa animi perceptione distinctæ? En argumentum, quod omnium philosophorum ingenia torsit; ac in posterum etiam vexabit, si ea velint perscrutari, quæ obscuritate sunt involuta naturæ. En opinionum brevem expositionem. „ Utinam tam facilè vera invenire possem, quam falsa convincere „.

434 Democritus, & qui ab eo suam philosophiam mutuavit Epicurus, simulacra quædam subtilissima, ac oculorum aciem effugientia a rebus omnibus continenter jaculari, & quaquaversum emitti existimarunt; a quibus in interiorem animi sedem admissis, ac animi substantiæ veluti insculptis, visionem, perceptionem &c. oriri existimarunt. Hanc etiam sententiam peripatetici *specierum impressarum*, *ac expressarum* nomine donatam, in scenam protulerunt. Species impressa per ipsos est imago illa, quæ per sensus transmeans, ad animam tandem appellit, ac intimè unitur; velut quum ærea lamina imagine insculpta chartæ applicatur. Ex hac intima unitione hujus icunculæ cum anima species expressa excalpitur, quam substan-

tia mentis, cui unitur, ex hoc typo impresso velut expressam repræsentat. Consulem Lucretium lib. 4 de Rerum natura, ubi venuste hanc sui Epicuri, poetæ quidem dignam, philosophum parum decentem sententiam exponit, versu 726.

Nunc age quæ moveant animum res, accipe; & unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique partes.
Tenvia, quæ facilè inter se junguntur in auris,
Obvia quum veniunt, ut aranea, bracteaque auri;
Quippe & enim multò magis hæc sunt tenvia textu,
Quam quæ percipiunt oculos, visumque lacessunt;
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque
Tenvem animi naturam intus, tensumque lacessunt.
Centauros itaque, & Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam partim simulacra feruntur;
Partim sponte tua quæ fiunt aere in ipso;
Partim qua variis ab rebus cumque recedunt;
Et qua consistunt ex horum facta figuris;
Nam certè ex vivo centauri non fit imago:
Nulla fuit quoniam talis natura animalis.
Verum ubi equi atque hominis casu convenit imago,
Haerescit facilè exemplo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam, & tenuia texta.
Cetera de genere hoc eodem ratione creantur.
Quæ quum mobiliter summa levitate feruntur,
Ut prius ostendi; facilè unum commovet ictu
Quælibet una animum nobis subtilis imago:
Tenvis enim mens est, & mirè mobilis ipsa &c.

435 Sententiam hanc luculenter confutat Cotta in 1. de Natura Deor. cap. 26. „ Quæ autem, ait, istæ imagines vestræ, aut unde? A Democrito omninò hæc licentia. Sed & ille reprehensus a multis est, nec vos exitum reperitis, totaque res vacillat, & claudicat. Nam quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ea forma, qua illi fuerunt? Quomodo ergo illi? Et quorum imagines? Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis. At Orpheus, id est imago ejus, ut vos vultis, in animum meum sæpe incurrit. Quid quod ejusdem hominis in meum aliæ, aliæ in tuum? quid quod earum rerum, quæ numquam omninò fuerunt, neque esse potuerunt, ut Scyllæ, & Chimeræ? Quid quod hominum, locorum, urbium, quas numquam vidimus? quid, quod simul ac mihi collibitum est, præsto est imago? Quid quod etiam ad dormientem veniunt invocatæ? Tota res, Vellei nugatoria est: vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis. Tanta est impunitas garriendi. At quam licenter? Fluentium frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur. Puderet me dicere non intelligere, si vos ipse intelligeretis, qui ista defenditis „.

436 Quidam cartesiani ut nodum solverent, ideas omnes, quas humana mens tempore acquirit, ab initio ejusdem creationis a Deo inditas esse, ipsique innatas contendunt; quarum excitatio ab objectis in sensus incurrentibus omninò dependeat, sitque veluti evolutio quædam notionis in mente existentis. Europæ idea jam indita etiam tum erat menti meæ, quum Guanaxuati anno 1748 conceptus, ac editus fui: dormiebat tamen, ac sicut ignis particulæ in silice convolvuntur, quin erumpant, nisi ad percussionem chalybis, sic idea illa Europæ, ac omnium rerum hactenus in ea visarum, tantum excussa fuit anno 1768, quum primum ad oram Lusitaniæ casu appulsus, in conspectum venit Europa. Sunt aliqui ex hujus sectæ doctrina, qui putent, quasdam tantum ideas innatas esse, puta *Dei*, *axiomatum*, *honestatis*, *substantiæ*, *veritatis*, quippe nulla imagine corporea menti sistantur: ceteras verò ope sensuum ab objectorum impressionibus acquiri.

437 Socratica mihi hæc videtur sententia, pace detorta; qua ille philosophus, animos nostros ante conjugationem cum corpore præextitisse affirmabat; ac omni idearum genere instructos in hunc mundum venire, in quo scilicet ejusmodi reconditæ notiones paulatim evolvuntur. Pluribus in hanc sententiam insurgunt ejus adversarii. Ajunt enim 1. Si ideæ innatæ sunt, cur non omnes eodem modo res omnes percipiunt? cur idemmet intellectus pro diversitate distantiarum, ætatum, situs, valetudinis, circumstantiarum, idem objectum diverso modo percipit? quare idem objectum diversimodè a quolibet sensu percipitur? Cæcus sanè colores tactu cognoscit, ac discernit: diversa tamen notio ipsi respondet, ab ea, quam habiturus esset postea, visu recuperato. 2. Parum solliciti debent esse harum notionum innatarum cartesiani, qui putant, res externas sensus afficientes esse causas occasionales idearum a Deo in anima productarum. Quare enim hanc productionem Deus anticipet, qui tandem, occasione posita, illam producere, aut evolvere debet? nonne hoc esset longiore via iter conficere, quum brevissima

suppetat, creandi data occasione? Sanè qui causas verè efficere contendunt, hoc recursu ad ideas innatas pontem sibi extruerent, ut saltum illum perdifficilem a corpore ad animam quodammodò faciliorem redderent? Cartesianos verò, qui a Deo omnia immediatè produci asseverant, ad ideas innatas confugere incongruum videtur.

438 Schol. Non rarò usurpare solemus loquendi modum a cartesiano non absimilem, ideam Dei, justitiæ, veritatis, beatitudinis amorem inditum nobis esse affirmantes. Hoc tamen aliud nihil intendimus, nisi ita natura comparatos nos esse, ut statim, propositis ideis harum rerum, quasi spontè in illas feramur; quin notiones hujusmodi innatas, & convolutas in anima nostra existimemus. Hoc sensu ideas innatas dari, omnis qui *materialista* non sit, facilè admittet. Conditio enim hæc est humani generis a supremo Auctore sic comparati, ut ideas sui, ordinis, virtutis &c. quasi primo intuitu percipiat, sequatur, amet. Hoc argumentum præclarè versat Tullius in lib. 1. de legibus: hoc sensu Monteirus ideas has innatas propugnat, nec nos admittere gravabimur.

439 Nicolaus Malebranchius aliam viam arripuit, qua ad solutionem obscurissimi hujus problematis deveniret. In Deo rerum omnium ideas existere ac repræsentari, res est ferè omnium philosophorum, ac theologorum suffragio comprobata. Animam nostram ab essentia divina undique diffusa intimè penetrari, atque, ut ita dicam, absorberi, ab immensitatis divinæ notione habemus. En igitur quomodo per Malebranchium rerum omnium, quas percipit, imagines animus intuetur: in divina nimirum essentia, ubi hæ ideæ omnes repræsentantur velut in speculo, has ideas speculatur animus, Deo mentem irradiante, ac per intimam communicationem ostendente archetypas illas imagines, quæ in mente divina existunt.

440 Vix in lucem ediderat Malebranchius hujusmodi opinamentum, quum plures in ipsum insurrexerunt philosophi, Arnaldus, Locke, Poiretus; quos deindè sequuti sunt, qui recentius scripserunt. Probare sanè ipsum oportebat validis argumentis tam inauditum systema; quibus tamen prorsus destituitur, nec aliam ferè pro se rationem adducit, nisi in hoc opinandi modo difficultates, in quas alii impegerunt, emolliri In alias verò majores incurrere, contendunt ejus impugnatores. 1. Explicari nimirum in hoc systemate ægrè posse, quare non omnia in Deo videamus: cur ætate, studio, labore notiones intellectus perficiantur, augescant, dilucidentur: cur provectioribus annis infirmentur, minuantur, oblite-

ipsas

ipsas irrepant? 2. Id Malebranchius supponit, quod a nullo umquam philosophorum comprobabitur, qui pantheista non sit; animam nimirum Deo esse unitam, propter illam intimam præsentiam, qua in ipso *vivimus*, *movemur*, & *sumus*. Si hoc verum esset, innumera sequerentur absurda, quæ nec ipse Malebranchius admittet. Deum scilicet esse animam mundi; nos omnes composita quædam esse divina, ob unitionem intimam cum Deo; in hac vita beatifica illa visione frui, qua non jam per *speculum in ænigmate*, sed *facie ad faciem* res in Deo contemplamur &c. 3. Loquendi modos tum Scripturæ, tum PP. præsertim Augustini, quos conglobatim adducit, metaphoricæ sunt loquutiones, quæ rem metaphysicam non conficiunt.

441 At, inquit illustris hic philophus, intestina animæ cum corpore conjugatio, intimam illam, quam habet cum Deo, non exæquat. Nam a corpore sejungi potest, a Deo illam complectente non potest. Anima igitur intimè Deo copulatur; ita ut in ipsa ejus essentia intueri omnia possit. Nulla, inquam, hæc ratio est ad probandam priorem deductionem. Nec enim quæcumque conjunctio intima, copulationem illam inducit, quam *unionem* vocant philosophi. In loco esse, ac eidem esse unitum, duæ res sunt toto cælo distantes: prima est pura assistentia, sive *compræsentia* duorum entium; altera compositionem, qua duo in unum *suppositum* coalescunt (84), necessariò inducit. Dicesne, Deum nobiscum unam personam efficere? Non puto. Hæc igitur intima præsentia, nullam *unionem* Dei cum anima inducit.

442 Cartesius, & causarum occasionalium defensores originem idearum a Deo immediate ideas in anima producente repetunt, occasione data pulsationum ab objectis, in organa agentibus, impressarum. Et quidem hæc opinatio legitimum corollarium est systematis causarum occasionalium, commercium animæ cum corpore per assistentiam Dei explicantis. Verum hæc sententia eisdem subjacet difficultatibus, quibus altera, cujus est corollarium (426), quin opus sit eamdem crambem recoquere, eas iterum in medium producendo.

443 Demum Joannes Lockus, & cum eo plures alii influxus physici assertores mediam quamdam viam inter peripateticos, ac innatarum idearum, aut a Deo impressarum assertores tenere videtur. Censet enim, ideas omnes a mente ipsa confici, sensuum adminiculo, meditatione, & conjectura; quin opus illi sit ab objectis externis simulacra illa, ac species impressas recipere, quarum expressio sit ipsa mentis perceptio typum impressum exprimentis (434). Quo clarius, ajunt, ac vividius res sen-

sibus percipimus, eo clariores in anima respondent ideæ, ac distinctæ magis: contra verò a rebus absentibus, aut leviter sensus commoventibus, tenues, obscuras, confusas perceptiones excitari comperimus. Deindè idearum nostrarum supellectilem frequenti sensuum applicatione augeri videmus: quod si sensu aliquo destituamur, aut munere suo ritè non fungatur sensus, notiones ipsi respondentes nullæ, aut imperfectæ existunt. Nam, ut commune fert adagium, *cæcus non judicat de coloribus*. Tertiò perceptionum divitias augemus industria, sensus videlicet ad majorem vim provehentes ope instrumentorum, quibus ab objecta nihil, aut parum sensus afficientia, propius accedimus; ut sunt telescopia, microscopia, conspicilla &c. Demum aliquas ideas, quæ extra provinciam sensuum existunt, reflexione, attentione, comparatione, abstractione ab ideis jam obtentis formari, facilè quisque sibi persuadebit, si ad notiones, quæ magis a sensibus remotæ videntur, animum advertat, ac earumdem analysim instituat. Vide dicta art. 407.

444 Gravibus etiam hanc sententiam urgeri difficultatibus, quidquid pro illis emolliendis laboraverint ejus propugnatores, ex dictis art. 427, & 428 manifestum est. Si enim physicum influxum eo sensu accipiunt, ut e fibrillis commotis in animum motio quædam redundet, quæ ideam efficienter producat; id demum *incorporalitatem* animæ mihi, nisi plumbeus sim, convellere; luculenter videtur. *Actionem* enim, *& reactionem* inter duo entia, nisi ejusdem naturæ sint, ægrè, qui metaphysicus sit, concipere valeat. Sanè id mihi accidere confiteri non erubesco; perspicacioribus ingeniis fortassis id non continget: nimirum illi, qui sit

gallinæ filius albæ:
Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.

445 Hinc jam ad alteram quæstionem ventum est, utrum ideæ sint a perceptionibus distinctæ: videlicet, num imagines illæ, quæ menti sistuntur, distinctæ sint ab ea animæ modificatione, seu statu, quo e non percipiente ad rem cognoscendam transivit. Arnaldus, & Malebranchius singulari certamine in arenam descendrunt, ut hanc litem dirimerent; altero distinctionem asserente, altero res tantum modo nostro concipiendi diversas, revera distinctas esse negante. Suppetias Malebranchio ivit Genuensis, Arnaldo plures alii. En quo nituntur fundamento, qui ideas a perceptionibus distinguunt. Anima ideas simplices creare sibi non potest: posset enim tunc, quas vellet, rerum ideas habere: enimverò si ideas creare non valet, aut

aut subjectum idearum passivum erit, aut ideæ distinctæ sunt a perceptionibus. Nam aut ideas excipit; aut non. Si primum, quum illæ, ex hypothesi, sint una, eademque res cum perceptionibus, adeoque cogitationibus omnibus; omnes quoque cogitationes excipiet; quod est passivum subjectum esse: quod si non recipiat, aut sibi creat, aut cogitatio quid distinctum est ab ideis. Habes Genuensis argumentum, ut ideas a perceptionibus distinctas esse conficiat.

446 Ni fallor, omnis hæc controversia in id demum recidit; utrum organi motiones sint, aut imprimant in fibris imagines illas, quas anima, dum cogitat, videre sibi videtur; an verò mens a fibris excitata, quocumque id modo fiat, percipiendo res in organo agentes, hanc imaginem sibi effingat, quæ sit ipsamet mentis modificatio, ac, ut ita dicam, ipsemet tactus animæ interior? Quodcumque tetigeris, ulcus est. Qui enim concipi potest, fibrillarum motiones hujusmodi imagines esse, quas anima in phantasia depictas intuetur? Motionesne fibrillarum penicillis similes sunt, qui figuram aliquam depingant? Si hæc ita essent, res exilissimæ formæ ac molis apparerent; in cerebro enim eo modo depingerentur, quo planities latissima in angusta tabula pingitur. Deindè impressæne remanent? an dum recordamur, iterum refinguntur? Si primum, in id incidis, quod art. 362 explosum a Tullio est: quæ enim tanta capacitas cerebri, ut in illo tot miryades miryadum hujusmodi imaguncularum conserventur? Jam si secundum asseveris, a quo demum artifice hæc simulacra iterum pinguntur? aut quomodo organum motionem illam renovat, a qua pictura instauratur?

447 Quod si perceptiones mentis nihil aliud esse affirmes, quam modificationes animæ objecta repræsentantis, conceptu difficillimum videtur, quomodo hæc repræsentatio in anima fiat. Est ne aliquid ab animæ substantia distinctum? En incidis in Malebranchii sententiam, idem a perceptione distinguentem; certè perceptionem ab animæ substantia realiter distinctam esse, ex hac opinione deducitur. Equidem si perceptio est repræsentatio objecti, quum hæc adventitia sit, adesse, ac abesse possit, anima substantia nihil mutata, ab ea realiter distinguatur, oportet (36). Sanè nulla alia ratio modificationes substantiæ materialis ab ipsa distinguendi apparet, nisi hæc separatio, sive *separabilitas* modorum a substantia, cujus sunt modi (73). Muta nomina; distinctionem modalem voca (ibid.): *numerica* etiam dicitur inter duo individua ejusdem speciei (Log. 19), quæ realiter distincta esse, nemo inficiatur.

448 Doctus quidam auctor, Part. 2. Met. Lect. 3. Prob. 17. hæc habet: „ Si inter mentem, ejusque actus nulla esset distinctio, omnes actus animæ pura essent animæ natura, & essentia; & quod inde consequens est, ubicumque esset anima, vel in materno utero, in cunis, in somno essemus, omnes illic essent, perindè ac in vigilia, nostræ ideæ, & ceteri omnes mentis actus: quidquid enim anima est, quin ab illa distinguatur, ab illa numquam separatur. Nulla præterea esset novarum idearum comparatio: nullius rei ideam novam tempore, studio, mentis aut sensuum usu anima nostra acquireret. Quid enim? Se ipsam ne anima acquirit &c. „ Deinde ad explicandam idearum a mente distinctionem, sic insistit: „ Ex una parte hujusmodi actus aliquam ab anima distinctionem habent, non sunt pura animæ substantia: aut igitur sunt res ab anima distinctæ, aut ipsius modificationes: nihil est medium: si ergo actus illos res aliquas absolutas non esse probavero, propositionem evincam. Ita verò res est . . . Argumenti summa est; mens nostra suos actus proculdubiò producit: quum igitur quæcumque res physica e nihilo extracta, nonnisi per creationem efficiatur, creandi verò virtutem, neque anima, neque creatura alia, sed unus habeat Deus; aut nihil agit anima, aut ipsius actus res novæ non sunt: agit verò proculdubiò anima: illius proindè actus ab animæ substantia non quidem re, sed modo tantum distinguuntur. „ Quænam autem hæc modalis sit distinctio, quæ effectus omnes distinctionis realis habet, realis tamen non est, satis videre non possum.

449 Corol. Ex dictis manifestè consequitur, commercium animæ cum corpore, originem, ac naturam perceptionum, sive idearum, arcanum esse menti humanæ, dum in hac vita mortali degit, prorsus inacessum. Effectus quidem hujus commercii adeò manifesti sunt, ut æquè difficile sit homini persuadere, se non existere, quam intimum inter suum corpus, & animum commercium non intercedere. Hoc enim ab ipsa intima conscientia edoctus, tanta perspicuitate cognoscit, ac se cogitare, & sentire. Hic nimirum, ut sæpè aliàs, duo extrema opposita nullo ferè intervallo conjunguntur; summa videlicet perspicuitas, cum obscuritate summa. Me cogitare, sentire, velle, evidentia maxima cerno; quomodo cogitem, sentiam, velim, tam mihi obscurum est, quam quod maximè. I nunc, & rationem tantum ducem, contempta revelatione, in religionis negotio consectare.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De humana voluntate, ejusque proprietatibus.

Hactenus, quæ ad humanam intelligendi facultatem spectant, tradidimus, ea brevitate, quæ ad instituti nostri rationem maximè conducere videbatur. Jam ad alteram animi nostri facultatem gradum facimus pari brevitate, quæ graviora sunt, hujus tractationis capita exposituri. Nec est quod in humanæ voluntatis existentia demonstranda immoremur. Ab intima conscientia id nobis adeò persuasum est, quemadmodum nos cogitare, & sentire, ac in mundo degere. Quis enim umquam animum ab aliquibus objectis se avertentem, alia verò prosequentem non sensit? atqui hæc genuina voluntatis notio est, quæ facultatem hanc animi nostri indicamus, objecta amore, aut aversione respicientis. Pluribus sanè id nominibus indicare consuevimus, prout exercitium voluntatis nostræ objecta diversimodè respicit, de quibus singillatim jam nunc acturi sumus.

§. 1.

De objecto voluntatis humanæ.

450 Quemadmodum intellectus noster suo peculiari modo objecta respicit, ita tamen, ut *verum* sit id, quod præcipuè in suis cognitionibus requirat; sic voluntas suo modo tendendi in objectum *bonum* est, quod maximè intendit. *Bonum* autem, vel *absolutum* est, vel *relativum*. Primo modo consideratum est omne id, quod aliqua perfectione donatum est: altero, prout ad nos refertur, finibusque nostris aliquo modo conducit. Quod quidem est præcipuum voluntatis objectum; siquidem est id, quod directè eam respicit, illamque quodammodò perficit. De bono igitur relativo ea, quæ dicturi sumus, præcipuè intelligenda veniunt.

451 *Malum absolutum* nullum existere, planum est ex dictis art. 57, quoniam ens nullum *transcendentali* bonitate destituitur. *Malum relativum* illud dicimus, quod finibus nostris opponitur, nosque imperfectiores reddit. Hoc autem duplici modo evenire solet: aut enim revera id contingit, tumque *verum malum* dicitur: aut *apparens* tantum est, quia scilicet tale illud existimamus, toto cælo, ut fit, a vero aberrantes, quod reapse malum non exisrit. Hoc pariter in bono etiam relativo contingere, experientia quotidiana monemur.

452

448 Doctus quidam auctor, Part. 2. Met. Lect. 3. Prob. 17. hæc habet: „ Si inter mentem, ejusque actus nulla esset distinctio, omnes actus animæ pura essent animæ natura, & essentia; & quod inde consequens est, ubicumque esset anima, vel in materno utero, in cunis, in somno essemus, omnes illic essent, perindè ac in vigilia, nostræ ideæ, & ceteri omnes mentis actus: quidquid enim anima est, quin ab illa distinguatur, ab illa numquam separatur. Nulla præterea esset novarum idearum comparatio: nullius rei ideam novam tempore, studio, mentis aut sensuum usu anima nostra acquireret. Quid enim? Se ipsam ne anima acquirit &c. „ Deinde ad explicandam idearum a mente distinctionem, sic insistit: „ Ex una parte hujusmodi actus aliquam ab anima distinctionem habent, non sunt pura animæ substantia: aut igitur sunt res ab anima distinctæ, aut ipsius modificationes: nihil est medium: si ergo actus illos res aliquas absolutas non esse probavero, propositionem evincam. Ita verò res est . . . Argumenti summa est; mens nostra suos actus proculdubiò producit: quum igitur quæcumque res physica e nihilo extracta, nonnisi per creationem efficiatur, creandi verò virtutem, neque anima, neque creatura alia, sed unus habeat Deus; aut nihil agit anima, aut ipsius actus res novæ non sunt: agit verò proculdubiò anima: illius proindè actus ab animæ substantia non quidem re, sed modo tantum distinguuntur. „ Quænam autem hæc modalis sit distinctio, quæ effectus omnes distinctionis realis habet, realis tamen non est, satis videre non possum.

449 Corol. Ex dictis manifestè consequitur, commercium animæ cum corpore, originem, ac naturam perceptionum, sive idearum, arcanum esse menti humanæ, dum in hac vita mortali degit, prorsus inacessum. Effectus quidem hujus commercii adeò manifesti sunt, ut æquè difficile sit homini persuadere, se non existere, quam intimum inter suum corpus, & animum commercium non intercedere. Hoc enim ab ipsa intima conscientia edoctus, tanta perspicuitate cognoscit, ac se cogitare, & sentire. Hic nimirum, ut sæpè aliàs, duo extrema opposita nullo ferè intervallo conjunguntur; summa videlicet perspicuitas, cum obscuritate summa. Me cogitare, sentire, velle, evidentia maxima cerno; quomodo cogitem, sentiam, velim, tam mihi obscurum est, quam quod maximè. I nunc, & rationem tantum ducem, contempta revelatione, in religionis negotio consectare.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De humana voluntate, ejusque proprietatibus.

Hactenus, quæ ad humanam intelligendi facultatem spectant, tradidimus, ea brevitate, quæ ad instituti nostri rationem maximè conducere videbatur. Jam ad alteram animi nostri facultatem gradum facimus pari brevitate, quæ graviora sunt, hujus tractationis capita exposituri. Nec est quod in humanæ voluntatis existentia demonstranda immoremur. Ab intima conscientia id nobis adeò persuasum est, quemadmodum nos cogitare, & sentire, ac in mundo degere. Quis enim umquam animum ab aliquibus objectis se avertentem, alia verò prosequentem non sensit? atqui hæc genuina voluntatis notio est, quæ facultatem hanc animi nostri indicamus, objecta amore, aut aversione respicientis. Pluribus sanè id nominibus indicare consuevimus, prout exercitium voluntatis nostræ objecta diversimodè respicit, de quibus singillatim jam nunc acturi sumus.

§. 1.

De objecto voluntatis humanæ.

450 Quemadmodum intellectus noster suo peculiari modo objecta respicit, ita tamen, ut *verum* sit id, quod præcipuè in suis cognitionibus requirat; sic voluntas suo modo tendendi in objectum *bonum* est, quod maximè intendit. *Bonum* autem, vel *absolutum* est, vel *relativum*. Primo modo consideratum est omne id, quod aliqua perfectione donatum est: altero, prout ad nos refertur, finibusque nostris aliquo modo conducit. Quod quidem est præcipuum voluntatis objectum; siquidem est id, quod directè eam respicit, illamque quodammodò perficit. De bono igitur relativo ea, quæ dicturi sumus, præcipuè intelligenda veniunt.

451 *Malum absolutum* nullum existere, planum est ex dictis art. 57, quoniam ens nullum *transcendentali* bonitate destituitur. *Malum relativum* illud dicimus, quod finibus nostris opponitur, nosque imperfectiores reddit. Hoc autem duplici modo evenire solet: aut enim revera id contingit, tumque *verum malum* dicitur: aut *apparens* tantum est, quia scilicet tale illud existimamus, toto cælo, ut fit, a vero aberrantes, quod reapse malum non exisrit. Hoc pariter in bono etiam relativo contingere, experientia quotidiana monemur.

452

452 Ad præsentiam *boni*, & *mali* duplex enascitur in anima affectio: bono percepto, sensu quodam perfunditur, qui *voluptas* appellatur: malum autem percipiens, aversationem animus concipit, quæ *tædium* dicitur, aut molestia. Porrò *voluptas*, quæ a sensibus, aut phantasiæ commotis ortum ducit, *sensualis* est: quæ verò pura intellectus actione bonum percipientis ad nativum veritatis lumen exoritur, *mentalis* voluptas existit: quam scientiarum amatores gustare solent; multoque magis *divinæ bonitatis speculatores*, & *contemplatores*. Hæc pariter ad *molestiam* seu tædium transferre licet: quæ a sensibus, aut imaginatione, *sensualis*; quæ ab intellectu puro exoritur, *mentalis*. Aurora puro cælo maximè diebus vernis nascente, aut phantasia, hæc aut alia jucunda recordante, voluptate sensuali perfundimur. Rerum eventus contemplantes, atque ex his ratiocinio deducentes, quæ in deteriorem partem possent recidere, molestia mentali afficimur.

453 Voluptatem sensualem comitatur plerumque quædam nervorum blanda commotio, quam *titillationem* vocant: quod si nervi violenter tendantur, aut concutiantur, *dolor* ejusmodi animæ affectio dicitur. Voluptatis, ac molestiæ species sunt titillatio, ac dolor, quæ intensitatem majorem in voluptate, ac tædio indicant.

454 Si ad præsentiam objecti percepti nulla ex prædictis affectionibus in anima excitetur, relatè ad illud in *statu indifferentiæ* versatur. Hic autem indifferentiæ status provenit ex eo, quod mens nullam in objecto perfectionem animadvertat, quæ sibi aliquo modo conducat, aut adversetur: quod quidem evenire solet identidem, cum personas, aut alia quædam offendimus, quæ nullam in anima prosecutionis, aut aversationis motionem producunt.

455 Jam facultas illa, qua anima, objecto percepto, aut in illud nisu quodam rapitur, aut ab illo avertitur, *appetitus*, seu facultas appetendi dicitur; cujus actiones sunt *appetitio*, & *avertatio*; prout voluptate, vel molestia ad præsentiam objecti percepti afficitur. Appetitus aut sensitivus est, aut rationalis. Si voluptas sensualis fuerit (452), pertinet ad appetitum *sensitivum*: secus, si mentalis existat, quæ ad *rationalem* appetendi facultatem reducitur: ut utrique sua facultas in anima respondeat.

456 Corol. 1. Appetitus sensitivus res singulares confusè per sensus perceptas respicit, aut ope phantasiæ denuò excitatas; rationalis bonum respicit ab intellectu distinctè propositum, in quod ratione duce fertur. Unde appetitionis sensitivæ, & rationalis discrimen facile deducitur.

457 Corol. 2. Animalia rationis expertia appetitu sensitivo pollent, iisque affectionibus commoventur, quæ ab hac facultate proveniunt; ceterum appetitu rationali ea duci, qui a ratione originem trahit, ille solum pronunciabit, qui se parem brutis animantibus concedere non gravetur. Vide dicenda cap. ult. hujus Dissert.

458 Positio 1. *Animus nihil aversatur, nisi sub ratione mali; nihil prosequitur, nisi sub ratione boni; quin umquam aut malum sub aspectu mali consectetur, aut bonum, ut tale propositum, odio prosequatur.* Prob. Ad præsentiam mali anima vel afficitur, vel non; si secundum dixeris, est in statu indifferentiæ (454), adeòque nec prosequitur objectum, nec illud aversatur; unde hic status animæ a præsenti quæstione alienus est. Rursus si anima ad præsentiam mali afficitur, vel voluptate, vel molestia afficitur: si primum, illud prosequitur, adeòque in illo sibi complacet (452), illudque finibus suis aptum judicat (450): at hoc est illud prosequi sub ratione boni (ibid.): nam ad mali præsentiam anima molestia afficitur (452): ergo anima malun numquam sub hoc aspectu complectitur. Hic enim non de bono absolute sermo est (450), sed de objecto, prout ab intellectu percipitur. Deindè simili ratiocinatione conficitur, voluntatem in bonum sub ea ratione propositum ferri; si enim sub ratione mali amplecteretur, existimaret illud finibus (451) suis minime conducere: at si amplectitur, sibi conducere judicat (450): ergo nisi pugnantia admittamus, conclusionem recipere debemus.

459 In hac autem evincenda propositione maximè intimam conscientiam appello testem, qua quisque sibi conscius est, objecta numquam aversari nisi aliqua molestia ab his afficiatur, aut affectum iri existimet: numquam prosequi, nisi voluptate percepta, aut ab eis percipienda alliciatur. „ Qui potest intelligi, aut cogitari (ajebat Cicero), esse aliquod animal, quod se oderit? Res enim concurrent contrariæ: nam quum appetitus ille animi aliquid ad se trahere cœperit consultò, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus; quum id sua causa faciet; & oderit se, & simul diliget, quod fieri non potest. Necesse est quidem, siquis sibi ipsi inimicus est, eum, quæ bona sunt, mala putare; bona contra, quæ mala. Ut quæ appetenda fugere, & quæ fugienda appetere, quæ sine dubio vitæ sunt eversio. Neque enim si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quærant... quum in mala scientes ruunt, tamen se optimè sibi consulere arbitrantur... Quare quotiescumque dicetur malè de se quis mereri, sibique esse inimicus, atque hostis, vitam denique fugere; intelligatur, aliquam subesse ejusmodi causam, ut ex eo ipso possit intelligi, sibi quemque esse charum... quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, non modò

dò charum sibi quemque, verum etiam vehementer charum esse ,,. Lib. 5. de Fin. cap. 10.

460 Oppones 1. Si propositio statuta vera est, libertas humana convellitur: at hanc intimo naturæ sensu esse in nobis experimur: ergo. Prob. maj. Si nihil appetit nisi sub ratione boni, aut aversatur nisi prospectu mali; bonum necessariò appetit, malum refugit: enimverò necessitas cum libertate pugnat: mens igitur libera non est. Prob. maj. Si bonum non appetit, aut malum refugit necessariò, posset respuere bonum, amplecti malum propositum: hoc ex dictis non potest: necessariò igitur aut malum aversatur, aut bonum amplectitur. R. neg. maj. primam et secundam, et minorem tertii syllogismi. Quamvis enim anima appetere malum, aut aversari bonum propositum non possit, dum ut tale proponitur; potest tamen inter duo objecta æqualis, aut inæqualis bonitatis unum præ altero eligere. Deindè etiam intellectum applicare potest ad objecti bonitatem rectius æstimandam, ex quo judicio, ab apparenti malo, aut bono, quod tum illam trahit, in electione non decipietur. Tritum est illud Medeæ: *Video meliora, proboque; deteriora sequor*: quia nimirum intellectum non rite applicabat, ut bonitatem, ac malitiam ad rationis puræ lumen perpenderet: quod si fecisset, ab apparenti bono seducta non fuisset.

Et luctata diu, postquam ratione furorem
Vincere non poterat: frustra, Medea, repugnas,
Nescio quis Deus obstat, ait, mirumque quid hoc est.
Aut aliquid certè simile huic, quod amare vocatur,
Nam cur jussa patris nimium mihi dura videntur?
Sunt quoque dura nimis. Cur quem modo denique vidi,
Ne pereat, timeo? quæ tanti causa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix. Si possem sanior essem.
Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboque;
Deteriora sequor.

Graphice descripta est pugna voluptatis sensualis, sive appetitus sensitivi cum rationali appetendi facultate (455); in qua rationes utrinque intellectui proponuntur, tum ut allicientem sensus voluptatem, quum ut bonum, quod ad purum rationis lumen intuetur, voluntas amplectatur. En conflictantem adhuc Medeam secum ipsam:

Quid in hospite, regia virgo,
Ureris? & thalamos alieni concipis orbis?
Hæc quoque terra potest, quod ames, dare vivat, an ille
Occidat, in diis est: vivat tamen, idque precari
Vel sine amore licet. Quid enim commisit Jason?
Quem nisi crudelem non tangat Jasonis ætas,
Et genus, & virtus? quem non, & cetera desint,
Forma movere potest? certe mea pectora movit.
At nisi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
Concurretque suæ segeti, tellure creatis
Hostibus, aut avido dabitur feræ præda draconi:
Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum, & scopulos gestare in corde fatebor,
Cur non & specto pereuntem, oculosque videndo
Conscelero? cur non tauros exhortor in illum,
Terrigenasque feras, insopitumque draconem?
Dii meliora velint: quamquam non ista precanda,
Sed facienda mihi. Prodam ne ego regna parentis?
Quin aspice, quantum
Aggrediare nefas, & dum licet, effuge crimen.
Dixit, & ante oculos rectum, pietasque pudorque
Constiterant, & victa dabat jam terga cupido.
Metam. lib. 7. fab. 1.

461 Corol. Si bonum ita repræsentatur, ut anima necessariò ejus bonitatem concipiat, quin aut mentem aliò possit avertere, aut incitamenta, sive motiva contraria sibi adducere, quæ objectum alio aspectu repræsentent, libera non est. Sic beati illi spiritus Deum *facie ad faciem* contemplantes, a summo illo bono averti non possunt; nec ad illud amandum liberi sunt. Si hæc perpendisset Bonnetus, in hoc argumento non adeò exultaret, ut libertatem indifferentiæ (infra 481) convelleret: ait enim, *Theologos illos, qui libertatem indifferentiæ admittunt, eamdem non supponere in exhortationibus commoventibus animos hominum propositis virtutis, ac religionis principiis*: perindè quasi animus, bono proposito, in malum flecti amplius non possit. Hoc indubium est, vel intima cujusque conscientia comprobatum; bono proposito aut a flexanima eloquentia, aut a seminibus internæ virtutis in animo educatione, vel alio quovis modo insertis, ne dicam menti insitis, in vitium cereos homines flecti, ipsosmet fatentes, ac sentientes, se aliter agere potuisse. Jam concionatores id agunt, quod quisque in conflictu boni, aut mali apparentis cum vero bono, facere deberet: mentem ad considerationem hujus convertere, ab apparente alterius bonitate segregare. Nisi hoc probet Bonnetus hominem facere non posse, quod hactenus adduxit argumentum, nullius est roboris.

462 Opp. 2. Exercitium libertatis versatur circa bonum, & malum: ergo potest animus utrumque amplecti, aut aver-

aversari. R. dist. ant. versatur eo modo, quo est objectum voluntatis, conc. ant. modo naturæ rationali opposito, neg. ant. Homo est liber modo suæ naturæ convenienti; adeòque exercitium libertatis in eo situm est, ut amplectatur objectum prius a mente perceptum, deindè ut sibi conducens, ac aliqua ratione (vera aut falsa, ad rem præsentem nihil interest) sufficiente ad id inclinatus, quæ nulla alia esse potest, quam bonitas aliqua in objecto percepta.

463 Insistes. Intellectus potest cognorcere *falsum*, *ut falsum*: ergo & voluntas velle malum ut malum: *verum* namque, & *falsum* objectum intellectus sunt, sicut *bonum*, & *malum* voluntatis. R. dist. ant. intellectus potest cognoscere falsum ut falsum, illi assentiendo, neg. ant. ab illo utpote falso dissentiendo, conc. ant. En ex ipso argumento deductam confirmationem positionis nostræ. Sicut enim intellectus objectum suum respicit sub ratione veri, aut falsi, nec primo modo ab eo dissentire potest; altero eidem assentiri: sic voluntas in bonum & malum diverso modo fertur; in bonum ut objectum prosecutionis, in malum ut aversionis.

464 Opponitur 3. Qui inimicum odio prosequitur, vult illi malum, ac ut malum eidem imprecatur: ergo voluntas malum sub ratione mali cognitum potest amplecti. R. dist. ant. vult illi malum, ac ut malum alterius imprecatur, conc. ant. ut malum sui, neg. ant. In malo inimici sibi complacet voluntas, ob eamque, quam ex illo percipit voluptatem, livori suo serviens, alteri malum imprecatur.

465 Opponit. 4. In virtutibus, in scientiis intellectus bonum percipit, nec tamen prosequitur: sed si objectum voluntatis esset bonum, virtutem omnes colerent, scientiis incumberent: ergo etiam bono proposito, sub aspectu boni, illud voluntas aversatur. R. dist. maj. bonum percipit aliqua tamen molestia acquirendum, conc. maj. nullo labore admixtum, nec difficultate, a qua retrahatur, neg. maj. Vidimus modo pugnam illam virtutem inter, ac vitium ab Ovidio nativis coloribus depictam, in qua virtus succumbit, ob difficultatem, quam habuit Medea in superanda illa adversus Jasonem concepta flamma: quod utinam unum esset exemplum, quo hæc possemus comprobare.

466 Schol. 1. Bonitas objecti appetitum movens eo majorem voluptatem excitabit in anima, quo perfectio vividius, & certius repræsentetur, aut major ipsi appareat: molestiam pariter majorem creabit, quo repræsentatio vividior, & certior, aut majoris imperfectionis adfuerit. Sæpe tamen confligere perfectiones cum imperfectionibus in

in objectis videmus; easque ad animam hanc pugnam transferre, ut vel prosecutionem, vel aversationem in illa excitent. In hoc perfectionum, & imperfectionum conflictu, quæ majorem voluptatem, aut tædium in anima exsuscitaverint (452), plerumque victoriam nanciscentur. Hoc autem, ceteris paribus, a vividiore cognitione has, aut illas repræsentante repetendum venit. Certum autem est, perfectiones, aut imperfectiones rerum non omnes eodem gradu vivacitatis, distinctionis &c. cognoscere: inde oritur, plures litteris, artibus delectari, quæ minimè alios commovent, aut etiam aversantur: virtutem plerique detrectant, qua recti rerum æstimatores maximè delectantur; quod a fallaci repræsentatione perfectionis sensibilis, voluptatem sensualem parturientis, fortius commoveantur; ut ait ille: *trahit sua quemque voluptas*. Ceterum non necessariò trahere, intimo conscientiæ testimonio edocemur. Quandoque enim vel ardentissimas inclinationes aut aversationes superare quisque experimento in semet ipse animadvertere potest.

467 Schol. 2. Erronea est deductio, quam *Materialistæ*, *Libertini &c.* ex hac metaphysica veritate derivant; animam veluti bilancem a ponderibus voluptatis ac molestiæ in suis appetitionibus trahi; ita ut quæ parv alliciens, aut retrahens prævaluerit, eam voluntas necessariò sequatur: quod prorsus humanam libertatem convellit, ne dicam societatem, religionem, ac vitæ rationem evertit. Quatumque enim repræsentata bonitate, ni emotæ mentis homo sit, in hominis potestate semper est, mentem alio abstrahere, imperfectiones sibi repræsentare, ad purum mentis lumen judicium deferre, ita ut exortam appetitionem sedare possimus, aut etiam in aversationem commutare. Sed de his fusius, ubi de libertate disseremus.

468 Positio 2. *Anima objectum appetit, aut renuit aliqua ratione sufficiente inducta, non tamen in sensu leibnitiano* (420). Ratio autem sufficiens est perceptio boni, eique superveniens voluptas; aut molestia in aversatione mali (452). Prob. Anima semper prosequitur objectum sub ratione *boni*, aversatur sub ratione *mali* (458): at hæc est ratio sufficiens, sive ut ajunt, motivum appetitionis, aut aversationis: nam si objecti bonitas, aut malitia non eam movet, est in statu indifferentiæ (454) relatè ad illud: ergo aliqua ratione moveri debet ad objectum amplectendom. Quod autem hæc in sensu a leibnitianis intento intelligenda non sit, ostensum est art. 420.

469 Schol. Per rationem hic sufficientem id intendimus exprimere, quod *motivum* dici solet; minimè autem voluntatis determinationem ratione fundatam esse debere, quæ rationalis appetitus (455) effectus sit. Tum enim a

vero

vero bono semper duceretur; quod optandum quidem est, non tamen sperandum. Unde appetitiones nostræ plerumque irrationales dicuntur, quod ab apparenti bono seducamur, vero relicto.

470 Dices 1. Sæpe e duobus bonis propositis minus bonum eligimus: sed in hac prælatione nulla adest ratio sufficiens: ergo anima solo nutu suo potest in objectum ferri. Idem in aversatione mali institui potest argumentum. Resp. dist. maj. minus bonum eligimus tamquam bonum, conc. maj. sub ratione minoris boni, aut nulla habita ratione bonitatis, neg. maj. Ut minus bonum majori præponatur, aliquod præsentari menti debet *motivum*, quod ipsam ad prælationem alliciat; quale tamen sit, ex circumstantiis deduci debet, ut statim exponemus.

471 Dices 2. Sæpè præsentibus objectis omninò æqualis bonitatis, unum ex his amplectimur, aliis relictis: enimverò hic nulla ratio apparet talis electionis: ex. gr. ex nummis ejusdem typi, ac valoris expendendis, quemquam obvium arripimus; idem de panibus in mensa appositis, aliisque sexcentis evenit. R. neg. min. in casu figurato aliqua semper adest ratio movens voluntatem ad unum præ alio eligendum. Nam in nummis corripiendis obvium quemque seligimus ob promptam executionem, quam adjuvat, qui primus in manus venit. Nec opus est aliqua prævia ad hæc attentione; hoc enim exequimur, ut plerasque alias occurrentes vitæ functiones, usu quodam, ac facilitate naturæ. Ad similes alios casus facilè applicabis traditam explicationem, dum circumstantias attentè consideres actionem præcedentes. Quod si nulla adsit alia ratio, hæc semper in promptu est, exercitium suæ libertatis. Nimirum, propositis duobus bonis æqualis bonitatis, unum præ altero eliget, ut suam libertatem exerceat: quod, etiam si inæqualis bonitatis sint, tenet ad objectum ut minus bonum repræsentatum amplectendum: nempè illud eligo, quia volo in hac electione meam libertatem exercere.

472 Schol. Ut rem majore in lumine collocemus, animadvertamus, oportet, ad ea, quæ in animo geruntur, tum quum ad amplectendum objectum voluntas determinatur. Plura sæpè præcedunt judicia, aut deliberationes, quibus utrinque rationes expenduntur ad alterum alteri præponendum, aut postponendum, donec ad ultimum perveniat judicium, ad quod sequitur voluntatis determinatio. *Practicum hoc judicium* solent appellare; atque ab eo repetunt plures auctores voluntatis determinationem; ita ut, illo concepto, voluntatis actus necessariò sequatur. Nec libertatem convellere hujusmodi necessitatem existimant, eo quod a voluntate queat impediri, suspendi, aut in

in contrarium commutari, mentem alio avertendo, ad alia motiva attentionem imperando &c. Quidquid sit de hoc *judicio practico*, quod aut confunditur cum voluntatis determinatione, statuentis id sibi expedire; aut ex duobus actibus, intellectus nimirum, & voluntatis, fit unus: certum, fixumque sit, voluntatem objectum liberè amplecti, quocumque judicio præcedente; quin nisus ille, quo in objectum tendit, alii quam voluntati tribui queat.

Hoc luculentissimo conscientiæ testimonio est perspicuum. Nam dum, omnibus perpensis, *hoc agendum est*, sibi quisque dicit, simul cognoscit, id ipsum liberè agere, ac posse contrarium imperare. Ubi ergo hæc necessitas judicii practici, a quo voluntas necessariò determinetur? aut potius ubi hoc judicii vestigium, nisi comitans illud sit hunc actum, qui revera voluntatis est, non intellectus. Sed ne litem de nomine excitemus, aut foveamus, apud ipsos etiam judicii practici propugnatores hoc fixum, ratumque est, ipsum a voluntate impediri posse; adeòque saltem mediatè exercitium voluntatis liberum est, tantumque necessitatem hypotheticam inducit, quæ libertatis inimica non est. Ceterum ad illud judicium ferendum voluntas alio judicio practico non indiget, tum enim res in infinitu ı abiret: si ergo alio judicio practico voluntas, ut se determinet, ad ferendum ultimum non eget, cur se ipsa non poterit determinare, quin a judicio illo determinetur?

473 Inst. Hinc sequeretur, eos, qui recto judicio pollent, numquam a virtutis semita aberrare: hoc falsum indicat experientia: ergo & voluntatem a ratione aliqua moveri. R. dist. maj. eos, qui recto judicio *actuali* pollent &c. conc. maj. *habituali*, neg. Non rarò videmus optimo judicio præditos viros in singulari causa a vero aberrare, ac bonitate apparente decipi, vera non perpensa, ac ut par erat, æstimata; quod ad rectè agendum opus est, ut voluntas in verum bonum tendat, ne vividiore appetitus sensitivi imagine, rationis lumen obscuretur.

474 Dices 3. Si voluntas a motivis cognitis ad bonum determinatur, non jam voluntas se ipsa, sed intellectus eamdem determinat: hoc everrit libertatem: ergo alterum falsum est. R. dist. maj. voluntas non se ipsa independenter ab intellectu determinat, conc. maj. dependenter ab eodem, neg. Vulgare est axioma: ignoti nulla cupido; unde voluntas necessariò eget ad se determinandum ope intellectus, objecti bonitatem proponentis, aut imperfectionem repræsentantis, ut illud complectatur, aut aversetur; quod exercitium est illius facultatis animi, quam voluntatem appellamus. Revera tam cognoscere, quam amare, aut fugere objectum, actus sunt ejusdem substan-

tiæ diversimodè in objectum tendentis: quin alia sit pars cognoscens, alia prosequens idem objectum; quod animæ simplicitatem pessundaret, partibus in illa conceptis; ut mox videbimus.

475 Inst. Facultas se determinandi debet consistere in potestate amplectendi sine motivis, aut contra motiva, objectum propositum: ergo etiam, stante bonitate objecti, aut ratione sufficiente quacumque, potest voluntas contrarium amplecti. R. neg. primam partem ant. sine motivo enim voluntas objectum amplecti non potest; tum enim ferretur in ipsum, ac non ferretur (458), & dist. secund. part. ant. contra motiva antecedentia per motiva subsequentia, conc. ant. contra motiva tam antecedentia, quam consequentia, neg. Plerumque fluctuans voluntas hinc inde abripitur, quin statuat quid agere debeat, ac incitamenta prius ipsam allicientia, novis motivis, aut præcedentibus vividius propositis superat, & contra, ac prius alliciebatur, determinat.

476 Inst. Si motiva proposita voluntatem ultimò impellunt ad se determinandam, necessitatem antecedentem ipsi afferunt: hoc autem cum libertate pugnat: ergo sine motivis, aut contra motiva potest determinare. R. neg. maj. necessitas enim antecedens illa dicitur, quæ in nostra potestate non est; at voluntatis determinatio, quamvis sine motivis fieri non possit, est tamen in potestate voluntatis ex hoc, aut alio moveri. Si enim nullum adsit motivum, est in statu indifferentiæ (454); non potest autem esse indifferens, & ferri in objectum: si ergo fertur in illud, ab aliquo motivo determinatur. Uno verbo, libertas voluntatis non est ad se determinandum sine motivis, sed ad eligendum inter extrema, pro quibus adsunt utrinque motiva.

§. II.

De Affectibus, ac Habitibus animæ.

477 „ In his explicandis veterem illam equidem Pythagoræ primum, deindè Platonis descriptionem sequar; qui animum in duas partes dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam, quietamque constantiam: in illa altera motus turbidos, tum iræ, tum cupiditatis contrarios inimicosque rationi. Sit igitur hic fons. „ Tuscul. lib. 4. cap. 5. Qui minutè affectus animæ descriptos velit, insistat lectioni hujus aurei Ciceronis libri; nec enim brevitati nobis præfixæ longam illam orationem hic transcribere opportunum esset.

478 In *appetitu* igitur *sensitivo* (455), appetitiones, & aversationes excitantur ab confusa, vividiore tamen, objectorum repræsentatione, cum quadam sanguinis, ac fluidi animalis commotione, ac motus illos turbidos modò descriptos in anima commovent. Hos *affectus* appellamus, quos perturbationes Tullius, Græci πάθη dicunt, vulgus *passiones*. In omni ergo affectu voluptas vehementior, aut tædium exoritur (452); ex quibus affectus *gratos*, aut *molestos* distinguimus. Natura enim omnes ea, quæ bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria; quomodo bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus. Itaque si id a ratione dirigatur, affectus nostros *rationales* esse, aut rationi subordinatos, rectè dicimus: qui autem adversa ratione concitati sunt vehementius, vulgo *passiones* audiunt, quæ inordinatæ sunt appetitiones, aut aversationes alterius partis animæ rationis expertis. „ Reliquum est ut tute tibi imperes. Quamquam hoc nescio quomodo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat: non inscitè tamen dicitur. Est enim animus in partes distributus duas: quarum altera rationis est particeps, altera expers. Quum igitur præcipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coerceat temeritatem „. Tusc. lib. 2. cap. 21.

479 Affectus in *primigenios*, *ac derivativos* partiuntur. *Primigenios* illos dicunt, qui sunt veluti origo, ac fons reliquorum; *derivativos* vel ipso nomine a primitivis derivari, planum est. Qui autem primitivi affectus sint, variant auctores; nec est in hac quæstione laborandum, quæ verborum magis, quam rerum est controversia. *Iram*, & *cupiditatem*; *gaudium*, ac *tristitiam* ponas in primitivis, perindè res se habet.

480 Sunto igitur *gaudium*, *ac tristitia* primitivi affectus. Ad gaudium affectus grati; ad tristitiam molesti reducuntur. Inter gratos affectus continentur *Amor*, qui est gaudium de alterius perfectione, prout scilicet percepta nobis voluptatem parit (452). *Lætitia*, sive *hilaritas* est gaudium e mali cessatione. *Spes* est gaudium de bono futuro, quod tamen nobis obventurum nondum certò scimus: si enim quasi certi simus, *Fiducia* solet nominari. Huic proxima est *Animositas*, quæ fiducia est, bonum cum difficultate obtinendi. *Acquiescentia* gaudium est de bono a nobis perpetrato: quod si ab aliorum existimatione id oriatur, *Gloria* dicitur. *Cupiditas* utrique parti adjungitur. Si enim conatus boni obtinendi gaudio affectus sit, ad hos affectus gratos reducitur: secus, si anxietatem pariat, tum enim ad sequentes refertur.

481 Ex tristitia derivantur; *Desiderium*, quæ tristitia est ex retardatione boni obtinendi proveniens; *Pusillani-*

mitas ex difficultate; *Metus* ex impendente malo; *Timor* ex appropinquante; *Horror* ex imminente; *Pavor* ex præsenti; *Terror* ex improviso; *Desperatio* ex malo, quod evitari non potest, ac intolerandum videtur. *Pœnitentia* ex male gestis: *Pudor* ex sinistro aliorum de nobis judicio: *Ira* ex injuria nostra, vel aliena, si aliquo modo nos afficiat: quæ quidem si inveterata sit, *Odium* nuncupatur: *Commiseratio* ex alterius infelicitate: *Invidentia* de felicitate: *Luctus* ex funere charorum &c.

482 *Habitus* est promptitudo quædam, ac facilitas diuturna exercitatione comparata. Porrò habitus tum corpori, tum animæ conveniunt. Facilitas illa longa membrorum exercitatione comparata, qualis in artificibus mechanicis, aliisque actionibus membris exercitis observatur, ad habitus corporis refertur: quæ verò facultatum animæ exercitatione comparatur, ut facilitas disserendi, demonstrandi, aut etiam quosdam affectus, tum gratos, tum mœstos in anima excitandi, ad habitus animæ adjudicatur.

483 Omnes habitus tam corporis, quam animæ substantiam spiritualem, prout a corpore dependentem, afficiunt. De supernaturalibus habitibus animo infusis hic sermo non est: quorum tractatio theologos spectat: eos tantum attingimus, qui naturalium actionum exercitatione comparantur. Et quidem corporis habitus a membrorum flexibilitate earumdem actionum iteratione acquisita provenire, quæ succum nerveum facilius permeare, quadamque directione cerrius ferri faciunt, nemo est qui dubitet. Ab ipsis enim brutis animantibus hæc præstari videmus, longa magistrorum patientia hæc edoctis.

484 Quod ad habitus spirituales attinet, a memoria hanc facilitatem provenire, quam habitum vocamus, inductione videtur ostendi. Nam quod intellectus operationes respicit, scientias habitu numquam obtinemus, nisi longa memoriæ exercitatione, quæ in fibris cerebri eam facilitatem inducat, ut ad nutum omnes ideæ eo ordine menti repræsententur, qui & methodum scientificam constituit, (Log. 236), & memoriæ character genuinus existit (372). Quod ad voluntatem attinet, experimento comprobamus quotidiano, affectus omnes (480) iteratione actuum magis magisque invalescere; quumque hi affectus in appetitu sensitivo sedem habeant, a confusaque, ac vivida objectorum repræsentatione excitentur (478); indubium videtur a memoria, sive imaginationis facilitate pendere.

485 Corol. Vitia omnia habitus animæ sunt, quemadmodum & virtutes. Vitium, & virtus hic propensionem illam animæ in bonum, & malum indicant, quæ nos frequenter ad actiones pravas, aut honestas facilius exequendas ducit. Affectus enim singularis pravus, aut honestus hominem vitiosum aut virtuosum non constituit; sed iteratione ejusdem affectus facilitate contracta, vitium, ac virtus in secundam naturam abeunt. Vitium quidem proclivitate quadam naturæ in res sensibiles voluptate alliciente paucis actibus facilitatem inducit: virtus contra hanc sensibilem objectorum allicientium repræsentationem colluctatura, *multa tulit, fecit, sudavit, & alsit*. Sed hæc ad Ethicam spectant.

§. III.

De humana Libertate.

486 En quæstionem, quam implexam satis, atque difficilem humani ingenii cavillationes reddiderunt; quum vix ulla umquam veritas clarior, ac evidentior extiterit; intimoque sensu, & conscientia definienda magis, quam philosophicis rationibus, ac syllogismis comprobanda foret. Sanè vel ipse *materialista* Lucretius, qui religionem omnem convellere in votis habebat, veritatem hanc negare non potuit, ac veluti præscius *Harmoniæ præstabilitæ*, sic illam impugnat, pugnans pro libertate:

Denique si semper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur semper novus ordine certo: . .
Unde est hæc, inquam, fatis avulsa voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas?
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus sua quemque voluntas
Principium dat; & hinc motus per membra rigantur.
Nec simile est, ut quum impulsi procedimus ictu
Viribus alterius magnis, magnoque coactu.
Nam tum materiæ totius corporis omnem
Perspicuum est, nobis invitis, ire, rapique,
Donicum eas refrænavit per membra voluntas.
Jam ne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit, & invitos cogit procedere sæpe,
Præcipitesque rapit, tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit,
Cujus ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et projecta refrænatur, retroque residit?

Lucr. l. 2. v. 251.

487 Jam *necessitas* duplex distingultur, *externa* altera, altera *interna*. Externa *coactio* dicitur, ut est illa a Lucre-

tio descripta hominis valido impulsu alterius magnis viribus eum propellentis: interna est vis quædam inexsuperabilis, voluntatem ad unum determinantis, quin aliud suapte possit eligere. Talis est inclinatio ab beatitudinem, sive bonum generaliter perceptum, in quod homo necessariò tendit, quin malum, ut tale, umquam appetere queat (462). „ Quod si ad finem, seu *beatitudinem* non posset perveniri, nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea, quæ sunt ad finem. Sed ita non est in proposito, nam multis viis ab beatitudinem perveniri potest . . . & ideò licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult „: ajebat D. Thomas, Quæst. 6 de Malo.

488 Necessitati contraria est libertas, quæ idcircò etiam duplicis generis existit, a *coactione* nimirum & a *necessitate*. Sic ad beatitudinem appetendam nullo externo impulsu teneri dicimur, ideòque coacti non sumus; sed dum bonum appetimus, liberi a coactione amplectimur. Libertas a necessitate est facultas animi expedita ad quodvis particulare bonum amplectendum, vel rejiciendum, sive agendi, aut non agendi, a nullo interno principio ad id determinati, sed qui suapte ad unum potius, quam aliud flectatur. „ Motus enim voluntarius eam naturam in se continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa: ejus enim rei causa ipsa natura est „. Cic. de Fato cap. 11.

489 Corol. Libertas a coactione cum necessitate interna amico fœdere conjungi potest; ut in adducto exemplo beatitudinis est manifestum, quam necessario amamus, nullo tamen ad id cogente, sed spontè in illam ferimur. Hinc omnis actus a coactione liber, quamvis necessitate interna fiat, spontaneus est, quin sit liber. Imò & voluntarius est, quippè a voluntate profectus, quæ nullam coactionem in suis actibus pati potest.

490 Schol. Hæc notio spontanei, & voluntarii ansam dedit humanæ libertatis osoribus omnem lapidem movendi, ut libertatem tollerent, actusque nostros hoc sensu liberos pronunciarent, quo nimirum & illi liberi sunt, qui necessariò fiunt. Satè qui vitiositatis suæ prætextum quærit excusandæ, nulla alia promptior hac est via, atque universi humani generis corrumpendi; quod si semel hac perniciosa opinione imbutus sit, de religione, societate, moribus, orbisque totius felicitate actum est. Quare auctor essem hujusmodi homines talia dogmata propagantes, velut hostes publicos humani generis in crucem statim agendos esse, ac suos libros comburendos.

491 Libertas a necessitate, sive indifferentiæ, duplex di-

distinguitur; ad actus nimirum ponendos, vel omittendos, quæ libertas *contradictionis*, & *exercitii* audit in scholis, quippè inter duo contradictoria versatur, qualia sunt *esse*, et *non esse* (Log. 120), vel ad actus contrarios, aut diversos exercendos, quæ *contrarietatis*, et *specificationis* vocatur, eo quod inter contraria, quæ videlicet simul esse non possunt, aut ad species diversas pertinent, contineatur: ut sunt amor, et odium; cursus, et sessio.

492 Corol. Libertatis species modò explicatæ possunt simul concurrere, ac etiam dissociari: sic ita liber sum ad scribendum, vel non scribendum, ut possim etiam hoc, vel illud exarare pro libito: quamvis autem liber sim, ut in hoc potius, quam alio loco scribam, in hac, aut alia charta; liberum mihi non est nullibi existere, ac scribere omni instrumento scriptionis destituto. Sic etiam quantumvis liber ad hoc, vel illud cogitandum sim; mentem tamen ab omni cogitatione suspendere non valeo.

493 1. *Libertas indifferentiæ necessariò requirit deliberationem intellectus, motiva utrinque perpendentis; sive judicium indifferens*, ut vocant, *quo extrema, inter quæ electio versatur, indifferenter proponantur, tam ut amplectenda, quam ut rejicienda*. Nam si intellectus judicavit, omninò unum præ altero expedire, quum voluntas, ut fert adagium, *potentia cæca* sit, extrema non habet, inter quæ eligere possit: ferri enim nequit in malum ut tale cognitum (458); ferretur autem, intellectu præjudicante, alterum extremum esse bonum, alterum malum, si primo relicto, alterum eligeret. Hoc evenire in generali inclinatione, quam ad beatitudinem habemus, perspicuum est: quum enim intellectus beatitudinem semper ut summum bonum respiciat, voluntas in illam necessariò fertur, quin ad illam amplectendam libertate indifferentiæ gaudeat.

494 Corol. Libertas rationem necessariò supponit: stare enim sine judicio indifferente non potest (præc.): judicium autem actus est intellectus, ac rationis (391): ergo libertas in anima intelligente tantum collocari potest. Quare nisi belluas pares nobis faciamus, libertatem ipsis negemus, oportet.

495 Positio 2. *Ad libertatem indifferentiæ requiritur etiam facultas proxima, ac expedita ab omnibus impedimentis, quæ exercitium agendi præpediunt*. Hoc ex ipsa definitione libertatis (488) manifeste eruitur, quæ facultatem supponit ad suos actus exercendos: chimærica autem esset illa facultas, quæ exeri in aliquem non potest, aliundè impedita, ut sole clarius est. Quis enim habet potestatem ad id, quod agere non potest: at si adsunt impedimenta, voluntas agere non potest: ergo habere debet voluntas expeditam facultatem.

496 Corol. Facultas illa expedita censebitur, quæ etiam adstantia impedimenta removere potest: secus erit, si impedimenta arcere nequeat ad agendum. Sic dum sedeo, currere non possum, quum autem sedem queam relinquere, facultatem habeo currendi: sic, oculis apertis, objecta incurrentia necessariò video; in mea tamen potestate est oculos claudere, aut aliò divertere, ne objectum ad peccandum alliciens conspiciam.

497 Schol. Præter hactenus dicta, requiritur etiam ad libertatem concursus Dei, auxilia gratiæ ad actus supernaturales &c. quæ quum omnibus præstò sint, supervacaneum esset recensere. Hæc autem sunt, quæ actum primum proximum (150) constituunt libertatis; & quæ natura prius ipsa actione esse debent (141).

498 Positio 3. *Voluntas humana non solum libera est a coactione, verum impossibile etiam est coactionem pati.* Prima propositionis pars nulla indiget probatione; adeò perspicua omnibus est. Ad secundam quod attinet, satis est intimam animæ naturam attentè introspicere inter violentas concussiones corporis, quibus ad aliquid amandum, aut repudiandum adigeretur: certo certius est, eamdem nullum actum elicere, nisi ad id determinetur; determinari autem nisi a se ipsa non potest; actus enim intimus substantiæ spiritualis est, sive ipsius modificatio: numquam ergo, nisi ipsa volens, aut nolens, actum eliciet, aut omittet. Esto exemplum mercator adactus merces in mare projicere a tempestate, in quo coactionem suspicari quis posset. Certum est, prævalente motivo vitæ servandæ, ipsum merces pessundare: quum tamen veram voluntatem habeat vitam salvandi, verè etiam concipit actum positivum merces projiciendi, quamvis alia etiam simul adsit voluntas, seu *volitio*, ut ajunt scholæ, qua desideraret, ne in tali statu constitueretur. Idem de aliis similibus eventibus est dicendum.

499 Schol. Actus *eliciti* voluntatis dicuntur ipsæmet *volitiones*, aut *nolitiones*, quibus intimè modificatur, seu afficitur anima erga aliquod objectum. *Imperati* sunt illi, quorum executio ad voluntatis imperium ponitur ab alia facultate corporis, aut animæ: quemadmodum sunt imaginationis excitatio, deambulatio, membrorum motio &c. Ad hos actus anima immediatè non est libera, ac etiam coactioni subesse possunt, ut est manifestum in eo, qui alio propellente ad motum concitatur. Dixi, non esse immediatè liberam: mediante enim voluntatis imperio exercentur, aut omittuntur; ideòque & impediri possunt, aut violenter exerceri: quare coactio in actus imperatos cadere potest, in elicitos non potest.

500 Positio 4. *Homo gaudet plena libertate indifferentiæ, ita*

ita ut humana voluntas perfectè libera sit, nullaque interna necessitate ad suos actus adigatur. Hanc propositionem auctoritate SS. Scripturarum, Traditione Ecclesiæ, Conciliorum sanctionibus, PP. auctoritate demonstrare, theologiæ provincia est, contra Sectarum promotores, qui libertatem post Adami peccatum amissam esse contendunt. Nostrum est ratione agere, ac pro virili parte luculentissimis argumentis præsentem conclusionem confirmare. „ Tota hominis libertas, ait Genuensis, binis verbis absolvi potest, ac dipito, ut ita dicam, demonstrari. Exploratum est, causas necessarias agere semper secundum totas suas vires: lapides totis viribus decidunt: elateres totis viribus objecta obstacula repellunt: ignis, aqua, ceteræ naturales, ac necessariæ causæ totis semper suis viribus agunt. At verò nisi vim manifestam conscientiæ facere velimus, ex intima experientia quilibet persentiscit posse se parte virium agere. Ut ecce quum abacum hunc primum parva vi digitis premo; mox majori; deindè paulo etiam majori; postremò quantum queo; nemo dixerit, me non potuisse premere totis viribus, quum parte premebam; nam aliàs ne postremò quidem id potuissem. Qui ergo parte virium agere possum, ac majori, vel minori, prout libitum fuerit, cogor fateri, me non necessariò agere, idest, esse liberum. Itaque nisi hoc sit perspicuum, non video, quid in ideis humanis clari ac perspicui esse possit. „ Tom. 1. Met. cap. 4. nota (a).

501 Prob. 2. Aut bonum, & malum morale non existit; aut libertas indifferentiæ inest voluntati: falsum prius, ac omnes ideas generis humani pervertens: ergo posterius est verum. Prob. min. Si malum, & bonum morale in actionibus humanis tenet, hæ liberæ hominibus sunt: quod sic ostendo. Nihil honestum, aut pravum reputatur, quando in manu perpetrantis situm non est illud facere, aut omittere: at hæc est notio libertatis indifferentiæ: ergo a notione pravi, & honesti altera libertatis idea legitimè deducitur. Major autem propositio intima conscientia, communi sensu, omnium gentium auctoritate comprobatur. Intima conscientia; nemo enim umquam se reum existimavit actionis pravæ, quam dormiens, febricitans, amens fecit: sensus communis in pueris maximè splendet, qui accusati aliquid egisse, quod vitare non potuerunt, statim excusationem prætexunt, se ab impotentia justificantes, quin hoc ab aliquo jurisperito sint edocti: auctoritas omnium gentium in tribunalibus justitiæ, legitimam defensionem admittentium in homine criminis præjudicato, dummodò ostendat, se aliter agere non potuisse: ut evenit in homicidio involuntario.

502 Prob. 3. Deus injustus, homines crudelissimi, ac ini-

iniqui essent, si hominibus libertate carentibus leges dictarent, suppliciisque earum infractiones punirent: hoc autem sensum communem lædit: ergo homo perfectè liber est. Prob. maj. injustè homini præcipitur id facere, a quo necessitate naturæ avertitur; aut non facere, quod, cogente ipsa, fieri necesse est: quis umquam ingenio abundare, robustis viribus valere, infirmitatibus vacare præcepit? atqui hoc evenit, homine libertate privato, ut est manifestissimum. Prob. min. tam mihi evenit natura gracilis constitutio, quam Catilinæ patriæ expoliandæ cupido, stante fatalistarum opinione: at injustè mihi præciperetur gracilem non esse, crudelissimèque ob hoc supplicio afficerer: ergo idem de Catilina dicendum. Quod si dixeris, belluas suppliciis affici libertatis expertes: maximè inquam; sed hæc non est præteritæ actionis pœna, sed mechanica, ut ita dicam, admonitio imaginationis, ut ab idea verberum recurrente in posterum arceatur.

303 Confirm. Intimam cujusque conscientiam appello. Pœnitetne te, plebejo genere, humili loco, fortunis modicis natum esse, valetudine infirma, ingenio tardo, eodem modo, quo dum actionem pravam commisisti? minimè inquies. Est igitur dissimilitudo maxima inter utrosque eventus: nulla autem alia assignari potest, quam defectus libertatis in primo casu, in altero facultas rem pravam non faciendi. Idem argumentum in actionibus laude dignis instaurari potest: *nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voce . . . meritis expedite causam*, ajebat Ulysses in celebri illa cum Ajace contentione. Diversum sanè est conscientiæ testimonium, dum res fortuna partas, ac illas virtute acquisitas considerat, ac sibi gratulatur.

304 Schol. 1. Ab experientia deductum pro libertate argumentum astu deludere posse fatalistas, acute observat Monteirus; quæ tamen hactenus proposuimus, experientia non nituntur, sed boni ac mali moralis notionibus, justitia legum ac pœnarum; testimonio conscientiæ diversimodè res pravas necessitate, ac voluntate factas expendentis.

305 Schol. 2. Nostrum non est diversas opiniones perpendere, quæ pro componenda humana libertate cum præscientia, auxiliis, & concursu Dei cum voluntate excogitatæ sunt, graviaque dissidia inter scholas pepererunt non sine gravi christianæ charitatis jactura, ut omnibus notum est. Sunt qui putent, Deum voluntatem prædeterminare ad omne id, quod amplectitur, aut rejicit; eo quod causa sit prima, ac universalis, e qua omnis motio proficisci debet. Supremum etiam Dei dominium in creaturas lædi putant, nisi voluntatem sibi subjectam, ac dependentem habeat, ab eoque ad omnes suos actus promoveatur. Alii

Alii contra, ejusmodi præmotionem, humanam libertatem pessundare existimant, validissimisque rationibus confirmant, quibus satisfactum iri ab adversariis minimè posse confidenter pronunciant. Joannes Bapt. Du Hamel hanc opinionem promovet Met. tract. 3, quæst. 3, ut alios omittam partium fortassè studio suspectos. Id tamen ab omnibus, cuicumque opinioni addicti sint, tenendum existimo; ad quod nisi, velut ad sacram anchoram confugiant, firmiterque adhæreant, perindè ac apertos humanæ libertatis inimicos habendos pronunciare non dubito. Voluntatem nimirum sub quacumque præmotione, delectatione, æqualis aut majoris bonitatis repræsentatione &c. semper dominam remanere suæ determinationis, etiam in *sensu composito* præmotionis &c. Aliter enim invincibilis necessitas voluntati inducitur, qua posita actum & conclamatum est de libertate. Dixi in *sensu composito*, hoc intelligens, ut in potestate voluntatis sit, ne talis *sensus compositus* eveniat. Si enim prædeterminatio præcedit, necessitatem antecedentem inducit, ac inevitabilem, ut luce meridiana clarius est.

Hæc adeò manifesta sunt, ut leibnitiani quidam, ut libertatem cum harmonia præstabilita conciliarent, scientiam Dei præcedere voluerint, quæ prævidens omnes voluntatis determinationes non prius ordinem harmoniæ decreverit, quam voluntatem liberè se inflectentem, ac illam seriem actionum ab ipsa liberè ponendam præviderit. Hic etiam aditus patet his auctoribus, qui voluntatem a Deo prædeterminari asserunt. Nam si id fiat prævisione determinationis liberæ voluntatis, ita ut electio ejus præcedat, ad eamque prævisionem sequatur decretum prædeterminans, sarta tecta remanet libertas humana; quin de verbis sit laborandum, quibus hæc, aut alia schola sensa sua exprimit, quod olim de stoicis, ac peripateticis asserebat Tullius verbis dissidere, sententiis convenire.

Idem ad duas delectationes, a quibus aliqui determinationes voluntatis repetendas existimant, extendere non gravabor. Dicunt enim, hominem necessario peccaturum, si delectatio terrena major fuerit, si vero delectatio cœlestis major, nullo modo peccaturum. Hoc igitur systema si majorem vel minorem delectationem in homine ita ponat, quæ ab hominis arbitrio pendeat, eaque majore reflexione, meditatione, aliisque mediis augeri, vel remitti possit: id demum asserit, quod alii præmotionis, prædefinitionis, gratiæ congruentis, harmoniæ præstabilitæ, aut aliis quibuscumque nominibus exponunt; si conditionibus modò expressis id defendant. „ Quidquid enim, ait sapienter Antonius Ludegna, terrena delectatio, & cupiditas sit, aut ex quocumque principio ducatur, ea certè nonnisi ex affectionibus, & motibus animi petenda erit;

erit; qui si mens non sit, nec motionibus corporeis debilitetur, aut obruatur, & possit ex se moveri, & motus etiam contrarios producere, quid tandem erit, ex quo negemus, cupiditatem, & delectationem terrenam reflexione, & consideratione, et motus contrarios inducendo augeri, et debilitari non posse? Quod si animi vis post peccatum quidem imminuta fuerit, non tamen extincta, si ipsius adhuc natura perseveret, et possit ex se et nullo cogente moveri, et contrarios etiam motus inducere; quid minus probari poterit, quam hominem omni vi, et efficacitate privari, et brutis animantibus quam simillimum cæco quodam impetu, et cupiditatibus corporeis hac illac necessariò circumferri, nisi illæ quidem intensiori divinæ gratiæ vi vinciantur, et superentur? Quod quidem si ponatur, et quoquo modo probetur, jam de tota hominis libertate actum, et conclamatum erit„. Met. lib. 3, cap. 6.

ARGUMENTA CONTRA LIBERTATEM.

506 Argum. 1. Sensus intimus ille, quo libertatem probavimus, nos decipere potest: ergo hoc testimonio libertas indifferentiæ non probatur. Ant. prob. Animam toto corpore diffusam sensus intimi testimonio multi comprobarunt, quod purum putum præjudicium fuit: idem igitur de libertate dicendum. R. neg. ant. & conc. ant. prob. neg. cons. In casu in exemplum adducto, sensus intimus solum dictabat, e quacumque parte corporis sensationes in animam oriri posse, corporis sensationibus respondentes (344, & seq.); ceterum animam inibi existere, ubi sensiones originem trahunt, eo jure deducebatur, quo in extima parte baculi, qua pavimentum resistens sentimus, residentem affirmaremus. Nostræ verò libertatis ita conscii sumus, ut, si hæc intima conscientia in errorem induceret, scepticos nos esse oportere, dicendum sit.

507 Dices tamen: Plures, ut Hobbesius, Collinius, Helvetius, Mirabodius &c. contra hanc perspicuitatem animum obfirmarunt, libertatem negantes; eo quod sola libertas a coactione satis sit ad hunc sensum intimum percipiendum. Quod lapidis exemplo probant, cui si adjungeretur ratio ex alto decidenti, se liberum in descensu existimaret, eo quod gravitate propellente spontè descendat: Idem ergo in casu nostro affirmemus, oportet. R. neg. ant. cum probat. adjuncta. Sanè dum quis ex alto præceps agitur, sentit se, & agere juxta inclinationem materiæ gravitantis, & simul impedire se hunc motum non posse: contra ac in quolibet motu libero sentimus, & nos agere, & majore vi, aut minore, aut tandem

dem a motu imprimendo desistere posse. Hoc adeò verum est, ut in actibus spontaneis, quibus necessariò agimus nulla coactione optimè discernamus, & agere, & liberè non agere. Sic percipimus ferri necessariò simul, ac libentissimè in beatitudinem; quin illam odisse unquam valeamus.

508 Inst. Intimus ille sensus, a quo argumentum ducimus pro libertate, est vel perceptionum, vel judicioruni, vel actuum voluntatis; at perceptiones necessariæ sunt, judicia itidem, quippè a potentia necessariò agente profecta, ut est intellectus; ac posito judicio practico agendi, voluntatis determinatio necessariò sequitur: ergo evanuit conscientiæ testimonium, in quo maximè exultant libertatis assertores. R. neg. omnes partes in disjunctione contentas: omnia enim, quæ congerit Collinius universaliter asserta falsa sunt. Nam 1. perceptiones impedire plerumque possumus, ex. gr. oculos declinando, incurrentia objecta vitando &c. excitatos etiam sopire integrum sæpè nobis est, ideas alias inducendo, mentem alio declinando, motiva contraria proponendo, quæ impressionem factam retundant. 2. Etiamsi judicia libera non sint, convenientia inter subjectum, & prædicatum percepta; discussionem tamen hujus convenientiæ animus suspendere sæpè valet; multoque magis ratiocinii integram deductionem persequi, liberum animæ est, alio mentem divertendo, quin examini præmissarum insistat. 3. De judicio practico, etiamsi verum esset, quod asseritur, ac jam supra (472) improbavimus, illo semel concepto, voluntatis determinationem necessariò consequi; quum integrum sit animo, tale judicium suspendere (ibid.), necessitas non est antecedens, sed a voluntate proficiscitur.

509 Arg. 2. Humana libertas cum præscientia, ac decretis Dei conciliari non potest. Prob. Quæ a libertate pendent, contingentia sunt, ac possunt non esse pro libito voluntatis: enimverò quæ Deus præscivit, ac decrevit, necessariò eveniunt: ergo pugnant libertas, ac præscientia Dei. Hoc argumentum gravem illum, & cordatum philosophum M. Tullium transversum egit pro libertate pugnantem, ne præscientiam futurorum concederet; ut videre licet in lib. de fato. R. neg. assumptum, ac minorem prob. dist. quæ Deus præscivit, ac decrevit, necessariò eveniunt necessitate antecedente (de contingentibus loquor), neg. min. necessitate consequente, & hypothetica (116), conc. min. Mirum videri posset, in re tam plana clarissimam Tulli mentem excutiisse, nisi animum ad id adverteremus, nobis hæc videri perspicua, quia fidei lumine collustramur. Certum est, ideò Deum prævidere ab æternitate hanc meam lucubrationem, quia libe-

erit; qui si mens non sit, nec motionibus corporeis debilitetur, aut obruatur, & possit ex se moveri, & motus etiam contrarios producere, quid tandem erit, ex quo negemus, cupiditatem, & delectationem terrenam reflexione, & consideratione, et motus contrarios inducendo augeri, et debilitari non posse? Quod si animi vis post peccatum quidem imminuta fuerit, non tamen extincta, si ipsius adhuc natura perseveret, et possit ex se et nullo cogente moveri, et contrarios etiam motus inducere; quid minus probari poterit, quam hominem omni vi, et efficacitate privari, et brutis animantibus quam simillimum cæco quodam impetu, et cupiditatibus corporeis hac illac necessariò circumferri, nisi illæ quidem intensiori divinæ gratiæ vi vinciantur, et superentur? Quod quidem si ponatur, et quoquo modo probetur, jam de tota hominis libertate actum, et conclamatum erit„. Met. lib. 3, cap. 6.

ARGUMENTA CONTRA LIBERTATEM.

506 Argum. 1. Sensus intimus ille, quo libertatem probavimus, nos decipere potest: ergo hoc testimonio libertas indifferentiæ non probatur. Ant. prob. Animam toto corpore diffusam sensus intimi testimonio multi comprobarunt, quod purum putum præjudicium fuit: idem igitur de libertate dicendum. R. neg. ant. & conc. ant. prob. neg. cons. In casu in exemplum adducto, sensus intimus solum dictabat, e quacumque parte corporis sensationes in animam oriri posse, corporis sensationibus respondentes (344, & seq.); ceterum animam inibi existere, ubi sensiones originem trahunt, eo jure deducebatur, quo in extima parte baculi, qua pavimentum resistens sentimus, residentem affirmaremus. Nostræ verò libertatis ita conscii sumus, ut, si hæc intima conscientia in errorem induceret, scepticos nos esse oportere, dicendum sit.

507 Dices tamen: Plures, ut Hobbesius, Collinius, Helvetius, Mirabodius &c. contra hanc perspicuitatem animum obfirmarunt, libertatem negantes; eo quod sola libertas a coactione satis sit ad hunc sensum intimum percipiendum. Quod lapidis exemplo probant, cui si adjungeretur ratio ex alto decidenti, se liberum in descensu existimaret, eo quod gravitate propellente spontè descendat: Idem ergo in casu nostro affirmemus, oportet. R. neg. ant. cum probat. adjuncta. Sanè dum quis ex alto præceps agitur, sentit se, & agere juxta inclinationem materiæ gravitantis, & simul impedire se hunc motum non posse: contra ac in quolibet motu libero sentimus, & nos agere, & majore vi, aut minore, aut tandem

dem a motu imprimendo desistere posse. Hoc adeò verum est, ut in actibus spontaneis, quibus necessariò agimus nulla coactione optimè discernamus, & agere, & liberè non agere. Sic percipimus ferri necessariò simul, ac libentissimè in beatitudinem; quin illam odisse unquam valeamus.

508 Inst. Intimus ille sensus, a quo argumentum ducimus pro libertate, est vel perceptionum, vel judicioruni, vel actuum voluntatis; at perceptiones necessariæ sunt, judicia itidem, quippè a potentia necessariò agente profecta, ut est intellectus; ac posito judicio practico agendi, voluntatis determinatio necessariò sequitur: ergo evanuit conscientiæ testimonium, in quo maximè exultant libertatis assertores. R. neg. omnes partes in disjunctione contentas: omnia enim, quæ congerit Collinius universaliter asserta falsa sunt. Nam 1. perceptiones impedire plerumque possumus, ex. gr. oculos declinando, incurrentia objecta vitando &c. excitatos etiam sopire integrum sæpè nobis est, ideas alias inducendo, mentem alio declinando, motiva contraria proponendo, quæ impressionem factam retundant. 2. Etiamsi judicia libera non sint, convenientia inter subjectum, & prædicatum percepta; discussionem tamen hujus convenientiæ animus suspendere sæpè valet; multoque magis ratiocinii integram deductionem persequi, liberum animæ est, alio mentem divertendo, quin examini præmissarum insistat. 3. De judicio practico, etiamsi verum esset, quod asseritur, ac jam supra (472) improbavimus, illo semel concepto, voluntatis determinationem necessariò consequi; quum integrum sit animo, tale judicium suspendere (ibid.), necessitas non est antecedens, sed a voluntate proficiscitur.

509 Arg. 2. Humana libertas cum præscientia, ac decretis Dei conciliari non potest. Prob. Quæ a libertate pendent, contingentia sunt, ac possunt non esse pro libito voluntatis: enimverò quæ Deus præscivit, ac decrevit, necessariò eveniunt: ergo pugnant libertas, ac præscientia Dei. Hoc argumentum gravem illum, & cordatum philosophum M. Tullium transversum egit pro libertate pugnantem, ne præscientiam futurorum concederet; ut videre licet in lib. de fato. R. neg. assumptum, ac minorem prob. dist. quæ Deus præscivit, ac decrevit, necessariò eveniunt necessitate antecedente (de contingentibus loquor), neg. min. necessitate consequente, & hypothetica (116), conc. min. Mirum videri posset, in re tam plana clarissimam Tulli mentem excutiisse, nisi animum ad id adverteremus, nobis hæc videri perspicua, quia fidei lumine collustramur. Certum est, ideò Deum prævidere ab æternitate hanc meam lucubrationem, quia libe-

berè me determinaturus eram ad scribendum; quod de omnibus actibus liberis creaturarum dicendum est, quos Deus nec prævidit, nec decrevit, nisi voluntatis exercitio præviso; quod scientiam conditionatorum vocant theologi; quibus relinquimus has difficultates extricare, quæ a concordia libertatis cum decretis Dei, ac divinæ gratiæ auxiliis proficiscuntur.

Quod ad actus naturales liberos attinet, certum est, præscientiam Dei hujus scriptionis minimè lædere meam libertatem; quemadmodum eamdem non destrui ab his, qui me scribentem vident, perspicuum est. Nec enim me determinat ad scribendum, aut impedit meam determinationem, quod alius me scribentem inueatur, aut ex circumstantiis etiam prævideat, me hodie scripturum. Decretum autem Dei has præ illis actionibus naturalibus decernens, præscientiam Dei consequitur, sine qua illud non concipitur, eo quod Deus velit juxta indolem causæ liberæ res procedere. Neque dixeris, hujusmodi inspectionem voluntatis creatæ dominium illud in res creatas convellere, quo Deus omnia sibi subjicit, & quæcumque vult, facit. Sicut enim dominium illud supremum non extenditur ad id, quod pugnantia involvit, ex g. materiam cogitantem, aut spiritum materialem, creare; sic Deus quum actus voluntatis liberos decernit, eo modo illos prædefinit, qui causæ liberæ est propius, ac essentialiter in notione libertatis includitur. Sic etiam volens homines generatione propagari, masculum, & fœminam creare debuit; quin hæc necessitas dominium in res creatas convellat.

En magni theologi, ac metaphysici testimonia, Thomæ Aquinatis inquam, qui subtilitate mirabili hæc discutit, nec nisi modos explicandi recentius inductos in eo desideres. Lib. 1 contra Gent. cap. 3. „ Causa propria essendi simpliciter est agens primum, & universale, quod Deus est: alia verò agentia non sunt causa essendi simpliciter, sed causa essendi hoc „: & in Mag. quæstion. 1, art. 1, dist. 39. „ Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinare exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate „: & quæst. 6, de Malo. „ Illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate id faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari „: & quæst. 3, art. 2. „ Quum Deus sit principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso, quod etiam se ipsa moveant; sicut quæ habent liberum arbitrium; quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendam motionem, qua moventur a Deo, sequuntur bonæ actiones ... Si autem deficiant a debito ordine, sequetur actio inordinata „. Sed hæc hactenus.

510 Inst. Scientia Dei hujus scriptionis ab æternitate existit; at hic actus nunc exercetur: ergo non potest scientiam præcedere; præcederet autem, si ab eo penderet decretum Dei a prævisione directum, ut hæc suo tempore existat scriptio. R. dist. maj. ab æternitate existit objectum suum repræsentans, conc. maj. sine ullo objecto, neg. & dist. min. actus scribendi nunc exercetur, hujus tamen scriptionis repræsentatio in mente divina ab æternitate existebat, conc. min. nunc exercetur, quin in mente Dei objectivè existeret, neg. Sic, ut exemplo captui nostro accommodato utar, dum solem video remotissimum, in mente mea ejus repræsentatio extat; quin opus sit, ut sol in cerebro meo splendeat, aut ego in sole ipso existam. Deindè si objectum est meæ visionis, natura (144) saltem illam præcedere debet, ab illo enim hæc quodammodò pendet, ut sit. Hæc suo modo applica ad existentiam futurorum in æternitate.

511 Schol. Ut hæc clarius percipiantur, a theologis quasdam scientiæ divinæ notiones mutuabimus; quæ & metaphysicam etiam contingunt, prout actus naturales liberos spectant. Objectum divinæ scientiæ triplicis generis distinguitur: nam vel res necessariæ sunt; ut possibilia, essentiæ rerum, ac maximè omnium essentia ipsa divina, atque attributa. Scientiam hæc comprehendentem *simplicis intelligentiæ* vocant: aliæ sunt contingentes, quæ nimirum aliquo tempore extituræ sunt, ut res omnes ab initio creationis in æternitatem subsecuturæ; cognitio Dei hæc omnia ab æternitate intuentis *scientia visionis* nuncupatur: demum plura sunt, quæ etiamsi existentiam non habebunt, possent tamen, aliqua conditione posita, existere: qui casus contingentia illa etiam comprehendit, quæ objectum scientiæ visionis sunt, antequam eorum existentia a Deo decerneretur; *scientiamque conditionatorum* appellant. Nomen invisum hic taceo, Palæstionis illius Plautini consilio obtemperans:

Ne tu, si te Dii amant, linguam comprimes
Posthac: etiam illud, quod sciæ, nesciveris;
Nec videris, quod videris.

Conditionatorum scientiam existere in Deo, res est manifestissima, non ab Scripturæ testimoniis tantum, in qua pœnitentia Tyri, & Sidonis conditionatè extitura, Syriæ eversio a Joas, si baculo pluries, quam tribus vicibus, terram percussisset &c. prædicitur; verum etiam ratione naturali, qua sapientissimo Deo impium esset denegare,

quod homines etiam conjecturis aliquando assequi possunt; quid nimirum sub tali hypothesi contingeret, his positis, quæ ad ejus existentiam conducerent.

Et quidem etiam in rebus futuris, si eo in statu concipiantur, qui decretum Dei de ejus futura existentia præcessit; nec enim necessariò extituræ erant, si contingentes illæ fuerunt; conditionatorum scientia admittenda videtur. Nam quum necessariæ non sint, ad illam *simplicis intelligentiæ* pertinere non possunt; minus autem ad *visionis scientiam*, quæ, contingentibus nondum decretis, illa ut absolutè futura respicere non poterat. Quin ergo de nomine laboremus, Deum contingentia in statu conditionato cognovisse, sive futura illa essent, sive numquam extitura, nisi in ideali, ut ita dicam, statu fateamur, oportet.

512 Dices. Stante scientia Dei de futura hac scriptione, non possum omittere actum scribendi: ergo liber non sum. Prob. ant. si possem omittere, possem falsam reddere Dei scientiam: hoc impium est dicere: ergo alterum verum est. Prob. maj. Si omitterem hanc scripturam, Deo præsciente, scientiam falsam rederem: ergo si possum omittere, possum falsam reddere. R. dist. ant. non possum omittere facultate *antecedente*, neg. ant. *facultate consequente*, & hypothetica, conc. ant. Sic etiam dum jam scribo, possum quidem cessare ab scriptione; ea tamen, quæ jam exercentur, infecta ne sint, integrum mihi amplius non est. Alii sic etiam distinguunt; non possum omittere in sensu *composito* actus scribendi, conc. in sensu *diviso*, neg. verba diversa sunt, idem tamen sensus inest. Ad prob. maj. eadem est distinctio adhibenda. Si possem omittere in sensu composito scientiæ Dei, possem falsam reddere, conc. maj. in sensu diviso, neg. quod ad alteram probationem extendendum est. Sic dum me vides scribentem, fieri non potest, quin scribam, et hic sensus est compositus; mihi tamen integrum fuit non scribere; quod sensum divisum indicat.

513 Argum. 3. Assignari non potest momentum, in quo libertas humana incipiat: nam infantes liberi non sunt; parum ab infantibus puerorum agendi modus distat; adolescentesne, aut viri uno instanti libertatem acquirunt? libertas ergo commentum est philosophicum. R. Collinium parum se ipsum introspexisse, quum hoc proposuit argumentum. Neg. igitur ant. ad cujus prob. resp. libertatis gradus per incrementa augeri eo modo, quo ratio in homine paulatim perficitur. Deducet ne Collinius, rationis expertem esse hominem, si mutatis verbis contra rationem argumentum proponatur? quod igitur ipsum de ratione respondeat, et nos ad libertatem transferemus. Nimirum primæ perceptiones infantium quasi semen rationis sunt, se primum explicantis, quin adhuc ratio dici possit; paulatim vero novis accessionibus perceptionum, ac explicatione organorum facultas intelligendi augmenta capit, donec ratio integrum vigorem acquirat, quem in adultis conspicimus. Hoc in plantis, hoc in brutis animantibus fieri videmus; natura videlicet per gradus opus suum perficiente.

514 Arg. 4. Libertas humana pura esset imperfectio, ac malum Deo indignum, quod scilicet tale hominibus donum conferret: ergo melius de Deo sentiunt, qui libertatem negant. Prob. ant. ideo in Beatis libertatem negamus, quia cum illo beatitudinis statu facultas hæc minimè congruit: enimverò hoc indigitat, esse imperfectionem ac purum malum: ergo. R. neg. ant. & min. prob. Libertas est perfectio, si in suo conceptu abstracto consideretur, præscindendo ab hominis abusu, libertatem in malum detorquentis. Sanè si duos homines concipiamus, unum invincibili quadam necessitate bonum facientem; alterum liberè idem operantem; quis demum horum perfectior tibi videtur? atqui hic est casus conditionis humanæ, prout e manibus Conditoris sui exivit: nam abusus libertatis ab imperfectione sua est, quin Deo adscribi possit. Ceterum etiamsi concederemus, libertatem puram imperfectionem esse; rectene deduceretur eamdem non existere? opus esset prius, Deum ad optimum producendum teneri, demonstrare, ut consequutio rectè procederet.

515 Inst. Angeli perfectiores sunt homine, quia libertate ad malum carent: ergo perfectior esset homo sine libertate. Idem argumentum in horologio instauratur, quod eo perfectius est, quo minus aberrare potest: censeeturque numeris omnibus absolutum, si numquam a motu æquabili descisceret. R. Posse totum argumentum concedi, quin hilum conclusio nostra labefactetur, ut modò ostensum est. Deindè dist. ant. perfectiores sunt homine ex hoc tantum capite, quod libertate careant, neg. ant. tum enim omnes spiritus æqualis perfectionis existerent, quod falsum est: ex aliis perfectionibus longè humanam superantibus, conc. Ad exemplum horologii ajo, illius perfectionem ab æquabili motu, motum temporis artificialis designante, repeti; eoque perfectius erit, quo magis ad id præstandum aptum sit. Perfectio hominis in eo sita est, ut ad finem suum tendat meritis ab exercitio virtutum comparatis; quod sine libertate in bonum ac malum nec esse, nec concipi potest.

516 Arg. 5. Etiamsi necessariò ageret homo, adhorta-

tiones, præcepta, objurgationes, supplicia, præmia adhiberentur justè, ut imaginatio ab his tamquam sufficientibus motivis agatur, bono alliciente, aut pœna retrahente; ut in brutis hujusmodi *mechanismo*, ut ajunt, uti consuevimus, quin crudelitatis arguamur: ergo hæc pro libertate probatio infirma est. R. neg. ant. ac deductam ab analogia brutorum probationem. Si adhuc moralitatis idea aliqua superest humano generi, justitia *vendicativa*, ac *remunerativa* agnoscenda est, quæ & pœnas decernit præteritis actionibus, ac præmia proponit, ac distribuit pro benefactis. Sensu tamen communi destitui hominum genus, oportet, si & suppliciis in actiones necessarias animadvertat, aut remuneret, quæ ab automatis profectæ sunt. Egregiam verò justitiam remunerativam, aut vindicativam te exercere dices, quum aut frustulo prædæ canum solertiam remuneras, aut baculo ob ignaviam in eumdem animadvertis!

517 Dices. Cælites laude digni censentur, etiamsi amor ille, quo in Deum feruntur, necessarius sit: ergo etiam homo & laudem, & præmium obtineret ob benefacta, quæ necessariò faceret. R. dist. ant. Cælites laude digni censentur ratione *objecti*, conc. ant. ratione *meriti*, neg. Idem de actionibus necessariis tam honestis, quam pravis dicendum foret, homine libertate destituto: objectum laudabile, aut turpe esse; homines verò nec laude, nec vituperio dignos fore ob virtutes, aut scelera patrata.

518 Argum. 6. Voluntates nostræ pendent ab inclinationibus, & declinationibus: hæ autem ab impressionibus: ergo sunt, ut impressiones. Pendent autem necessariò impressiones ab objectorum externorum actionibus, corporis constitutione, ac organorum temperie, animique præsenti statu: omnia autem hæc necessaria sunt: ergo & quæ ab his consequuntur voluntates, seu *volitiones*. R. ad argumentum, in quo nimium exultant necessitatis assertores, dist. maj. voluntates nostræ pendent necessariò ab inclinationibus, & declinationibus, neg. pendent tamquam motivis nullam necessitatem inducentibus, conc. maj. Ne eadem repetamus, relege dicta art. 472, & 476. Quid verò intelligant nomine inclinationum, aut declinationum, deberent prius nobis exponere: nam appetitiones, aut aversationes, quas pronum est judicare, ipsos his vocibus indicare, certum quidem est, voluntatem movere, minimè tamen ab his necessariò agi, ut ex argumentis in probationibus adductis ostensum est. Perceptiones verò judicio etiam practico comprehenso (472), minimè voluntates determinare, ex art. citatis apparet.

519 Argum. 7. „ Nihil est sibimetipsi causa, ut sit: ergo pari ratione nihil est sibi ipsi causa, ut moveatur. Voluntas ergo non movet se ipsam; sed necesse est, quod ab aliquo moveatur, quia incipit agere post, quum prius non ageret, et omne tale aliquo modo movetur... sed quod ab alio movetur, necessitatem ab alio patitur: ergo voluntas necessariò vult. „ Hoc argumentum, quod Hobbesius proponit, nos verbis D. Thomæ illud exposuimus, ac ejusdem verbis solvemus. „ Deus quum omnia moveat secundum rationem mobilium... etiam voluntatem movet secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa „. Quæst. 6. de Malo art. uni. Inibi etiam aliud argumentum ab eodem Hobbesio et Collinio propositum solvit S. Doctor; adeò antiqua illa sunt, quæ a recentioribus libertinis veluti nova cuduntur. Est autem hujusmodi:

520 Argum. 8. „ Si voluntas aliquid determinatè vult, oportebit, quod sit aliqua causa, quæ faciat ipsam velle: causa autem posita, necesse est, effectum poni... quia si causa posita adhuc est possibile, effectum non poni, indigebit alio reducente de potentia in actum, & sic prima non erit sufficiens causa: ergo voluntas ex necessitate movetur. „ Resp. S. Doctor. „ Dicendum, quod non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit causa sufficiens, eo quod causa potest impediri, ne quandoque effectum suum consequatur; sicut causæ naturales, quæ non ex necessitate producunt suos effectus, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum. „ Hoc etiam argum. ideò verbis S. Doctoris proposui, ut ea, quæ art. 505. dixi, ipsius auctoritate firmentur; manifestum enim est, præmotionem a voluntate impediri posse, ab ipso hic doceri. Obiter etiam notanda est *Ratio sufficiens* leibnitiana in S. Doct. verbis. Sed hæc hactenus.

CAPUT NONUM.

De mentis humanæ Natura, & Origine.

§. I.

An humanus animus sit incorporeus.

521 Ut brevius, ac dilucidius rem conficiamus, notiones materiæ, ac spiritus primum stabilire oportet, ut ex idearum diversitate, objectorum distinctio luculenter de-

tiones, præcepta, objurgationes, supplicia, præmia adhiberentur justè, ut imaginatio ab his tamquam sufficientibus motivis agatur, bono alliciente, aut pœna retrahente; ut in brutis hujusmodi *mechanismo*, ut ajunt, uti consuevimus, quin crudelitatis arguamur: ergo hæc pro libertate probatio infirma est. R. neg. ant. ac deductam ab analogia brutorum probationem. Si adhuc moralitatis idea aliqua superest humano generi, justitia *vendicativa*, ac *remunerativa* agnoscenda est, quæ & pœnas decernit præteritis actionibus, ac præmia proponit, ac distribuit pro benefactis. Sensu tamen communi destitui hominum genus, oportet, si & suppliciis in actiones necessarias animadvertat, aut remuneret, quæ ab automatis profectæ sunt. Egregiam verò justitiam remunerativam, aut vindicativam te exercere dices, quum aut frustulo prædæ canum solertiam remuneras, aut baculo ob ignaviam in eumdem animadvertis!

517 Dices. Cælites laude digni censentur, etiamsi amor ille, quo in Deum feruntur, necessarius sit: ergo etiam homo & laudem, & præmium obtineret ob benefacta, quæ necessariò faceret. R. dist. ant. Cælites laude digni censentur ratione *objecti*, conc. ant. ratione *meriti*, neg. Idem de actionibus necessariis tam honestis, quam pravis dicendum foret, homine libertate destituto: objectum laudabile, aut turpe esse; homines verò nec laude, nec vituperio dignos fore ob virtutes, aut scelera patrata.

518 Argum. 6. Voluntates nostræ pendent ab inclinationibus, & declinationibus: hæ autem ab impressionibus: ergo sunt, ut impressiones. Pendent autem necessariò impressiones ab objectorum externorum actionibus, corporis constitutione, ac organorum temperie, animique præsenti statu: omnia autem hæc necessaria sunt: ergo & quæ ab his consequuntur voluntates, seu *volitiones*. R. ad argumentum, in quo nimium exultant necessitatis assertores, dist. maj. voluntates nostræ pendent necessariò ab inclinationibus, & declinationibus, neg. pendent tamquam motivis nullam necessitatem inducentibus, conc. maj. Ne eadem repetamus, relege dicta art. 472, & 476. Quid verò intelligant nomine inclinationum, aut declinationum, deberent prius nobis exponere: nam appetitiones, aut aversationes, quas pronum est judicare, ipsos his vocibus indicare, certum quidem est, voluntatem movere, minimè tamen ab his necessariò agi, ut ex argumentis in probationibus adductis ostensum est. Perceptiones verò judicio etiam practico comprehenso (472), minimè voluntates determinare, ex art. citatis apparet.

519 Argum. 7. „ Nihil est sibimetipsi causa, ut sit: ergo pari ratione nihil est sibi ipsi causa, ut moveatur. Voluntas ergo non movet se ipsam; sed necesse est, quod ab aliquo moveatur, quia incipit agere post, quum prius non ageret, et omne tale aliquo modo movetur... sed quod ab alio movetur, necessitatem ab alio patitur: ergo voluntas necessariò vult. „ Hoc argumentum, quod Hobbesius proponit, nos verbis D. Thomæ illud exposuimus, ac ejusdem verbis solvemus. „ Deus quum omnia moveat secundum rationem mobilium... etiam voluntatem movet secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa „. Quæst. 6. de Malo art. uni. Inibi etiam aliud argumentum ab eodem Hobbesio et Collinio propositum solvit S. Doctor; adeò antiqua illa sunt, quæ a recentioribus libertinis veluti nova cuduntur. Est autem hujusmodi:

520 Argum. 8. „ Si voluntas aliquid determinatè vult, oportebit, quod sit aliqua causa, quæ faciat ipsam velle: causa autem posita, necesse est, effectum poni... quia si causa posita adhuc est possibile, effectum non poni, indigebit alio reducente de potentia in actum, & sic prima non erit sufficiens causa: ergo voluntas ex necessitate movetur. „ Resp. S. Doctor. „ Dicendum, quod non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit causa sufficiens, eo quod causa potest impediri, ne quandoque effectum suum consequatur; sicut causæ naturales, quæ non ex necessitate producunt suos effectus, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum. „ Hoc etiam argum. ideò verbis S. Doctoris proposui, ut ea, quæ art. 505. dixi, ipsius auctoritate firmentur; manifestum enim est, præmotionem a voluntate impediri posse, ab ipso hic doceri. Obiter etiam notanda est *Ratio sufficiens* leibnitiana in S. Doct. verbis. Sed hæc hactenus.

CAPUT NONUM.

De mentis humanæ Natura, & Origine.

§. I.

An humanus animus sit incorporeus.

521 Ut brevius, ac dilucidius rem conficiamus, notiones materiæ, ac spiritus primum stabilire oportet, ut ex idearum diversitate, objectorum distinctio luculenter de-

deducatur. Materia, seu corpus, hic enim promiscua habemus, est substantia extensa, composita, divisibilis, solida, iners, figurabilis. Spiritus nomine substantiam inextensam, simplicem, activam, nulla insignem figura, intelligendi facultate, ac voluntate præditam concipimus. Ad quam ex duabus substantiarum speciebus mens nostra adjungenda venit? En dissidium voluntatum, ni fallor, magis quam judiciorum; id enim maximè cuperent, ut verum esset, quod sibi, atque aliis persuadere nituntur, ipsorum ratione & conscientia reluctante. Sed ut per gradus procedamus, sit

522 Prop. 1ma. *Materia cogitare non potest.* Dem. Idea materiæ cum notione cogitationis essentialiter pugnat: ergo altera alteram essentialiter excludit. Prob. ant. materia extensa est, divisibilis, iners: cogitatio inextensa, simplex, actuosa; at hæ proprietates invicem pugnant, ac se mutuo conficiunt: ergo &c. Prob. 2da pars majoris. Si cogitatio esset extensa, ac divisibilis, totum objectum non perciperemus; hoc a sensu intimo falsum habemus: est igitur inextensum quid ac simplex cogitatio. Prob. maj. Si cogitatio est extensa, ac divisibilis, vel quælibet pars totum objectum percipit, vel singulæ singulas objecti partes: si primum dixeris, infinitæ erunt, non una, eademque perceptio; si alterum, quum partes distinctæ sint, pars, quæ percipit unum extremum, alterum non percipiet; quæ medium, partes a medio distantes non cognoscet: ergo numquam totum objectum percipiet. Fac ex. gr. Petrum caput statuæ percipere, Paulum manus, Andream pectus, Joannem pedes &c. integram ne perceptionem ex harum perceptionum partialium congerie umquam elicies?

„ Hoc argumentum propriè innititur unitati veræ ideæ, quæ entibus cogitantibus convenire debet. Si enim substantia cogitans non alio sensu esset una, quam eo quo globus unus est, ipsa numquam totam arborem perciperet. En hujus veritatis demonstrationem. Concipe quatuor terraquei orbis partes in globo depictas. Nihil hoc in globo cernis, quod totam complectatur Asiam, imò nec integrum flumen: quæ pars exhibet Persiam, Siamum non refert; ripamque dexteram a sinistra in cursu Eufratis discernis. Si ergo globus his figuris ornatus, foret easdem intelligendi facultate præditus, nihil haberet in se ipso, quod asserere posset: *ego totam Europam, universam Galliam, integrum Amstelodamum, qua latè patet Virtulam cognosco.* Quælibet globi pars partem figuræ posset cognoscere, quæ ipsi est superimposita. Quoniam autem quælibet pars minima sit adeò, ut nullum referat locum integrum, sic planè inutilis esset hujusmodi cogitandi facultas;

tas; nullum enim cogitandi actum produceret: certe quæcumque foret illa intellectio, toto cælo differret ab his, quas semper in nobis sentimus, quæ totum integrum objectum repræsentant. Quod quidem argumentum evidenter probat, id, quod in nobis has imagines percipit, in nullas dissecari posse partes; atque facultatem in homine cogitantem, nec corpoream, nec materialem, nec pluribus entibus coalescentem esse posse„. Bayle, Dict. Phil. Art. Leucip. Hic auctor materialistis minimè suspectus esse potest.

523 Dem. 2. Si materia cogitare posset, cogitatio esset intrinseca materiæ modificario, ut est manifestum: at hoc est absurdum maximum in philosophia: ergo & id unde derivatur. Prob. min. Si cogitatio materiæ modificatio existit, in quot partes materia dividi, & cogitatio discerpi posset: posset igitur in duas medietates, quartas, octavas partes dissecari: possent & appendi in statera, ac veluti *rhabarbarum* vendi a pharmacopolis, quod utinam pharmacum hujusmodi homines, nec tribus anticyris sanandi, sumpsissent! Sed ludicra mittamus.

524 Dem. 3. Cogitatio vel esset motus materiæ ab objectis externis impressus, vel materiæ configuratio: neutrum autem dici potest: est igitur cogitatio aliud a materiæ notione distinctum. Prob. min. Si motus materiam cogitantem efficeret, omnes res materiales in motu constitutæ cogitarent: hæc autem absurditatum maxima est, ut inductione facilè quisque demonstrabit. Deindè nec a materiæ configuratione cogitationem repeti posse, sic ostendo: materiæ configuratio est ejusdem in aliquam figuram conformatio; aut igitur omnis materia cogitat, quippè semper figurata existit; aut peculiari configuratione donanda est, ut ad cogitandum determinetur. Rursus, quum materia iners sit, hac configuratione semel acquisita, semper in eadem cogitatione permanebit, donec aliter figuretur: quod si a nullo externo agente metamorphosim patiatur, in æternitatem eandem cogitationem conservabit; eritque velut statua Antonini equestris in platea Capitolii collocata, in eadem cogitatione defixa; quod, qui devoret, ipso ære corinthio durior sit, necesse est.

Quod si motu simul, ac peculiari configuratione materiæ cogitationem effici, cum Lucretio dixeris, ajo: aut materia hunc sibi motum imprimere, atque in eam configurationem se conformare potest; aut ab agentibus externis ad hoc determinatur: primum materiæ notionibus adversatur, idque materiam vocas, quod omnes spiritus nomine intelligunt, quæ est verborum, non rerum controversia. Jam si materia ut cogitet, ab objectorum impressionibus determinari debet, rerum præteritarum me-

moriam excitare, ideas comparare, unum ex alio deducere, res abstractas percipere, novas notiones sibi parere &c. numquam poterit; uno verbo, erit passiva quædam potentia, quæ ideò cogitabit, quia placet Lucretio, ejusque sectatoribus cogitationem appellare, quod alii motum, ac modificationes dictitant; quadrata nimirum miscere rotundis.

525 Oppon. 1. Lockius, qui etiamsi spiritualem animam esse probaverit, atque adeò immeritò *materialismi* insimuletur, demonstratum non esse contendit, materiam cogitare non posse: ait enim: ut contradictio in materia cogitante percipiatur, opus est, essentiam materiæ omninò perceptam nobis esse: hoc autem nemo umquam affirmabit: nulla igitur demonstratio valida afferri potest. Resp. neg. maj. si hoc argumentum tenet, nihil demonstrari posse affirmo; cujus enim rei naturam intimè cognoscimus, de qua luculentiores ideas, quam corporis habeamus? hoc profectò indubium est, materiam extensam, dividuam, inertem esse: ceterum si aliam confingas materiam, quæ inextensa, simplex, actuosa sit, verborum, non rerum controversiam excitas.

At si, cuique rei, quæ dotes funditus insunt,
Haud scimus, plerumque licet cognoscere saltem,
Queis careant. Nos forte latent primordia flammæ:
Aut ea compertum est aqueis distare figura,
Inque figurarum solo discrimine poni,
Quidquid aquæ, aut ignis proprium est. Miracula nondum
Omnia magnetis perspeximus: at mihi certum est,
Magnetem non esse animal . . .
Sic a materia mentem sejungimus, & si
Non omnes liquidò vires utriusque patescant.
Polignacus, Ant. lib. 5. v. 1146.

526 Insistit Volterius suppetias Lockio ferens. Materia qualitatibus prædita est simplicibus, ac immaterialibus, ut sunt gravitas, vis vegetandi, instinctus &c. ergo probatio ab indivisibilitate &c nullius est roboris. Resp. neg. ant. ac prob. ab inductione petitam. Gravitas corporum est in ratione directa quantitatis materiæ, ut apud physicos convenit; est igitur divisibilis: quippe *massa*, ut ajunt, corporum divisibilis existit: motus pariter augetur, minuitur, transfertur in corpora omninò, aut ex parte, quocumque demum modo hæc translatio fiat: demum instinctus ille, vis vegetans &c. vel motus mechanici sunt, vel e principio intimo illos producente derivantur: si primum dixeris, materiæ qualitatibus gaudent, ac motibus peraguntur, qui modificationes materiales sunt; quod

quod si ab interno principio peragi existimes, ejusdemmodi ac motus animales in homine dicendi erunt, quos a principio incorporeo emanare affirmamus.

527 Oppon. 2. Potest Deus substantiam spiritualem creare, quæ omni agendi vi destituta sit; ergo & *materialem*, quæ agendi vi, & cogitandi activitate polleat. Resp. transm. ant. neg. cons. quidquid sit de illa hypothesi, cujus examen non curamus, certum omninò est, in materia cogitante absurda illa reperiri, quæ in demonstrationibus allatis ostendimus. Dices: In materia vis attractiva, & repulsiva conjungitur: spiritus movet corpus, quod ab alio tantum corpore moveri videmus: a materia transmittuntur in animam motus, qui cum spiritus natura pugnare videntur: ergo etiam ea, quæ in materia cogitante videntur opposita, conjungi possunt. Resp. vim attractivam, ac repulsivam ab activitate materiæ non oriri, sed a libera voluntate Creatoris hanc legem statuentis, adeòque purè externa est determinatio ad motum localem: quemadmodum si ab alio corpore ad id protruderetur. Deindè attractio, ac repulsio simul ad idem objectum non referuntur, sed alternis vicibus peragantur, oportet. Quomodo autem & spiritus agat in corpora, & motus a corpore in animam transmittatur, alibi discussum est (415), quin opus sit eamdem crambem recoquere. Illud autem certum, in adductis casibus absurda, quæ in materia cogitante demonstrantur, minimè sequi.

528 Opp. 3. Cogitationes nostræ dividuæ sunt: ergo possunt convenire materiæ. Prob. ant. In physicis compertum est, colorem candidum e septem coloribus primitivis simul permixtis oriri: ergo idea hujus coloris a septem illis tamquam partibus coalescit. Idem dicendum foret de omnibus aliis ideis rerum materialium, quæ tot partibus constare debent, quot in objecto distinguuntur. R. neg. ant. & conc. ant. prob. neg. cons. quotcumque demum objecta sint organa agentia, impressio ab illis producta una est e conspirantibus viribus orta; quæ si seorsim agerent, quodlibet distinctam sensationem excitaret. Imò hoc argumento invictissimè probavimus cogitationum simplicitatem; nam si impressiones a diversis objecti partibus provenientes in distinctas partes agerent, objecta simul percipere non possemus. Vide dicta art. 522. Denique hoc argumentum etiam probaret, mentem divinam esse dividuam; rerum enim distinctarum cognitionem habens, eodem ratiocinio uti possemus ad ejus simplicitatem convellendam.

529 Positio 2. *Anima humana est incorporea*, sive *immaterialis*. Prob. Materia cogitare non potest: mens humana cogitat: materia igitur non est. Major propositio ostensa

ex ab art. 522 minorem intimo conscientiæ testimonio perspicuam esse nemo inficiabitur; in demonstratis igitur habendum, animum nostrum incorporalem esse, atque ab omni terrena concretione secretum.

530 Positio 3. *Anima hominis est etiam spiritualis*. Dem. Omnis substantia aut materialis est, aut incorporea, aut spiritualis & incorporea (168): mens vero humana ex demonstratis materia non est: est igitur substantia, vel tantum incorporea, vel immaterialis simul, & spiritualis: at tantum incorporea non est, quia gaudet libertate, & ratione (500): ergo est spiritualis. Quid autem spiritus nomine intelligatur, dictum est art. 521. ex qua notione reliquæ humani spiritus proprietates derivantur. Ceterum juvat alias demonstrationes proponere; quæ amplius conclusionem illustrant.

531 Dem. 2. Mens humana sentiendi capax est: enimverò sensibilitas in materia concipi non potest: nam vel sentiret motu, vel configuratione, vel utroque simul; quocumque te vertas, occurrunt difficultates art. 524 adductæ in materia motu, configuratione, aut utroque simul cogitante. Deindè ubinam sensationes in materia statuis? in singulis moleculis? in aliqua tantum? an in omnibus simul? Si quælibet molecula ens individuum sentiens est, homo non erit unum individuum, sed tot erunt in ipso individua, quot particulæ sentientes. Aliqua tantum molecula sentit? Est igitur a reliquis specie diversa; materia non est; aut quo demum privilegio hæc præ ceteris sensatione donatur? Omnes igitur sentient ita, ut ex communi omnium sensu una resultet integra sensatio. En iterum recurrentem difficultatem de sensationis unitate, art. 522 expositam. Neque enim fieri potest, ut a sensatione per omnes moleculas materiæ divisa, una, ac perfecta sensatio oriatur, ut jam de cogitatione ostensum manet.

532 Dem. 3. Mens humana libera est in suis actionibus (500): at libertas materiæ convenire nequit: ergo mens humana materialis non est. Prob. min. libertas humana ita homini convenit, ut motum imperet, augeat, minuat, sistat pro libito, contraque agentes motum inducentes agat, motum extinguendo, minuendo, aut promovendo: materia autem iners est (521), incapax motus producendi, nisi ab alio impulsionem accipiat; nec motum temperare, extinguere, multòque minus promovere, nisi juxta leges necessarias, constantes, ab ipsa necessariò observatas, ac semper observandas: pugnant igitur materiæ, ac libertatis notiones, & quod liberum est, materia non est.

533 Oppon. Anima corpori *unitur*: at duæ substantiæ diversæ conjugari simul non possunt; vinculum enim esset

set ex una parte materiale, ex altera incorporeum, quod absurdum perquam sonorum est: sunt igitur duæ substantiæ corporeæ. R. conc. maj. neg. min. & prob. Animam, & corpus conjugari, res comperta omnibus est, quam nemo unus dubitavit: quomodo autem hoc commercium peragatur, quin recurramus ad *unionem* illam, quam aliqui veluti gluten commenti sunt, expendimus cap. 6. hujus Diss. Porrò si hæc difficultas nos adigeret ad mentis humanæ *spiritualitatem* negandam, alia major recurreret in Deo, quem naturam omnem perciere, intimèque omnibus præsentem esse, certum est omnibus, qui athei non sunt.

534 Inst. Ea in anima a corpore apparet dependentia, quæ ipsam ejusdem esse naturæ manifestè demonstret: in infantibus nulla ratio, in pueris cum organis simul quasi evolvi, ac crescere; in adolescentibus, ac viris omnes animæ functiones, quasi cum corpore argumentum, ac perfectionem adeptæ supremum gradum nanciscuntur, donec, senecta corpore debilitato, languescat, labefactetur, repuerascat. R. ea, quæ afferuntur, probare intimum intercedere commercium animam inter, & corpus, iis legibus firmatum, ut ab hujus statu alterius functiones prorsus dependeant. Hæc tamen conjugatio minimè impedit, quominus ictu oculi cæli ambitum cogitatione percurrat, terræ viscera rimetur, naturam omnem perlustret, cum spiritibus cælestes sphæras contempletur, ad Dei sinum convolet, ejusque perfectiones miretur, objecta incorporea, virtutem, justitiam, honestatem, relationes, vitii turpitudinem, proportionem quantitatum, scientiarum pulchritudinem, utilitatem, præstantiam &c. percipiat; quæ omnia a materia præstari posse is tantum dicet, qui animo materiali donatus sit. Lucretium ipsum, cujus hæc sunt argumenta, appello testem. Pulchrumne illud poema a materia in corpus configurata scribi posse putas? sanè illud velles; sed recurrentem conscientiam ubique sopire conatur, ut ipsemet in hac de animi disputatione fatetur, ideò sectatum fuisse Epicurum.

Nam simul ac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum haud divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores . . . . .
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque, necesse est,
Non radii Solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.
Primum animum dico (mentem quem sæpe vocamus)
In quo consilium vitæ, regimenque vocatum est

Este

Esse hominum partem nihilominus, ac manûs, & per
Atque oculi partes animantis totius extant.
Lib. 3. vers. 14.

535 Schol. Notandum, a quibusdam Ecclesiæ PP. animam corpoream pronunciari, eo nomine substantiam illam esse intelligentes. Quod si aliqui fuerunt, qui a materiæ subtilioris partibus conflatam animam crediderint, ii procul dubio a fide catholica, nedum a sana philosophia aberrarunt; qui tamen error intellectus fuit, non voluntatis verum aversantis, eas tamen proprietates animo concedebant, quæ spiritus proprias esse indubium est. Unde licet suspicari, explicandi modum diversum ab idearum non recta applicatione derivasse: idque voluisse hujus corporeæ substantiæ insensibilis notione denotare, quod nos spiritus nomine insignimus.

536 Prop. 4. *Mens humana simplex, ac individua est.* Dem. 1. Unum, idemque individuum est, quod cogitat, sentit, vult, recordatur &c. enimverò si plures in animo partes concipiamus, non unum, sed plura in uno collecta individua dici deberent. Fac, monstrum nasci ex duobus corporibus coagmentatum, ut nonnunquam visa sunt: dicesne, unum, idemque inibi esse individuum, an duplex? Idem verò contingeret, si animus hominis e diversis substantiis coalesceret, quarum hæc intelligeret, altera sentiret, tertia appeteret &c., ut est manifestum. Neque dixeris, hic conspirantes esse partes ad unum componendum ordinatas, quemadmodum materiæ elementa; quæ quidem substantiæ sunt, ad unum tamen componendum destinatæ, quin unitatem individualem impediant. Non illa partium materiæ coagmentatio integritatem ejus attingit, quæ per copulationem, aut disjunctionem augetur, aut minuitur: hæc individui notio in homine metaphysica est, totumque individuum, ac metaphysicè unum repræsentat (64). Deindè principia illa divisa in brutis, in Angelo &c. unumquodque suum individuum constituit; cur in homine conjugata diversa individua non componerent?

537 Dem. 2. Intima conscientia cuilibet notum est, se sentire, cognoscere, velle, recordari &c. hoc autem fieri non posset, si anima dividua foret: quod sic ostendo. Pars, quæ sentiret, minimè conscia esset cognitionis alterius: pars, quæ meminisset, non perciperet voluntates partis appetentis; quo enim pacto id fieret? si temperatione quadam naturæ mutuas operationes invicem secum communicare illas partes asserueris; cur non hanc temperationem in una tantum existere dicas, ea omnia præstante, quæ ab aliis peraguntur? Conceptu enim magis difficile est illam communicationem inter partes illas existere, quam unam individuam substantiam diversas operationes peragere.

538 Dem. 3. Si mens humana non una, & simplex foret, sed individua, & coagmentata partibus, vel harum quælibet omnes functiones animæ præstaret, vel quælibet suo munere fungeretur, ex. g. sentiendi, cogitandi: si primum teneas, quum una prærogativis aliarum gaudeat, reliquæ superfluæ omninò sunt: deindè invicem pugnarent; & quod hæc vult, altera odisset, illa impediret, quarta quædam incompatibilia designaret &c. demum individuum illud *ego* prorsus convellitur, in tot distincta distractum. Jam si quamlibet partem asseras suo munere fungi, comparatio inter duas sensationes ex. g. fieri non potest, quænam vividior, aut remissior sit. Si enim altera pars judicat, altera sentit; illa sensationum hujus ignara erit, adeòque judicium ferre non poterit inter duas sensationes, prius invicem conferendo quænam illarum intensior, aut remissior sit. Fac, te dolorem in brachio simul, ac pede sentire, quonam pacto discernes majorem acerbitatem doloris in pede, præ altero brachii, si quæ judicium ferre debet, neutrum sentit? Perindè res se haberet, ac siquis de doloribus, partes alieni corporis afficientibus, pronunciaret, quorum cruciatuum conscius non est.

539 Corol. 1. Intellectus, voluntas, memoria, imaginatio &c. res quidem cogitatione diversæ sunt, re tamen facultates unius, individuæque substantiæ, diverso modo objecta attingentis, in quo diversus tantum est status, quo ad illa refertur, prout nimirum ab illis diversimodè afficitur.

540 Corol. 2. Quum mens humana simplex sit; oriri non potest, nisi per creationem (88). Nimirum e nihilo extrahi, ac uno temporis momento produci: quæ si interire debeat, uno temporis momento ab statu existendi ad nihilum transeat, necesse est.

541 Corol. 3. Anima humana *incorruptibilis* est. Corrumpi enim dicimus id, cujus partes dissolvuntur, atque ad alias componendas substantias transeunt. Anima autem partibus non coalescens (536), dissolvi nequit, ac proindè nec *corrumpi*.

Audi jam aureum M. Tullii flumen orationis, nostram de mentis humanæ natura sententiam confirmantis in lib. de Consol. „ At verò animis æterna cæli sedes quærenda, eaque propria illorum patria, siquidem animorum nulla in terris origo inveniri potest: nihil enim est in animis mixtum, atque concretum, aut quid ex terra natum, atque

que fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt, nec invenientur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi sejuncta ab his usitatis, notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est. Nec verò Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & movens, ipsaque prædita motu sempiterno: itaque eamdem æternitatem animis quoque nostris ex seipsa exortis, impertivit .... Quid illa in primis gravia, atque præstantia, nec ulli planè in terris degenti, nisi homini, tributa? contemplatorem esse illum cæli, rerumque cælestium; frui magnarum, obscurissimarumque rerum scientia, quæ vel ad excolendos ad integritatem, atque innocentiam mores, vel ad comparandam solis, astrorumque cognitionem, vel ad exercendam in abditis, obscurisque rebus memoriam, mentemque pertineant &c.„

542 Dices. In anima sæpè modificationes omninò diversæ, imò & contrariæ reperiuntur: sed hæ in subjecto simplici, nec partibus constante componi non possunt: ergo partes diversæ admittendæ sunt, in quibus amor, odium &c. affectus ac perceptiones diversæ collocari queant. R. neg. min. quæcumque sit harum modificationum natura, certo certius est, in subjecto simplici perfici debere, quod & earum conscientiam intimè sentire, & invicem comparare ac sopitas excitare valeat. Qui enim harum modificationum conscientia haberi posset, si in diversis partibus existerent? quomodo majore odio prosequi me objectum A, quam amore affici erga B definire possem, nisi utriusque affectus sensationes eamdem substantiam animi mei percierent? Perdifficile sanè est concipere, quomodo hæc fiant; at, si omnia ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, ne iis quidem, quæ habeo, per te uti licebit? ajebat Tullius, Tusc. 1. cap. 18.

§. II.

De Animorum Immortalitate.

543 Duo immortalitatis genera ritè distinguenda sunt: *essentiale* unum, quod in ente ab essentia sua existendi sufficientem rationem habente (120) tantum reperiri potest:

est: *naturale* alterum, quod proprium rerum illarum est, quæ nullis agentium naturalium viribus dissipari valent. Et hoc quidem immortale dicitur, prout communem notionem habet cum eo quod corrumpi non potest (541). At rem tamen magis accedemus, si immortalitatem naturalem *actuum vitalium perpetuam* durationem definierimus: probè enim notat Wolfius, materiam *incorruptibilem*, animum verò *immortalem* dici oportere; eo quod etsi illa destrui ab ullo agente nequeat, functionibus tamen vitalibus caret, quibus alter suo modo vivit, existentiamque protendit.

544 Supremum rerum Conditorem aliquem sibi finem præstituisse in rerum universitate machinanda certo certius est, quam quod probatione firmandum sit. Ad creationem mentis humanæ quod attinet, præter animationem corporis, bonum amare, verum cognoscere, præstitutum habere finem, ex ipsius indole, ac operandi modo planè deducitur: quæ si præstiterit, Creatoris destinationem implevit. Neque illa cum corpore conjugatio adeò ipsi necessaria ad cetera præstanda videtur; quæ remota a corpore, melius ea exequi non valeat. Corpus enim impedimento illi esse, ut suam activitatem explicet; ab ipsius indole, ac difficultatibus, quas passim offendit ad verum inveniendum, bonumque amplectendum, saltem in præsenti rerum statu, res est luculentissima.

545 „ Sed plurimi contra nituntur, animosque quasi capite damnatos morte mulctant, neque aliud est quidquam, cur incredibilis his animorum videatur æternitas, nisi quod nequeunt, qualis animus sit vacans corpore, intelligere, & cogitatione comprehendere. Quasi verò intelligant, qualis sit in ipso corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus ... mihi quidem naturam animi intuenti, multò difficilior occurrit cogitatio, multòque obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam alienæ domi, quam qualis, quum exierit, & in liberum cælum, quasi in domum suam, venerit: si enim, quod numquam vidimus, id quale sit, intelligere non possumus, certè & Deum ipsum, & divinum animum corpore liberatum cogitatione complecti non possumus. „ Tusc. lib. 1. c. 22.

546 Ea olim inter auctores magno æstu agitata fuit controversia, utrum naturali ratione animorum immortalitas demonstrari posset. Res eo devenit, ut Melchior Canus erroris damnaverit asserentes, rationes hactenus inventas pro animorum immortalitate firmanda, vim demonstrationis non obtinere. Propositum latè ipse persequitur lib. 12. cap. ult. de Locis Theol. ceterum ut ipse ait „ ab Aristotele prudentissimè dictum est, stultum esse, æqualem in omnibus certitudinem, & evidentiam exige-

gere. In naturalibus quippe disciplinis minor est, quam in mathematicis: in moralibus minor est etiam, quam in naturalibus. At in dispari certitudine tam stultus nemo est, quin scientiæ illis nomen impertiat. „

547 Prop. 1. *Mens humana ita condita a Deo est, ut naturalium causarum viribus numquam destrui possit.* Prob. Si aliqua causa secunda id posset efficere, esset vel corporea, vel incorporea: neutra tamen ex his hoc præstare potest: ergo a nulla destrui valet. Prob. min. Anima hominis incorporea est, simplex, individua (536): enim verò nulla causa corperea agere in rem incorpoream (444) potest: cui etiamsi hoc concederetur, ut illam aliquo modo perciere posset, numquam tamen, ut eam destrueret: quod sic ostendo, ac secundæ partis dilemmatis probatio etiam est. Causa quæcumque corporea aut incorporea duobus modis mentem humanam destrueret, aut corrumpendo, aut *annichilando:* at neutro modo id fieri potest; nam quum simplex sit, corrumpi nequit (441); nec ullum agens creatum *annihilare* valet, quum id virtutem æqualem, ac illa creandi sit, exposceret (89): humanus igitur animus creatis viribus destrui non potest.

548 Prob. 2. Nulla vis creata functiones vitales animæ separatæ impedire potest: per actus vitales hic intelligo cognitiones, appetitiones, & siqua sunt alia. Ostendo: ens creatum hoc perageret vel subtrahendo objectum talium actuum, vel impediendo facultates animæ, aut ipsas destruendo: nullo autem modo id exequi potest. Nam etiamsi omnia alia objecta removerentur, animus se ipse deserere non potest: adeòque se contemplari, ac suos actus cognoscere etiam tum posset. Impediri autem ab his actibus nulla vi creata potest, nisi ejus substantia destruatur, quum & facultates intrinsecæ animæ sint, ejusque substantia; quæ pariter sine ullo statu, ac modificatione existere non valet (35). Nulla igitur vis animi actus vitales impediret post separationem a corpore.

549 Prop. 2. *A communi sensu, ac ferè omnium gentium auctoritate habemus, Deum mentem humanam condidisse, ut etiam in posterum conservet, quin ipsam destruat. Quare quum hi duo sint etiam certitudinis fontes* (Log. 273, 283), *naturali ratione certum est, animam destructum non iri ab Conditore Supremo.* Prob. Intima conscientia monemur, impios scelerum pœnas, justos homines virtutum præmia ferre debere, quæ etiam post mortem duratura sint: intimo quoque sensu appetimus alium statum permanentem, atque aversamur nostram in nihilum reductionem: memoriam nostri permanere post mortem cupimus, oblivionem vitare nitimur: in hujus vitæ ærumnis interna quadam monitione erigimur, ut meliorem statum speremus:

mus: quæ quidem intimum quemdam sensum ab Auctore naturæ inditum demonstrant, perpetuitatem animorum portendentem.

550 Accedit etiam omnium nationum consensus unanimis, qui etiamsi ab historicis proditus non fuisset, ab ritibus funereis, quos apud omnes cogniti orbis nationes vigere, & scimus, & interna quadam naturæ admonitione institutos credimus „ Nemini obscurum esse potest ex ipsis etiam sacris, cæremoniisque majorum æternam hominis vitam facilè cognosci, atque intelligi posse: neque enim illi aut mortuos tanto honore coluissent, aut tam multas, tamque varias sepulchrorum cæremonias posteris tradidissent, nisi cognitum, perspectumque habuissent, vigere animum in morte, nec, quamquam corpus occidat, hominem ipsum penitus evanescere. Itaque statuisse videntur, mortem ipsam non esse humanæ vitæ confectricem &c „ Tull. de Consol.

551 Confirm. Si aliquod impedimentum foret hujusce perpetuitatis, id maximè proveniret a natura mentis humanæ, quæ corpore disjuncta, existere amplius non posset secundum statum suum naturalem: hoc jam modo ostensum est falsum; atque hoc modo iterum confirmo. Quo magis a rebus corporeis, ac sensuum impressionibus mentem abstrahimus, eo cognitiones nostræ puriores evadunt, intellectionesque veluti limpidiores experimur. Hoc evidentius fit in mathematicis puris, ubi, quo magis abstractæ sunt notiones, eo majorem perspicuitatem nanciscuntur; contra atque in mathematicis mixtis evenit, quæ multa a physicis interserunt, ubi minorem evidentiam acquirimus, quo magis ab abstractis recedimus. Ergo ea, quæ nunc cognoscimus, mente humana a corpore separata „ multo puriora, ac dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, liber animus pervenerit. „

552 Prop. 3. *Non solum fidei testimoniis, verum rationibus validissimis mentis humanæ immortalitas comprobari potest.* Et quidem immortalitatem animorum fidei dogma esse, nemo unus est, qui dubitet; theologorum autem est Scripturæ, Conc. PP. testimonia, id confirmantia, allegare. Ad philosophum quod attinet, partim jam superioribus propositionibus confecimus; deindè quæ adhuc rem amplius confirmant, ad hæc ferè reducuntur. 1mo. „ Indubium est, scelestos homines nonnùmquam in præsenti vita diù prosperitate gaudere, bonis cumulari, consilia prava exequi, justos opprimere, nulla condigna pœna mulctatos decedere: justos contrà, duram pauperiem pati, ab impiis derideri, calamitatibus opprimi, omni humano auxilio destitutos, donec supremum diem obeant, nulla virtutum condigna remuneratione percepta: nulla igitur

es-

esset in Deo providentia: qui enim negant, animos esse immortales, negant supplicia improborum post hanc vitam, negant præmia justorum. Providentiam itaque Deo negant, atque adeò divinitatem, quæ sine providentia intelligi non potest. Nam si ii, qui Deum rite colunt, injuriis affecti migrant, impii contrà injusta felicitate potiti: non ergo justitia in Deo est, si suos non potest honoribus, præmiisque donare. Quod si Deo aut potentiam, aut justitiam, aut oculos ad cernendum tollis, Dei vocabulum inane fit. Omni namque ratione concluditur ut si nullo præmio afficit eos, qui inquirunt illum, ne Deus quidem ullo modo sit, nisi Deum aut cæcum, aut imbecillum, aut iniquum habeamus: cæcum, qui suos non videat: imbecillum, qui dare præmia non possit: iniquum, qui nolit. „ Sic rem conficiebat Chrysostomus pro immortalitate animorum disserens, Hom. 4. de Provid.

353 Jam si dicas cum Stoicis, animas quidem diù post mortem duraturas, quo quidem spatio temporis & præmia, & supplicia pro meritorum diversitate reportatum ire, quin opus sit in æternitatem earumdem durationem protendi: id, inquam, contra sensum communem hominum comminisci, qui & immortalitatem portendunt, atque impensè desiderant perpetuitatem. Cur ergo hunc intimum Deus homini indidit sensum, eo veluti perennitatem promittens? Deindè parum consulitur hujusmodi breviata duratione tum potentiæ, quum munificentiæ divinæ. Quid enim ad tempus præmia decerneret? deestne illi potestas ad perennandum, quod diù conservare potuit? aut invidus erit eorumdem felicitatis? Estne Deo digna exiguitas illa temporis, quæ veluti mercimonium sit in ratione dati, & accepti? Humana hæc sapiunt, nec sunt ad inexhaustam illam, locupletissimamque naturam transferenda, quæ nulla sui participatione minuitur, sed diffusione gaudet, & quodammodò plenitudinem suam in semet continere non valet.

554 2. „ Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, maximè quidem, quæ post mortem futura sunt. Seriè arbores, quæ alteri sæculo prosint . . . quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura cogitare? quæ est igitur melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis, altissimisque animis & existit maximè, & apparet facillimè . . . Quod si omnium consensus naturæ vox est: omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui e vita cesserunt, nobis quoque idem existimandum est; & si quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturæ vim maximè: verisimile est, quum optimus quisque posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensus sit abiturus „. Tusc. lib. 1. cap. 13.

ARGUMENTA CONTRA IMMORTALITATEM.

555 Arg. 1. Mens humana forma substantialis est corporis: sed existentia causæ formalis pendet a causa materiali (157, 158): ergo dissolutio materiæ animæ resolutionem importare debet. R. dist. maj. est forma corporis consistens in materiæ modificationibus, neg. maj. est forma corporis, illud informans ad actus vitales organorum ministerio exercendos, conc. maj. Nec enim mentem humanam concipere licet, ut Dicæarchus tamquam modificationem materiæ temperie quadam corporis ea præstantem, quæ longè materiæ inertiam, passivumque statum superant.

556 Inst. 1. Mens humana est pars hominis, substantia *incompleta*, quæ altera substantia indiget ad existendum: ergo avulsa a corpore, intereat, necesse est. R. dist. ant. pars hominis, substantia *incompleta* eo sensu, quo mechanica artefacta componuntur, neg. ant. quatenus & corpus animat, & cum eo hominem constituit, conc. ant. Porrò hæc destinatio non ab intrinseca sua essentia ipsi contingit, sed a decreto Dei sapientissimè ad fines sibi præstitutos id decernentis. Unde quemadmodum juxta leges statutas eo tempore in corpore degit, quo & a temperie organorum, ac partium vitalium functiones suas exercere ipsi permittitur: sic juxta easdem, hac deficiente proportione, ac subordinatione in partibus corporis, ab eodem recedit: alio existendi modo donata, quem solus ipse novit, qui leges hujusmodi sancivit.

557 Inst. 2. Humanus animus producitur dependenter a corpore: ergo ab eodem pendet ejus existentia. R. dist. ant. dependenter, id est eodem tempore, quo corpus configuratur, conc. ant. dependenter ita, ut ab hac configuratione ejus existentia dependeat, neg. ant. Replicabis: a corpore pendet, ut operetur: ergo etiam ut existat. R. dist. ant. ut operetur tamquam occasione aut instrumento, conc. ant. tamquam a facultate ejus vim constituente, aut intrinsecam facultatem præbente, neg. ant. Hæc o-

mia abundè suis locis explicata manent; unde nihil est, quod in illis evolvendis immoremur.

558 Inst. 3. Lex hæc constans inter corpus, & animam, dum conjuncta sunt, satis probat mutuam utriusque dependentiam: ergo hac sublata, utrumque interit. R. dist. ant. probat utriusque dependentiam, quo tempore lex commercii a Deo statuta perdurat, conc. ant. etiam post resolutionem commercii, neg. ant. Nulla ratio nos cogit ad negandam facultatem animæ post separationem ad objecta percipienda, quæ prius ministerio sensuum cognoscebat. Deusne, ac aliæ etiam mentes intelligentes, mundum corporeum non percipiunt? poterit igitur humanus animus eo itidem modo corporea omnia comprehendere.

559 Inst. 4. Anima a corpore separata in statu violento, ac ipsi minimè connaturali censenda est: ergo non potest ita existere. Resp. neg. ant. Prob. anima naturalem appetitionem ad permanendum corpori unita experitur, refugitque dissolutionem: ergo violentia illi infertur. R. dist. ant. naturalem appetitionem experitur ortam a lege commercii inter utrumque, conc. ant. ex intrinseca quadam imperfectione complemento corporis indigente, neg. ant. Effectus commercii corpus inter & animam est appetitio propriæ conservationis, quam sapientissimè supremus Artifex ex utriusque conjugatione oriri decrevit, ut ea, quæ secundum naturam sunt, ritè peragerentur. Hoc mediante propriæ conservationis instinctu, omnia in natura vinculo quodam colligata cernuntur; quod si abstuleris, prorsus naturam rerum pessundari, atque interire, manifestissimum est.

560 Inst. 5. Anima obnoxia est perpetuis mutationibus: enimverò quod mutatur, interire potest: ergo non est immortalis. R. dist. maj. perpetuis mutationibus intrinsecarum proprietatum, nego maj. quæ tantum mutationem circa objecta inducunt, conc. maj. Mutatio animæ est vitalium ipsius actuum productio, quæ in diverso statu, quo anima ad objecta refertur, consistit: amat nimirum prosequendo, odit aversando, cognoscit percipiendo, abstrahendo, deducendo &c. quæ quidem omnia respiciendi objecta modi sunt, sive status existendi diversi ejusdem entis. Quo pacto ea peragantur, difficile explicatu est: verum „ ideò negandum est, quod apertum est, quia comprehendi nequit, quod occultum est? numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non esse; quoniam cur ita sit, non possumus invenire? ajebat aliam rem agens S. Aug. lib. de dono pers.

561 Dices. Ideo materialia composita *corruptibilia* dicimus, quia mutationibus perpetuis obnoxia sunt: hoc autem evenit in anima: ergo etiam corruptibilis, ac interitus capax est. R. dist. maj. quia mutationibus perpetuis dissolutionem intrinsecarum partium inducentibus obnoxia sunt, conc. maj. mutationibus nullam partium dissociationem inferentibus, neg. maj. Corpus in motu positum non corrumpitur, quantumvis magnas sui status mutationes patiatur: cera in mille figuras conformata, eadem omninò remanet &c. quia hujusmodi existendi diversi status intrinsecam dissolutionem partium minimè inducunt. Si a rebus materialibus ad substantias spirituales exemplum capere licet, quæ alterius naturæ sunt; præfatis exemplis non incongruè res explicata manet, quantum in præsenti rerum statu notiones spirituales explanare valemus.

562 Argum. 2. Probatio desumpta ab impiorum suppliciis, ac justorum remuneratione in vita futura, nullius est roboris. Probant: virtus ipsa sibi præmium a securitate, conscientiæ testimonio, interna tranquillitate, bonorum approbatione &c. vitium contra, ajebat Augustinus: *Jussisti, Domine, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis animus inordinatus:* en igitur abundè remuneratam virtutem; in scelestos condigno supplicio animadversum. R. magnificè idem hæc dici, rem tamen non confici apertum est. *Si enim*, ait D. Paulus, *in hac tantum vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus: si non est resurrectio, edamus, & bibamus, cras moriemur.* Quis enim erit „ qui post longam vitam ærumnis refertam se satis compensatum esse putet a bono tantum conscientiæ testimonio, si statim cum morte animus extinguendus foret? aut Tiberium satis punitum ab irrequieta conscientia asserat, quam deliciis, omnique oblectamentorum genere, si minus depellere, certe consopire poterat? Deindè etiamsi ita aliquis ad virtutem comparatus esset, ut illius exercitio se satis remuneratum crederet; e communi hominum agendi modo, quos nec præmia, nec supplicia deterrent æterna, imbecillum illud virtutis præmium esse, satis, superque demonstratur: ac multò magis conscientiæ stimulos, susque deque habere sceleratos, maximè qui a criminum multitudine callum conscientiæ obduxerunt.

563 Dices. Supremus rerum Dominus posset nullo præmio post mortem afficere justos, qui aliundè ad id obsequium Domino suo præstandum a conditione naturæ tenentur: impios autem interno in vita, ac in extremo mortis articulo conscientiæ tormento intensissimo cruciare, quod par pari referret: nulla est igitur hæc immortalitatis animæ probatio. R. dist. ant. posset attenta justitia *commutativa*, conc. ant. nec enim jus ullum inter

creaturam, & Deum intervenire potest, vi cujus illa cum Deo agere queat: posset, stante hoc rerum systemate, in quo ab ipso conscientiæ intimo sensu, ac naturæ voce monemur, Deum ita statuisse, neg. ant. enimverò hoc pugnare inter se manifestum est. Hinc Tullius: „Non temerè, nec fortuitò sati, & creati sumus, sed profectò fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano, ne id gigneret, aut aleret, quod quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum „ Tusc. lib. 1. c. 49.

564 Arg 3 Ex innata beatitudinis, & felicitatis æternæ cupiditate deductum argumentum, nullius est roboris ad statuendam immortalitatem. Probant. Homo plura desiderat, quæ obtinere non potest, ut sunt divitiæ, sanitas perpetua, vita longissima &c. ergo idem de immortalitate dicendum. R. dist. ant. prob desiderat appetitione indita a natura, neg. ant. erroneè universalem illam boni appetitionem ad singularia quædam sensibus percepta bona applicando, conc. ant. Hoc adeò evidens est, ut cupiditas illa peculiaris alicujus boni varia in singulis hominibus plerumque sit juxta ideas, quas quisque sibi format bonitatis a sensibus haustas; quod universalem illam consensionem generis humani, quæ naturæ vox esse a Tullio sapienter dicebatur, minimè indigitat. Alia prorsus illa perennitatis est cupido, quam in probationibus adduximus, ac propositum omninò evincit; nisi quum epicureis desipere velimus, ut perfricta fronte corporeas voluptates avidè sectemur.

565 Insist. 1. Consensus ille universalis verus non est: nam epicurei, plures stoici, recentes materialistæ, barbaræ multæ nationes æternitatem animæ negarunt: ergo parum firmitatis habet testimonium illud nationum, ac sensus communis hominum. R. neg. cons. Hujusmodi homines egisse contra stimulos propriæ conscientiæ, adeò manifestum est, ut Lucretius tertio quoque versu latrantem conscientiam sopire conetur, importunè in illud argumentum deflectens, ut ejus libros *de Nat. rerum* legenti planum fiet. Stoicos plerumque destruere, quæ ædificaverunt, ex historia philosophica habemus in Plutarcho, Diogene, Laertio, ac Lactantio, qui singillatim eorumdem incohærentiam notat. Stoicus quidem Seneca apertè pro immortalitate animorum decertat, ac præsertim testimonium a consensu universali nationum petitum epist. 118. adducit: *Quum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium æthera aut colentium.* Quæ de barbaris tanta ducia a nonnullis pronunciantur, quasi longo tempore apud ipsos commorati fuissent, adeò falsa sunt, ut, quæ in prima circumvectionis Cookianæ historia narrantur de incolis Taitensibus, in secunda, ac tertia retractentur. Hoc indubium est, ritus funereos apud omnes barbaras nationes obtinere: quod immortalitatis animorum notionibus imbutas ostendit.

566 Insist. 2. Appetitus ille felicitatis ad summum probat, animas superstites fore diuturnum tempus, minimè verò æternum permansuras. R. neg. assumptum, ut ex intimo sensu, ac consensu nationum perpetuam felicitatem appetentium supra ostensum est. Probant. Hujusmodi ideæ æternitatis a divina revelatione habemus: reliquæ autem philosophorum sectæ a Phœnicibus, ac Syris Hebræorum doctrina imbutis hauserunt; quippe Pythagoram, constat a Phærecide Syro didicisse, atque a pythagoreis Platones, a quibus deindè in vulgus philosophorum defluxit. R. dist. ant. a divina revelatione tantum, neg. ant. etiam a sensu communi, atque nationum consensione, conc. Ad prob. a doctrina Pythagoræ ac Platonis desumptam, negamus intentum probare: quidquid sit de aliquibus notionibus ab Hebræis haustis, quas deindè ad sua dogmata converterunt philosophi; certum est, Mexicanos, Peruvianos, Sinenses, Indos &c. ab eisdem immortalitatem animorum haurire non potuisse. Tullius etiam, qui hanc de Pythagora, ac Platone narrationem contexit, ab omnium consensu nationum immortalitatem animorum demonstrat.

567 Arg. 4. Mentis humanæ natura ejus creationem non exigit: ergo neque perpetuam conservationem. Ant. prob. Deus liberè animam creavit: sed si creationem exigeret, Deus liber non fuisset in creatione: ergo ejus natura creationem non exigit. R. conc. ant. dist. cons. non exigit conservationem, idest, postquam creata fuit, non appetit conservari, neg. hoc enim intimo sensui contrarium est: non exigit conservationem, scilicet nullam legem necessariam Deo imponit illam conservandi, conc. cons. Deus quidem liberrimè animam condidit, ac decrevit, illam æternùm conservare; ideòque quasi pignus hujusce perennitatis irrequietam illam beatitatis cupidinem indidit: quam in præsenti statu satiare non potest, incommutabile illud bonum nondum assecuta, cui firmiter adhæreat: atque a fallacibus bonis sensuum ministerio præsentatis frequenter decipitur, felicitatem quærens, ac minimè inveniens, ut ajebat Augustinus.

568 Argum. 5. Plura testimonia in Scripturis contra immortalitatem animæ habemus. 1. D. Paul. ad Timoth. cap. 6. *Deus solus habet immortalitatem*. R. dist. sensum verborum D. Pauli. Deus solus habet immortalitem essentialem (543) conc. naturalem, neg. Sensus horum verborum adeò manifestus est, ut operæ pretium non sit

in illis fusius explicandis immorari. 2. Eccl. cap. 3. *Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio*. R. ibi loqui per prosopopejam in persona impiorum, sive epicureorum, quorum sensa hic graphice exprimuntur, sicut etiam Sap. cap. 20. Alii etiam de interitu corporis explicant, in quo ceteris animantibus pares sumus. Idem dicendum de alio ejusdem libri textu cap. 9. „ *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*: nam in finem ejusdem libri sacer Auctor disertè ait: *Ibit homo in domum æternitatis suæ . . . . antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Legesis Greg. M. Dial. 5. lib. 4. cap. 4. Ubi hanc Eccl. sententiam explicat.

569 Schol. Argumentum ab anima brutorum petitum ad ultimum hujus dissertationis caput remittimus, ubi hanc quæstionem versabimus. Ad amentes quod attinet, aliosque, qui ab infirmo corpore ægritudinem quamdam animæ videntur contrahere, atque omnes corporis status subire; dicendum hoc ab intimi commercii lege inter animam, & corpus a Deo statuti pendere, neutiquam verò utramque substantiam ejusdem esse conditionis. Vide dicta art. 534.

§. III.

De Origine humanæ mentis, aliisque quæstiis.

570 Non minus natura mentis humanæ, quam ejus origo exercuit, ac torsit philosophorum ingenia. D. Hieronymus Epist. inter August. 163. paucis sententiarum diversitatem comprehendit. „ Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ imò maximæ, ecclesiasticæque quæstionis, utrum lapsa de cælo sit, ut Pythagoras philosophus, omnesque platonici, & Origenes putant? an ex propria Dei substantia, ut stoici, Manichæus, & Hispana Prisciliani hæresis suspicantur? an in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt? an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora secundum illud, quod in Evangelio scriptum est: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*: an certè ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium autumarunt, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima? „ Pythagoras ex illa opinione singularem aliam derivavit *Metempsychosin*, seu transmigrationis animarum, quam fortassis ab orientis populis hausit, quos constat hac opinione imbutos etiamnum esse. Pythagoræ doctrinam eleganter descriptam habes apud Ovidium Met. lib. 15, fab. 2. ubi etiam ingeniosè deliramenta hujusmodi deridet.

571

571 Ad platonicos quod attinet, vehementissimè illos insectatur Arnobius *in lib. 2 adversus Gent.* Infirmum sanè illud est Platonis argumentum, memoria scilicet rerum innumerabilium „ quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitæ. Nam in illo libro, qui scribitur Menon, pusionem quemdam Socrates interrogat quædam geometrica de dimensione quadrati: ad ea sic ille respondit ut puer; & tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens, eodem perveniat, quo si geometrica didicisset: ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, quam recordari. „ *Tusc. lib. 1 c. 24.* Et quidem si hæc vera sunt, cur nos alibi vixisse, aut quæ illic gessimus, non recordamur? Hoc sanè multò facilius nobis esset, quam geometricarum veritatum meminisse. Ab experientia quippè habemus quotidiana, ea nos in mentem nullo negotio venire, quæ sæpius usurpavimus: illorum verò ægrius recordamur, quæ non ita frequenter exercuimus. Quæ autem magis usitata nobis sunt, quam domicilium, ac loca, quæ incolimus? Verum non juvat in istis immorari.

572 Leibnitius, & Wolfius, atque a leibnitianis Bonnetus singularem excogitarunt de origine animarum opinionem, quos sanè rationibus ægrè confutaveris; quemadmodum & ipsi ratione nulla agere possunt in negantes hujusmodi opinamenta. Ajunt enim, animas ab initio mundi in semine primordiali corporis humani involutas, quæ deindè peculiari cujusque seminis evolutione tempore conceptionis explicantur; ac tum animæ creationem quodammodò poni posse, eo quod ab eo tempore functiones animæ rationalis incipiant. Pro singulari hac sententia, quæ ad physicam spectat magis, illud Genesis usurpant: *Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit ab omni opere, quod patrarat*: quo ostendere volunt, animas ab illo tempore præextitisse, ne Deus creare aliquid de novo videatur. Verum infirma est hæc ratiocinatio; probè enim intelligenda esse illa verba manifestum est; ne & nos, & omnia, quæ gigni quotidie videmus, phænomena esse dicamus. Essent enim ab initio rerum productæ, ac tantum se nobis conspicienda præberent; quod quam absurdam sit, nemo est, qui non videat.

573 Parum hæc opinio differt ab ea, quæ ex traduce animas propagari sustinuit; poterat enim ab his & modo Bonnetiano traductio explicari. Plerumque tamen nomine propaginis animarum intelligebant, quod & corporum; nimirum substantiæ dispositio ex altera quasi avulsa, ac in formam peculiarem disposita. Quomodo hujusmodi opinamentum cum simplicitate animæ, atque immortali-

tate componi posset, non video: & tamen tempore D. Augustini hæc apud catholicos adhuc impunè versabatur controversia, quemadmodum & aliæ de animæ origine, ac præexistentia. Concilium tamen Lateranense sub Leone X. aperte definit „ animam humanam pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilem, & multiplicandam „.

574 Restat igitur per id tempus recepta apud theologos, ac philosophos opinio: humanas animas eo tempore creari, quo humanum corpus conformatur in conceptione, postquam in materno utero materia aptè est disposita, ut anima functiones vitales exercere incipiat. Et quidem anima ens simplex (84), substantia spiritualis (530) ac individua (536), nonnisi per creationem oriri potest (88): ex dictis autem ejus præexistentia nullo innititur fundamento: ergo in conceptione hominis a Deo creatur. Quo autem id momento eveniat, nec ad metaphysicam spectat definire, nec, si physicos audias, magis profeceris, ut suo loco exponetur.

575 Rursus alia incidit quæstio, utrum animæ ad eamdem, an ad diversas species pertineant? Mihi quidem nulla sufficiens ratio occurrit, cur hanc specificam diversitatem inducere velint. Si enim aliqua diversitas inter hominum facultates spirituales intervenit, non continuò ab intrinseca substantiarum differentia oriri putanda est. Conformatio enim illa organorum satis superque causa esse potest, e qua major, aut minor energia animorum temperetur; ut in eodem homine in diversis vitæ statibus considerato planum est contemplari. Quantum enim infans a puero septenni distat? hic ab adolescente, adolescens a viro, hic tandem ab sene decrepito? In eodem etiam tractu ætatis homo valens, quantum differt a se ægrotante, amente, aut febri delirante? Quot homines incultos ferarum more vitam transegere, qui deindè doctrina exculti politissimum quemque æquarent? Demum cum unitate generis humani ægrè potest hæc diversitas conciliari, ut facilè perpendenti patebit.

576 Humanam mentem semper cogitare, Cartesii singularis est opinio, quam plures a Cartesio alieni etiam amplexi sunt. Ratione quidem probare animam cogitationem esse, aut saltem perenni cogitatione, quasi actuum vitalium continua serie conservari, res est ardua, nec facilè demonstranda. Quod enim ajunt, vitam humanæ mentis in vitalibus ejus actionibus consistere, adeòque, quamdiu vivit, aliquid agat, necesse esse: obscurum obscuriore ratione probare est, æquè controversa quidem certè. Fœtum in utero matris, dormientes, apoplexia, aut aliis morbis sensum penitus adimentibus laborantes perenni cogitatione versari, ægrè quidem concipere possumus. Quidquid sit de hac opinione, quam definire non intendimus; nec enim me pudet fateri nescire, quod nesciam; certum est, animum in statu activitatis positum continenti cogitatione versari, quin in manu nostra sit, ejus energiam ita suspendere, ut queat omni penitus cogitatione privari.

CAPUT ULTIMUM.

De Anima Brutorum.

577 Quærenti mihi, multumque & diù cogitanti, quanam via præsentem de anima brutorum tractationem arriperem, controversiamque resolverem; tot tantæque difficultates animo obversabantur, præsertim ab recentium philosophorum lectione, ut animum prorsus desponderem, non veritatis tantum assequendæ, quod numquam fore speravi, verum etiam magis probabilia inveniendi. Quamobrem aut silentio premere hujusmodi inquisitionem putabam magis expedire; aut pauca de argumento præfatus, illa perbrevi sententia discedere:

Corpora Brutorum, quæ sive carentia sensu,
Sive instructa putes, mirare, & Numen adora.

Et quidem eruditus Antonius Nicolajus postquam omnia quæ hactenus disputata sunt, more suo doctè collegisset, rem desperatam esse pronunciat, problema resolvere (tom. 2. lect. 13. in Gen.) Ne tamen jejunam nostram juventutem in hac metaphysica disputatione dimittamus, ea, quæ ab empyrica parte habemus probabiliora, exponemus; cetera historicè magis, quam disputantes dabimus.

578 Ad opiniones quod attinet diversas, ferè dici posset, quemlibet auctorem novam quamdam sententiam proponere; adeò diversæ sunt viæ quibus incedunt, quamquam opinionem ab aliis promotam defendant. Ceterum ad quinque classes commodè refetri posse observat Tamagna; imò ad duas, ut statim dicemus, reduci deberent. Alii spiritualem substantiam cum prælaudato auctore esse propugnant; peripatetici substantiam materialem ex ipsa materia eductam, ac instinctu quodam præditam; alii vero tenus ab his dissidentes, substantiam corpoream existimant; a quibus tamen si quid exprimere velis, quod clarius, ac distinctius hujusmodi substantiæ corporeæ notionem exponat, fortassè nihil aliud dicent, quam modificationem esse materiæ: per hos autem dies vulgatior illa est

tate componi posset, non video: & tamen tempore D. Augustini hæc apud catholicos adhuc impunè versabatur controversia, quemadmodum & aliæ de animæ origine, ac præexistentia. Concilium tamen Lateranense sub Leone X. aperte definit „ animam humanam pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilem, & multiplicandam „.

574 Restat igitur per id tempus recepta apud theologos, ac philosophos opinio: humanas animas eo tempore creari, quo humanum corpus conformatur in conceptione, postquam in materno utero materia aptè est disposita, ut anima functiones vitales exercere incipiat. Et quidem anima ens simplex (84), substantia spiritualis (530) ac individua (536), nonnisi per creationem oriri potest (88): ex dictis autem ejus præexistentia nullo innititur fundamento: ergo in conceptione hominis a Deo creatur. Quo autem id momento eveniat, nec ad metaphysicam spectat definire, nec, si physicos audias, magis profeceris, ut suo loco exponetur.

575 Rursus alia incidit quæstio, utrum animæ ad eamdem, an ad diversas species pertineant? Mihi quidem nulla sufficiens ratio occurrit, cur hanc specificam diversitatem inducere velint. Si enim aliqua diversitas inter hominum facultates spirituales intervenit, non continuò ab intrinseca substantiarum differentia oriri putanda est. Conformatio enim illa organorum satis superque causa esse potest, e qua major, aut minor energia animorum temperetur; ut in eodem homine in diversis vitæ statibus considerato planum est contemplari. Quantum enim infans a puero septenni distat? hic ab adolescente, adolescens a viro, hic tandem ab sene decrepito? In eodem etiam tractu ætatis homo valens, quantum differt a se ægrotante, amente, aut febri delirante? Quot homines incultos ferarum more vitam transegere, qui deindè doctrina exculti politissimum quemque æquarent? Demum cum unitate generis humani ægrè potest hæc diversitas conciliari, ut facilè perpendenti patebit.

576 Humanam mentem semper cogitare, Cartesii singularis est opinio, quam plures a Cartesio alieni etiam amplexi sunt. Ratione quidem probare animam cogitationem esse, aut saltem perenni cogitatione, quasi actuum vitalium continua serie conservari, res est ardua, nec facilè demonstranda. Quod enim ajunt, vitam humanæ mentis in vitalibus ejus actionibus consistere, adeòque, quamdiu vivit, aliquid agat, necesse esse: obscurum obscuriore ratione probare est, æquè controversa quidem certè. Fœtum in utero matris, dormientes, apoplexia, aut aliis morbis sensum penitus adimentibus laborantes perenni cogitatione versari, ægrè quidem concipere possumus. Quidquid sit de hac opinione, quam definire non intendimus; nec enim me pudet fateri nescire, quod nesciam; certum est, animum in statu activitatis positum continenti cogitatione versari, quin in manu nostra sit, ejus energiam ita suspendere, ut queat omni penitus cogitatione privari.

CAPUT ULTIMUM.

De Anima Brutorum.

577 Quærenti mihi, multumque & diù cogitanti, quanam via præsentem de anima brutorum tractationem arriperem, controversiamque resolverem; tot tantæque difficultates animo obversabantur, præsertim ab recentium philosophorum lectione, ut animum prorsus desponderem, non veritatis tantum assequendæ, quod numquam fore speravi, verum etiam magis probabilia inveniendi. Quamobrem aut silentio premere hujusmodi inquisitionem putabam magis expedire; aut pauca de argumento præfatus, illa perbrevi sententia discedere:

Corpora Brutorum, quæ sive carentia sensu,
Sive instructa putes, mirare, & Numen adora.

Et quidem eruditus Antonius Nicolajus postquam omnia quæ hactenus disputata sunt, more suo doctè collegisset, rem desperatam esse pronunciat, problema resolvere (tom. 2. lect. 13. in Gen.) Ne tamen jejunam nostram juventutem in hac metaphysica disputatione dimittamus, ea, quæ ab empyrica parte habemus probabiliora, exponemus; cetera historicè magis, quam disputantes dabimus.

578 Ad opiniones quod attinet diversas, ferè dici posset, quemlibet auctorem novam quamdam sententiam proponere; adeò diversæ sunt viæ quibus incedunt, quamquam opinionem ab aliis promotam defendant. Ceterum ad quinque classes commodè refetri posse observat Tamagna; imò ad duas, ut statim dicemus, reduci deberent. Alii spiritualem substantiam cum prælaudato auctore esse propugnant; peripatetici substantiam materialem ex ipsa materia eductam, ac instinctu quodam præditam; alii vero tenus ab his dissidentes, substantiam corpoream existimant; a quibus tamen si quid exprimere velis, quod clarius, ac distinctius hujusmodi substantiæ corporeæ notionem exponat, fortassè nihil aliud dicent, quam modificationem esse materiæ: per hos autem dies vulgatior illa est

est opinio, substantiam esse *immaterialem*, quæ nec corpus sit, nec spiritus; iis tamen qualitatibus prædita sit, quam, si rationem, ac invidiam verbo demas, spiritum esse concedant. Demum Cartesius a Gomezio Pereira medico hispano primum in suo libro, cui *Margarita Antoniana* a parentum ipsius nominibus titulo est, propositam sententiam novis accessionibus illustratam defendit; esse scilicet bruta *automata* quædam naturalia horologiis, aut machinis artificialibus similia, quæ nullo interno principio agente, sed vi externorum objectorum concutiente organa, ea præstent, quæ in ipsis animadvertimus: infra hanc sententiam verbo tenus a peripatetica differre, a recente auctore discemus. Jam sit

579 Positio 1ma. *Bruta animantia automata naturalia non sunt, quæ omni interno agendi principio destituantur.* Prob. 1. Si mechanici in brutis motus existunt, ut sunt illi in magnete, horologio &c. constantes esse debent effectus, quemadmodum mechanicorum automaton esse conspicimus: enimverò hoc falsum esse, quotidiano experimento comprobamus. Esto exemplum equus pernicissimo motu concitatus, aut canis venaticus effuso cursu prædam insectans, qui fovea latissima conspecta statim cursum sistunt, aut flectunt: fac alium equum, aut canem Regiomontani artificio constructum, qui hujusmodi cursum imitetur; sistetne, aut aliò sponte divertet, quum ad foveam devenerit? non puto: diversa igitur est utriusque interna constructio, atque aliunde, quam a mechanica dispositione petenda ruinæ declinatio, quæ nonnisi a principio intrinsecus agente oriri potest.

580 Ab effluviis, inquiunt, voraginis in organa canis agentibus repentina hujusmodi cursus compressio, aut inflexio nasci dicenda est; quemadmodum Regiomontani aquila volans, aut aviculæ in Justano secessu Caroli V. Imperatoris, Famiano Strada teste de Bello Belgico dec. 1. ad ipsum recreandum fabrefactæ, quæ per conclavia volitabant, ab interno machinamento ad id determinatæ. Si hæc, inquam, vera est responsio, deberent motus leges ad amussim servari in primo casu brutorum, veluti horum automaton motus ad easdem conformabantur: hoc autem nullo negotio falsum ostenditur; nam vel effluvia æquali motus quantitate occurrunt equo, aut cani, ac tum sisti omninò deberet motus; vel majore, & retroagerentur; vel directionibus obliquis, tumque juxta diversitatem virium motus componi deberet: nullum ex his contingere videmus, sed in quocumque casu sistunt, aut si flectunt viam, id, postquam omnem motum primitivum extinxerint, faciunt. Deindè si obscura id nocte eveniat, quando objecta discernere non valent, præcipites aguntur, quin ulla effluviorum emissione detineantur, ut nuper currui iter agenti per noctis tenebras contigit.

581 Prob. 2. Si internam brutorum constructionem inspiciamus, organa, prout cujusque moles, & conformatio corporis fert, nostris simillima conspiciuntur, quæ & motus peragunt vitales, & nervorum ministerio ad cerebrum usque sensiones vehunt iisdem prorsus legibus, quas in nostris externis sensibus observari conspicimus: at si umquam analogiæ argumentum aliquid evincit, tum vel maximè id præstare debet, quando, attentis omnibus circumstantiis, paria omnia utrobique inveniuntur. Quum ergo ex intima conscientia nobis constet, ab interno principio in nobis hæc omnia oriri, quæ ministerio organorum aut agimus, aut patimur; & in brutis aliquid internum principium id præstans agnoscere debemus.

582 Prob. 3. Cani recumbenti fictum panem, aut carnis frustum ostenta: occurret statim; fraude tamen detecta, iterum recumbet; fortassis etiam bis, terve decipies; dolum tamen sæpius continuare non poteris. Quid ergo? effluviane illa machinam amplius non percitant? imò verò eo magis excitare deberent, quo plus temporis in conspectu canis sunt: tantum autem abest, ut iis pervellatur, ut iteratis vicibus repetita fraude, nec oculos amplius in panem conjiciat. Eveniretne idem in machina *hydraulico pneumatica*, aut elaterio, rotis, similive machinamento constructis? enimverò si iisdem causis mechanicis, iidem semper effectus respondent, uniformes actiones brutorum obtinerentur in præfigurato casu, aliisque similibus: quod quum falsum sit, & assignata causa *mechanismi* commentitia sit necesse est.

583 Prop. 2. *Bestiæ sentiendi facultate pollent.* Prob. Omnes machinæ animalis motiones, quas in nobis a facultate sensitiva provenire cognoscimus, in belluis animadvertimus: enimverò si, ut fert newtonianum philosofandi dogma merito a philosophis receptum: *effectuum naturalium ejusdem generis eadem sunt causæ admittendæ*, non video, cur brutis sentiendi facultas denegetur, quæ omnia exhibent, quandoque etiam perfectiore modo, quæ a facultate sentiendi nos ipsi præstamus.

584 Prop. 3. *Bruta etiam percipiendi, seu cognoscendi facultate pollent.* Prob. eodem argumento, quo præcedentem conclusionem firmavimus; eadem enim utrobique est ratio, iidem effectus spectabiles cognitionis, ac in homine conspiciuntur; quin opus sit rethorica quadam amplificatione ab inductione id ostendere, quod omnibus notum, ac perspectum est. Nec enim rethores, sed philosophos agimus: philosophos, inquam, juvenum institutioni servien-

vientes, ac pressam illam, ac tempori studiorum præfixo accomodatam methodum sectantes, quæ non ab eloquentiæ laude, ac ornamentis dimetienda venit, sed a concinna, pressaque claritate, qua multa paucis comprehenduntur, seposita redundantia verborum. Qui animi causa velit de brutorum anima tractationem jucundam legere, adeat Polignacum Antilucretii lib. 2.

585 Prop. 4. *Bruta pollent facultate imaginandi*. Prob. Imaginatio est facultas sensationes præteritas renovandi (352): in bestiis autem quotidiano experimento novimus, hujusmodi sensationes renovari; dominum canes agnoscunt; fuste ostentato, fugiunt; latibula feræ quærunt sua; repositas escas urgente fame iterum revisunt; aliaque permulta edunt imaginationis signa, quibus luculenter ostendunt, eam ipsis inesse vim, quam nos imaginationem vocamus. In somniis etiam phantasmata in brutis renovari manifestè deducimus.

Quippè videbis equos fortes, quum membra jacebunt,
In somniis sudare tamen, spirareque sæpè
Et quasi de palma summas contendere vires,
Tunc quasi carceribus patefactis sæpè quiete,
Venantumque canes in molli sæpè quiete
Jactant crura tamen subitò, vocesque repente
Mittunt, & crebras reddūcunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum.
Lucr. lib. 4, v. 984.

586 Corol. 1. Quoniam ab imaginatione, & cognitione memoria pendet (572), easque facultates in brutis reperiri ostendimus, memoriam etiam, seu reminiscentiam habere possunt. Et quidem excitata phantasmata recognoscunt, ut in allatis exemplis aliisque sexcentis maximè obviis elucet manifestum. „ Habent enim memoriam, ait Augustinus, & pecora, & aves, alioqui non cubilia, nidosve repeterent, non alia multa, quibus assuescunt; neque enim assuescere valerent, nisi per memoriam. „ Lib. 10. Conf. c. 10.

587 Corol. 2. Appetitu etiam sensitivo gaudere jam alibi pro re nata (457), deduximus. *Dedit autem eadem natura belluis & sensum, & appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales partus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus*. Tull. lib. 2. de Nat. Deor. c. 47. Legi possunt cetera, quæ ibi persequitur Balbus, & magnoperè hactenus exposita de belluarum anima illustrant, atque confirmant. Hinc & affectus (478) suo modo brutis convenire, ex eorumdem etiam operationibus inferimus: nam & ira exardescere, vindictam appetere, ad præsentiam objecti grati gestire, amore erga proiem teneri, blanditiis mulceri etc. passim videmus. Quamquam acute observat Seneca in belluis hujusmodi commotiones statim sedari, taurosque post acrem pugnam ad pastum, somnumque capessendum accedere; quod homini facere numquam licuit.

588 Corol. 3. Spontanei motus, qui ab appetitionibus atque aversationibus proveniunt, existunt etiam in brutis: motusque ipsos pro varietate appetitionum aut aversationum excitant, intendunt, temperant, sistunt; plura denique in ipsis animadvertimus, quæ tam parum mechanicè fieri posse concipimus, quam in nobis ipsi eadem simili automatico modo peragi concipiamus.

589 Prop. 5. *Bruta intellectu, ac ratione destituuntur*. Prob. Intellectus est ea animi facultas, qua notiones distinctas formamus, notas objectorum separando, conferendo &c. (381) sed hæc facultas brutis non inest: quod sic ostendo: bruta notiones abstractas non formant; genera, species, similitudines, relationes non pervident: notionibus igitur distinctis carent. Deindè hujusmodi notionibus distinctis instructus homo signa arbitraria invenit, quibus eas significaret, cum aliisque conferret: bruta autem id præstare numquam possunt, imò nec addiscere ab homine inventa vocabula, quibus notiones suas exprimant. Aliquos quidem sensu vacuos sonos edunt, et cognoscunt, tamquam signa quædam externa sensus commoventia: annexam tamen mentalem ideam in mente humana ab his signis excitatam, in ipsis perfici non posse perspicuum est; velut in surdis, talia signa haud percipientibus, fieri videmus.

590 Conf. Ratione singulares veritates in universalibus contentas percipimus, ac deducimus (393): autem hoc belluas efficere nemo umquam dixerit: ratione igitur carent. Nisi velis geometriam, aut analysim invenisse, aut invenire posse bruta: aut aliquod problema solvisse; quod quidem saxis magis a pueris oppugnaretur, quam ratione aliqua philosophica. Deindè quas artes ratione ducti invenerunt, quas perfecerunt a natura datas? nullas: ratione igitur carent.

ARGUMENTA CONTRARIA.

591 Argum. 1. Sapientissimus naturæ Artifex potuit tales machinas condere, quæ sola structura peragerent, quæ a brutis fieri videmus: ergo ita factum esse credendum est in illis, ne difficultatibus opprimamur, quæ ingenia torquent illorum, qui corporeos, aut spirituales, aut immateriales esse propugnant. *Prob. cons.* breviorem semper mo-

modum operandi insectatur natura: ergo si solo machinamento res fieri a Deo potuit, nihil opus est animam adstruere hujic machinæ adjunctam. R. *Omisso ant. neg. cons.* Nihil nostra interest investigare, quænam Deus potuit facere circa belluarum conditionem; eodem enim jure ex illo antecedente contrariam conclusionem deducere possemus. Potuit enim condere et animæ facultatibus instructas: ergo et condidit. Ad unum hoc deveniendum tandem est, utro modo ab effectis Deum operatum esse deducamus? ajo enimverò verisimilius esse ex his, quas attulimus rationibus, ac ferè omnis humani generis consensione, bruta animantia mera automata non esse, sed principio agendi interno pollere, e quo proficiscantur, quæ ab ipsis fieri videmus. Si enim nullius roboris illæ sunt, ajo te merum automa esse, nullaque ratione evictum iri contrarium. Nam si ad conscientiam recurras; hæc mihi tam est manifesta, quam illa sit, quæ belluarum animæ insidere posset. Ad *prob. respondeo*, quænam brevior, aut longior sit via, nostrum non esse judicare; nec etiamsi hæc præ illa longior foret, cur a Deo citius electa fuerit, possumus, nisi temerè, definire. Alio igitur argumentandi genere res est a cartesianis peragenda.

592 Arg. 2. Si bruta automata non sunt, crudelitatis Deus arguitur, qui tot laboribus, cruciatibus, nece permiserit homini bruta impunè afficere: hoc impium est dicere: ergo primum tenendum. R. *neg. maj.* nam sensationes brutorum conferre cum nostris non debemus, ut ex his, quæ nobis acciderent in simili casu argumentum instituamus. Suas voluptates habent bruta, quibus abundè compensantur dolores, quos perferunt. Consilia Dei adorare debemus, neque iis ad nostra præjudicia promovenda abuti. Qua de causa Deus homini permiserit dominium *absolutum* in bruta, noverit ipse, nec nos curiosius scrutari debemus consilia sua. Plura sunt, quorum & causæ antecedentes, et effectus subsecuturi nos latent; quæ si introspicere liceret, rationem sufficientem statim adipisceremur eorum, quæ latebris sunt involuta naturæ. In his ego brutorum statum recenseo, quorum ulteriorem destinationem nemo est, qui, nec divinando, assequi valeat.

593 Arg. 3. Si brutis inest facultas cognoscendi, etiam intellectus, ac judicandi & ratiocinandi facultas concedi debet: falsum posterius: ergo & prius. *Prob. maj.* ab effectis facultatem cognoscendi deducimus: sed ab iisdem etiam plura ad rationem pertinentia a bestiis fieri conspicimus. R. *neg. maj.* & *dist. maj. prob.* ab effectibus, & quia nulla ratio evincens contrarium apparet, *conc.* secus, *neg. maj.* „ Inter hominem, & belluam hoc maximè interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accomodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones „ (*De Offic. lib.* 1. *cap.* 4.) „ Hominis enim etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habent a natura datam, mentemque & acrem, & vigentem, celerrimèque multa simul agitantem, & ut ità dicam, sagacem: quæ & causas rerum, & consecutiones videat, & similitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ consequentis statum. Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem, cumque is natura & sermone, & usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius, & se implicet primum civium, deindè omnium mortalium societate; atque ut ad Archytam scripsit Plato, *non sibi se soli natum meminerit, sed patriæ, sed suis*, ut perexigua pars ipsi reliquatur. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini vera inveniendi, quod facillimè apparet, quum vacui curis, etiam quid in cælo fiat scire avemus: his initiis inductis omnia vera diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum, atque magnificum ad imperandum magis, quam ad parendum accomodatum: omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens, altum quiddam & excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. „ De Fin. lib. 2. cap. 14. Nisi hæc in bestiis adesse probaveris, rationem ipsis convenire numquam evinces.

594 Inst. Rationes hactenus adductæ, ut bestiis intellectum negemus, sunt 1. quia sermone destituuntur. 2. quia hominum loquelam numquam addiscunt. 3. quia artefacta sua non perficiunt, nec artes novas inveniunt. 4. constans ubique terrarum operandi modus, contra atque in homine cernatur ratione ductus: sed hæc falsa sunt: *probant*: 1. sermonis defectus ab organorum conformatione dependet, quibus si instructa essent bruta, æquè ac homines loquerentur; quod patet in canum latratu, gallinarum articulationibus pullos convocantium &c. 2. vocabula plura probè distinguunt canes, feles &c. nomina sua cognoscentes. 3. indubium est animalia quædam saltationem, venationem, aliaque addiscere magisterio hominum edocta. 4. varietas illa in homine perfectiorem rationem tantum probaret. R. Animalia quædam, ut psittaci voces proferre humanas, ac integras sententias, quin umquam sermoci-

cinandi rationem adinvenerint. Quædam etiam verbe a canibus magisterio edoctis prolata fuisse, memini quondam legisse: defectus igitur rationis, non organorum est, quod muta animantia facit. Ad 2. & 3. quod attinet, rationem in brutis nullam probant, quum hæc a facultatibus imaginandi, ac percipiendi etiam in homine proveniant, ut in amentibus, infantibus, dormientibus, noctambulis præsertim evenire videmus. Demum nulla est ratio, quæ cultura non perficiatur: si uniformitas ista in actionibus humanis, qualis brutorum operationibus inest, cerneretur; actum esset de ratione nostra.

595 Inst. Plura sunt, ex quibus, bruta ratiocinari, manifestum est: ergo ratione utuntur. *Prob. ant.* exemplo canis prædam insequentis, qui quum ad trivium devenerit, odoratus primam, ac secundam semitam, tertiam confidenter arripit; quasi hoc ratiocinio ductus: *aliquam ex tribus his semitis arripuit fera: non primam, ac secundam:* ergo *tertiam:* quis autem negaverit, hoc esse perfectum ratiocinium? R. hujusmodi ratiocinium ab homine hæc observante, minimè verò a cane perfectum fuisse. Prima, ac secundam viam odoratus, ad tertiam deveniens, ab odore organa pervellente excitatus fuit ad tertiam semitam arripiendam. Ni ita fuisset ratiocinium, ajo dignum fuisse, quod a rationis experte perficeretur. Aut enim illam viam institerat præda, aut aliam arripuerat: si primum dixeris, in nostram responsionem incidit: si alterum, næ hujusmodi ratione uti ego nollem. Fac tamen, ita evenisse, inquies; falsam ratiocinationem evinces fuisse, aliquam tamen. Nullam, inquam, etiam concesso, quod ab odore non traheretur. Potuit enim a reminiscentia id evenire; quod alii similium casuum expectationem vocant (402): si prædam olim insequens canis in trivium delapsus, prima ac altera semita odorata, in tertiam deveniens, odore admonitus, præda potitus fuit.

Cæterum narratiunculæ istiusmodi plerumque falsis adjunctis adornata sunt. Mira sanè apud Plutarchum in *lib. de industria animalium* leguntur: tale est illud: „ Thraces etiamnum flumen glaciatum transituri, non aliunde, quam a vulpe documentum capiunt prius. Leniter hæc super glaciem incedens auriculam admovet: ac si strepitum subterlabentis aquæ captando assequi potest, non satis altè, sed tenuiter & invalidè fixam colligens, sistit gradum; ac nisi quid vehementer urget, nusquam promovet pedem: strepitum verò postquam audire nullum potest, sumptis animis trajicit „.

Auctor libri *de termone brutorum* hanc aliam narratiunculam profert. „ Pastor quidam a viatore monitus, ut sibi, gregique suo a lupo non procul excubante caveret; re-

respondit, nullum imminere periculum gregi, quamdiu canes penes se contineret; sin autem eosdem emitteret adversus lupum, quem viator vidisset, mox adfuturum prædonem alterum, qui nonnihil remotius in insidiis lateret. Istud experiri volens viator, damnum, quod accideret, suum fore pollicetur, modo canes emittantur. Obtemperat pastor: at ubi canes in lupum jamdiù conspectum effusi longius a grege recedunt, ecce tibi lupus alter, qui statim in gregem involans, ovem secum abripit, cursuque pernicissimo prædam laniaturus aufugit „.

Hæc, inquam, mirandaque apium in construendis cellulis industria, uberorumque seu castorum solertia architectonica, rapacium animalium astutia, ac insidiæ militares &c. nonnullos auctores impulerunt, ut animantibus rationem quamdam imperfectam concederent, quæ ad notiones abstractas minimè perveniret: eas tamen, quæ a sensibus hausissent, & perpendere, & conferre, disjungere, aut separare judicio quodam comparativo, ac ratiocinatione valeret. Ea tamen a facultate cognoscendi, imaginandi, appetendi, quas in brutis reperiri, si cartesianos demas, omnes admittunt, provenire posse, puerulorum exemplo, amentium, imò dormientium etiam, qui plura his similia exhibent rationis indicia, ostendi posse videtur. Ceterum si hanc imperfectam rationem nuncupare placet, nullus contradico.

596 Corol. 1. Igitur bestiæ nonnisi singularium corporum ideas in sensus incurrentes acquirere possunt; abstractas, universales, immaterialium objectorum non possunt. Procul exulat ab eorum cognoscendi facultate notio Dei, justi, honesti, virtutis, vitiorum, quantitatis discretæ, proportionis &c.

597 Corol. 2. Libertate etiam carent bruta, quæ rationis exercitium requirit, ac judicium indifferens extrema, inter quæ eligat, comparans, bonitatis etiam notionem, a qua excitetur, quæ omnia ab agente rationis compote tantum ad manum haberi possunt. Motus quidem voluntarios in ipsis admittimus, quemadmodum illi suat in infantibus, puerilis, amentibus conspicui, atque a facultate appetendi, nulla dirigente ratione, profecti; directionem majoris, aut intensioris sensationis in omnibus sequentibus.

598 Schol. Quod si quis a me quærat, cujus tandem generis esse animam brutorum existimem, spiritualis, corporei, aut immaterialis? Ingenuè fateor, me ignorare, nec pudet meam ignorantiam candidè aperire. Auctores illi, qui animam brutorum corpoream esse contendunt, in eas salebras devenerunt, ut materiæ percipiendi facultatem, imò & cogitandi concederent. Audi Joan. Bapt. Du-ha-

mel: „ Oppon. 1. nihil esse in brutis, nisi corporeum, & extensum; sed cognitio, aut perceptio non est corporea, neque affectio, aut modus rei extensæ, quùm ea nec dimensiones habeat, nec figuram; neque enim perceptio, aut cogitatio quadrata, vel rotunda, uti nec longa, nec lata concipi potest: ergo &c. . . . *Resp. neg. maj.* nam quæ in brutis fit perceptio, est corporea, & extensa, quum nihil nisi corporeum, & per imagines corporeas percipiant „. Deindè pluribus interjectis disertius hæc habet: „ Quo quidem modo extensio non erit cogitationis subjectum; sed substantia, quæ est extensa, potest eadem cogitare „ *Metaph. tract.* 3. *quæst.* 5.

Felicius se expedivisset Duhamelius cum Ant. Ludenna, peripateticorum, Cartesii, ac suam de anima corporea brutorum unam faciente sententiam. „ De anima (brutorum) tres potissimum sententiæ numerantur, quarum prima peripateticorum fuit, qui brutorum animas formas quasdam substantiales esse censuerunt, corporeas illas quidem, sed a materia prorsus secretas, quæ ne crearentur, nec ex nihilo sui gignerentur, sed ex materia, tamquam ex subjecto quodam, quemadmodum ceteræ qualitates accidentales corporis, efformarentur . . . Verum hæc quidem opinio vix ab ea differre credenda est, quæ brutorum animas corporeas facit. Nec enim vires formæ substantialis vires absolutas materiæ superant, ac aliquod medium inter vires materiæ, & spiritus reperitur . . . Postrema denique illorum philosophorum opinio est, qui brutorum animas corporeas esse, nec prorsus a materia secretas existimant: quam sententiam instauravit in Hispania omnium primus Antonius Pereira medicus peritissimus in sua *Margarita Antoniana*, quem postea Cartesius in Gallia imitatus fuit, atque ita illustravit, ut ab eo tota quæstio nomen acceperit. Quapropter effectus omnes, & operationes omnes, quas in belluis, mutisque animantibus experimur, ex diversa solum organorum dispositione, diversaque rerum corporearum impressione repetendas esse censuerunt.

Deindè suam mentem aperiens, cum peripateticis, & cartesianis asserit, animas belluarum corporeas esse. „ Itaque brutis quidem concedimus tum sentiendi & imaginandi vim; tum motus quosdam spontaneos motionibus, & imaginibus corporeis accuratissimè, & necessariò respondentes; quæ tamen vires, etsi vim percipiendi imitari quodammodò videantur, certè nihil aliud sunt, aut fingi possunt, nisi quædam modificationes materiæ per motum, & corporum impressionem effectæ, eorumque veræ imagines; aptæ tamen, & mirum idoneæ ad ipsos motus inducendos, quos ipsæ animi motiones inducerent. Similes namque sunt, ipsumque objectum referunt, neque alia re differunt,

runt, nisi principio, & ratione, & temporis diversitate, quo fiunt, quemadmodum supra monstratum est: nec mirum propterea quod ambæ a Lockio permixtæ, & copulatæ, nec interpositum fuerit aliquod inter ipsas discrimen. Et verò res ejusmodi erat, ut discrimen totum internosci non posset ex solis animi corporisque motionibus. Quare si in brutis Lockii opinionem teneamus, nec quidpiam bruta nisi res corporeas & concretas percipiant, sensusque omnis belluarum motionis corporæ effectus sit; num quidpiam ex hujusmodi perceptionibus evinci poterit, quod vim materiæ & potestatem superet? Itaque bruta verè sentiunt, & percipiunt, ut motionibus solum corporeis pervellantur, & afficiantur, quemadmodum in Lockii opinione animus: res alias ab aliis distinguunt, & separant: at per diversam solummodò impressionem sola motione corporea effectam, ut per diversam objectorum imaginem: rerum singularum cognitionem obtinent; at nullam claram, & distinctam ipsarum ideam, & notionem habent: motus quosdam in ipsis spontaneos & voluntarios, nec eosdem constantes, & invariabiles observamus, qui tamen veri effectus sunt illarum imaginum, quæ in ipsorum phantasia sensuum motionibus excitantur, ipsisque respondent accuratissimè: quæ omnia ejus generis sunt, ut vires, modificationes materiæ non excedant, nec apta partium dispositione, & figura explicari queant. „ Metaph. lib. 3. c. 8.

Haud ægrè patiar in primam illam docti hujus auctoris opinionem trahi, tres scilicet illas sententias ratione quidem consentire, oratione pugnare asserentis. In eam namque sententiam jampridem descenderam, peripateticorum formas materiales, puras putas esse modificationes materiæ recentiorum alio nomine donatas. Verum ne partem alteram ejusdem sententiæ amplectar, aliquot impedior difficultatibus, quæ nisi mihi enodentur, nullam inire sententiam satius duco. Ac primum sensatio illa, perceptio, imaginatio, distinctio objectorum, quas brutis concedit laudatus auctor, metaphorico tantum sensu accipiendæ erunt; nec verè bruta sentire, percipere &c. ullo umquam pacto affirmare licebit. Quis enim horologia, Regiomontani aquilam ligneam, machinas illas a P. Regnault commemoratas, equi videlicet mechanici ad septem, vel octo leucas in via plana conficientis, statuæ ferreæ a captivo quodam elaboratæ, quæ per varias tortuosas vias incedens, ad pedes Regis Marrochii supplicem exhibens libellum, ad carcerem iterum rediit &c. verè percipere, sentire, motum spontaneum habere dicat? Inter hujusmodi machinas, ac bruta sensu prædicto fabrefacta illam ego diversitatem invenio, quæ inter antiqua illa horologia

rudi minerva constructa, ac recentia hujus automatis machinamenta reperire licet. Nam etiamsi artificium naturalium automatum, utpote a mente divina profectum toto cælo ab humano distaret; semper tamen in materia diversimodè configuranda versaretur; nec alterum ab altero, nisi *penes magis*, & *minus*, ut ajunt, diversum esset.

Deindè sensatio illa, perceptio &c. essetne cum intimo sensu conjuncta, ac intimo sensu percepta? Intimum hic sensum eum intelligo, quem infantes, pueri, amentes sensationum suarum habent. Si hunc illis concedas, materiæ notiones tribuis, quibus concessis, ipsam cogitare posse fatearis, oportet. Sanè quomodo hic sensus intimus materiæ convenire queat, haud facilè intelligo. Sagacioris ingenii alii fortassè id percipient; mihi quidem hucusque non licuit mirabile hoc arcanum animo comprehendere. Sin autem sine intimo ullo sensu phænomena illa edere contendas; verè sentire, percipere, imaginari &c. nisi abusivè, dici quidem certè non potest.

Demum, admissa mechanica illa sensatione in brutis, nullo argumento in homine ab anima provenire sensationes, appetitiones, phantasiam &c. ostendere valemus; duoque principia, sive duas animas, corpoream unam, spiritualem alteram confingere quisque pro libito poterit. Exemplo enim a belluis ducto, hominem ab anima corporea sentire pronunciabit; ab spirituali verò rationem, ac ejus appendices habere dicet; quod nescio, an docili mente omnes auscultabunt. Luculentius Balbus in 2. de Nat. deor. c. 11, et 12, animam brutorum sic expedit: „Omnem naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus... Bestiis autem sensum et motum, (natura) dedit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum; hoc homini amplius quod addidit rationem.„ Sed hæc hactenus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

THEOLOGIA NATURALIS.

Liceat cum Cordubensi Philosopho præfari. „Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, quum illam non ab hoc parte video, quæ publica est, sed in secretiora ejus intravi: quum disco, quæ universi natura sit, quis auctor, aut custos: quid sit Deus: totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat: faciat quotidie aliquid, an semel fecerit: pars mundi sit, an mundus: liceat illi hodieque decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare: an majestatis diminutio sit, & confessio erroris mutanda fecisse?... Quam utile existimas ista agnoscere, & rebus terminos ponere: quantum Deus possit, materiam ipse sibi formet, an data utatur: utrum idea materiæ prius superveniat, an materia ideæ: Deus quidquid vult, efficiat; an in multis rebus illum tractanda destituant, & a mágno artifice prava formentur, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, sæpè inobsequens arti est? Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere, nonnè transilire est mortalitatem suam, et in meliorem transcribi sortem?„ *Seneca in præf. ad QQ. Nat.*

CAPUT PRIMUM.

De Existentia Dei.

599 „Ens necessarium est id, quod *Deum* nuncupamus, Ens supremum principium, ac ratio sufficiens rerum omnium„ art. 140. Hæc est definitio nominis (Log. 56), quam ad præsentem tractationem usurpare placuit, eo quod jam art. citato præjacta sint fundamenta, quibus hæc notio dilucidè intelligi queat. Fuerunt tamen nonnulli, ac etiamnum extare non dubitamus, qui rem hac definitione significatam verbo tenus inficiari, ac aliis eamdem impietatem persuadere tentarunt. Dixi verbo tenus; nec enim umquam crediderim, aliquod esse in natura monstrum adeo efferatum, quin unquam auctorem suum cognoverit: semperque dixerit *in corde suo: non est Deus*. Seneca enim teste: *Mentiuntur, qui dicunt se non sentire*

rudi minerva constructa, ac recentia hujus automatis machinamenta reperire licet. Nam etiamsi artificium naturalium automatum, utpote a mente divina profectum toto cælo ab humano distaret; semper tamen in materia diversimodè configuranda versaretur; nec alterum ab altero, nisi *penes magis*, & *minus*, ut ajunt, diversum esset.

Deindè sensatio illa, perceptio &c. essetne cum intimo sensu conjuncta, ac intimo sensu percepta? Intimum hic sensum eum intelligo, quem infantes, pueri, amentes sensationum suarum habent. Si hunc illis concedas, materiæ notiones tribuis, quibus concessis, ipsam cogitare posse fatearis, oportet. Sanè quomodo hic sensus intimus materiæ convenire queat, haud facilè intelligo. Sagacioris ingenii alii fortassè id percipient; mihi quidem hucusque non licuit mirabile hoc arcanum animo comprehendere. Sin autem sine intimo ullo sensu phænomena illa edere contendas; verè sentire, percipere, imaginari &c. nisi abusivè, dici quidem certè non potest.

Demum, admissa mechanica illa sensatione in brutis, nullo argumento in homine ab anima provenire sensationes, appetitiones, phantasiam &c. ostendere valemus; duoque principia, sive duas animas, corpoream unam, spiritualem alteram confingere quisque pro libito poterit. Exemplo enim a belluis ducto, hominem ab anima corporea sentire pronunciabit; ab spirituali verò rationem, ac ejus appendices habere dicet; quod nescio, an docili mente omnes auscultabunt. Luculentius Balbus in 2. de Nat. deor. c. 11, et 12, animam brutorum sic expedit: „Omnem naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus... Bestiis autem sensum et motum, (natura) dedit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum; hoc homini amplius quod addidit rationem.„ Sed hæc hactenus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

THEOLOGIA NATURALIS.

Liceat cum Cordubensi Philosopho præfari. „Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, quum illam non ab hoc parte video, quæ publica est, sed in secretiora ejus intravi: quum disco, quæ universi natura sit, quis auctor, aut custos: quid sit Deus: totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat: faciat quotidie aliquid, an semel fecerit: pars mundi sit, an mundus: liceat illi hodieque decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare: an majestatis diminutio sit, & confessio erroris mutanda fecisse?... Quam utile existimas ista agnoscere, & rebus terminos ponere: quantum Deus possit, materiam ipse sibi formet, an data utatur: utrum idea materiæ prius superveniat, an materia ideæ: Deus quidquid vult, efficiat; an in multis rebus illum tractanda destituant, & a mágno artifice prava formentur, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, sæpè inobsequens arti est? Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere, nonnè transilire est mortalitatem suam, et in meliorem transcribi sortem?„ *Seneca in præf. ad QQ. Nat.*

CAPUT PRIMUM.

De Existentia Dei.

599 „Ens necessarium est id, quod *Deum* nuncupamus, Ens supremum principium, ac ratio sufficiens rerum omnium„ art. 140. Hæc est definitio nominis (Log. 56), quam ad præsentem tractationem usurpare placuit, eo quod jam art. citato præjacta sint fundamenta, quibus hæc notio dilucidè intelligi queat. Fuerunt tamen nonnulli, ac etiamnum extare non dubitamus, qui rem hac definitione significatam verbo tenus inficiari, ac aliis eamdem impietatem persuadere tentarunt. Dixi verbo tenus; nec enim umquam crediderim, aliquod esse in natura monstrum adeo efferatum, quin unquam auctorem suum cognoverit: semperque dixerit *in corde suo: non est Deus*. Seneca enim teste: *Mentiuntur, qui dicunt se non sentire*

Deum: nam & si tibi affirment inserdiù; noctu tamen, & soli dubitant. Epist. ad Nepot. Hoc Petronio evenisse nullus dubito, etiamsi impiè Lucretio occinat: *Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo fulmina quum caderent.* Sed quidquid de *atheis* sit, num eo dementiæ, ac perversitatis devenerint, ut omnem penitus divinitatis ideam ex animo depulerint; certum est, paucos admodum illos fuisse; ac eos, qui quondam athei dicti sunt, Clemente Alex. teste, hoc nomen meruisse, eo quod populares deos ab ethnicis confictos deriderent.

600 Propos. *Existentia Dei firmissimis demonstrationibus ostenditur.* Demonstrationes hujusmodi metaphysicæ, physicæ, aut morales existunt, prout diversa sunt *media* (Log. 157), quibus ratiocinatio conficitur: nimirum a principiis *metaphysicis*, *physicis*, & *moralibus*. Ceterum etiamsi *media* hujusmodi diversi sint ordinis, consequentiæ tamen deductæ non minoris firmitatis dicendæ sunt, ut jam Dissert. 4, Log. c. 2 innuimus. Omnes enim eam pariunt intellectui certitudinem, quam desiderare possis maximam, ut cit. loco ostendimus.

601 Dem. 1. Intimo sensu, et conscientia cognosco me existere, cogitare, vivere etc. (326): intimo etiam sensu, et conscientia percipio, hunc sensum, hanc conscientiam paucis ante annis incepisse; quin mei status mutationes ante hoc tempus recordari queam: ergo metaphysica evidentia certus sum, me aliquando non extitisse, ac proindè in memetipso rationem sufficientem meæ existentiæ non habere (120). In aliquo igitur a me distincto hæc ratio inveniri debet: enimverò, enumerata serie contingentium, in omnibus, et singulis hæc ratiocinatio æquè evidenter convincit, in nullo ex ipsis rationem ultimam hujus meæ existentiæ reperiri: ergo tandem ad Ens aliquod necessarium veniendum est, in quo hæc ratio sufficiens meæ existentiæ sita sit. Vide dicta ab art. 115, usque ad finem §. ne eadem repetamus.

602 Confirm. Eodem modo percipio, me existere, & cogitare, atque ab aliis extra me existentibus affici; quorum status mutationes, & contingentiam æquè ac meam cognosco, ac insufficientiam a semet existendi: enimverò si hæc omnia a se esse non potuerunt, ab alio, quod nec insufficiens, neque contingens ipsum sit, esse debuerunt. Nam si ens aliquod ultima ratio sufficiens sit existentiæ aliorum, vel illud contingens est, vel necessarium: si hoc alterum dixeris, illud dico esse Deum (599): quod si contingens sit, & ipsum in alio rationem sufficientem suæ existentiæ habeat, necesse est; ceteroqui contingens non esset (120): sed habens in alio rationem sufficientem, jam ipsum non est ultima ratio existentiæ alio-

aliorum, contra hac prius assumptum fuit: ergo in cumulo contingentium ratio sufficiens illorum existentiæ non invenitur.

603 Dices. Falsa est hæc consecutio: *quodlibet ens seriei habet ante se aliud ens*; ergo *& tota collectio habet ante se aliud*: ergo etiam falsa est altera: *quodlibet ens ab alio est*; ergo *& tota collectio ab alio erit*. R. *dist. ant.* falsa est hæc consecutio &c. si in illa serie comprehendatur Ens necessarium, *conc. ant.* in serie, non comprehenso Ente necessario, *neg. ant.* idem dicendum de altera consecutione in secundo enthymemate deducta. Nam si in utroque antecedente comprehendatur Ens necessarium, evidenter falsum est, ac pugnantia includens; tam enim falsum ac pugnans est, comprehenso in serie Ente necessario, aliud ante se habere, quam falsum, quodlibet ens seriei ab alio esse. Ens enim necessarium nec ante se ullum habet, nec ab alio est. Vide dicta art. 120. ubi alia argumenta huc spectantia soluta sunt.

604 Dem. 2. Ex physicis. Mundus hic adspectabilis suo genere perfectus est (247): at perfectio ex partium analogia, ordine (67), omniumque ad finem unum consensione (243) desumitur: ergo omnia entia creata ad unum finem conspirant. Porrò hujusmodi conspiratio constans, ac perpetuò conservata casu evenire non potest, ut & a perspicuitate & a sensu communi certissimum est: ergo a causa aliqua, hæc omnia moliente ac disponente, proveniat, oportet. Nam quis non videt „ æquabilitatem motus, conversionem cæli, solis, lunæ, siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem; quarum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita? Ut siquis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, quum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multò magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat, necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari „. *De Nat. Deor. lib. 2, c. 5.*

605 Confir. Ex visibili rerum omnium congerie nihil est mente humana præstantius: sed omnium sæculorum experimento comprobatum est, non modò hominem creandi aliquid ex nihilo rationem numquam invenisse, verum etiam novum ordinem, pulchritudinem, varietatem &c. vel in hoc tantum orbe ab humano genere habitato inducere haud potuisse, quæ antiquum, ac statutum ordinem abolerent perficerent, aut immutarent: est igitur aliqua

causa ac mens, humana superior, a qua hæc omnia & sint, et tali ordine fixo, atque immobili contineantur. „ Si enim est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cælestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine effici non possunt. Est igitur id quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum? Etenim si *Deus non est*, quid potest esse in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profectò Deus. „

„ An verò si domum magnam, pulchramque videris, non possis adduci, ut, etiamsi dominum non videas, muribus illam & mustellis ædificatam putes: tantum verò ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cælestium, tantam vim, & magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non *Dei immortalis* domicilium putes, nonnè planè desipere videare? „ Ibid. c. 6.

606 Dem. 3. ex moralibus. A generis humani exordio invaluit semper opinio existentiæ Dei: de quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est: esse igitur Deum confitendum est. Primam propositionem non solum historicis monumentis confirmatam habemus, verum etiam intimo conscientiæ testimonio in se quisque experitur, quasi ingenitam ipsi Dei prænotionem, ita ut quemque videamus in repentinis eventibus mente ad aliud ens supremum nec opinantem avocari. „ Itaque ex tot generibus nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. „ *Lib.* 1, *de Leg. c.* 8. Mirum autem est hujusmodi persuasionem majorem, ac majorem semper haberi, quo magis ad generis humani initium accedimus; ita ut religiosiores homines inveniamus, quo minus remota a primo parente generationes consideramus. Monumentis quippe antiquis, qui primus Deum esse negaverit, notatum invenimus: minimè autem quisnam primus inter atheos homines Deum existere docuerit.

607 Confirm. Idea justi & injusti, honesti ac turpis, vitii ac virtutis apud homines viguit semper, ac vigebit in posterum; citiusque humanum genus delebitur, quam lex illa quædam tamquam injusta, ac turpia fugienda vetans, quædam velut justa, & honesta præcipiens, ex hominum corde deleatur: ergo existit supremus aliquis legislator, a quo hujusmodi jura dimanent, sitque exemplar supremum, e cujus natura idea justi, ac injusti sumatur. Prob. cons. Si nulla extat in rebus prima causa, a qua jura proficiscantur, sed omnia casu exorta sunt; nulla differentia inter honestum ac turpe, justum ac injustum esse potest. A quo enim hæc diversitas oriretur? a materia, a motu, a configuratione? enimverò materia ad hæc omnia indifferens est: nulla igitur differentia, nisi ex alio ab omni re creata distincto, oriri potest inter actiones pravas, ac honestas. Quod si dicas, id a natura rerum proficisci: quæ demum, inquam, est ista natura? materia, configuratio, motus? nihil enim aliud, si Deum tollas, in natura restat: atqui ab hisce tribus idea nulla justi ac injusti profluere potest.

„ Nihil est profectò præstabilius, quam planè intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus. Id jam patebit, si hominum inter ipsos societatem, conjunctionemque perspexeris. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret & flecteret quocumque cœpisset; sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. *Tull. de leg. lib.* 1, *c.* 10... Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?... Sequitur igitur ad participandum alium cum alio, communicandumque inter omnes justos natura nos esse factos. „ *Tull. de leg. lib.* 1, *c.* 11, & 12.

ARGUMENTA CONTRA DEMONSTRATIONES EXPOSITAS.

608 Arg. 1. Medium demonstrationis debet esse necessarium; at nos assumimus contingentiam rerum pro medio demonstrationis existentiæ Dei: ergo nulla est talis demonstratio. R. *dist. maj.* debet esse necessarium necessitate connexionis, *conc. maj.* necessitate existentiæ, *neg. maj.* Existentia contingentium necessariò supponit Entis necessarii, sive causæ primæ existentiam; hocque sufficit, ut demonstratio instituta numeris omnibus absoluta sit.

609 Inst. 1. Existentia entis contingentis non est necessariò connexa cum Entis necessarii existentia: esset enim tum & ipsum necessarium: ergo potest existere sine Ente necessario. R. *dist. ant.* non est necessariò connexa necessitate absoluta, *conc. ant.* necessitate hypothetica, *neg. ant.*

ant. Hujusmodi connexio tantum habetur ex suppositione, qua contingens existere ponatur.

610 Inst. 2. Ens necessarium infinitum, contingens autem finitum est: sed inter finitum, & infinitum nulla intervenit proportio, ex qua medium demonstrationis erui possit: ergo. Resp. *dist. min.* nulla est proportio essentiarum, sivè, ut ajunt, *entitativa*, *conc.* nulla est proportio *dependentiæ*, *neg. min.* Inst. 3. Opus finitum non probat auctorem infinitum: omne autem contingens opus finitum est: ergo ab eo sumi non potest demonstratio entis infiniti. Resp. *dist. maj.* opus finitum *quoad modum* producendi non probat auctorem infinitum, *conc. maj.* quoad essentiam finitam, modo tamen exigente potentiam infinitam, *neg. maj.* Creandi virtus exigit potentiam infinitam in agente (126), quod adeò verum est, ut plerique philosophi antiqui, hac ratione ducti negarint, materiam a Deo creatam esse, illamque æternam, ac necessariam asseruerint. Nec enim comprehendere poterant, quomodo res e nihilo extrahi possent ad existendum.

611 Inst. Ens simplex aut omninò cognoscitur, aut nullo modo, quum nullas habet partes: sed Deus simplicissimus est: ergo aut omninò comprehendi, aut nullo modo cognosci potest. Resp. *dist. maj.* Ens simplex aut omninò cognoscitur *objectivè*, aut nullo modo, *conc. maj.* ex parte nostri intellectus, sivè, ut ajunt, *subjectivè*, *neg. maj. Dist.* etiam annexam *probationem:* nullas habet partes cogitatione distinctas, *neg. maj.* re distinctas, *conc.* Nullum ens simplicius Deo est in essentia, ac iudependenter a nostro cogitandi modo: insimul autem nullum compositum magis, si modum nostrum concipiendi consulamus. Nam ipsamet perfectionis divinæ infinitudo, præbet intellectui fundamentum plures perfectiones in eo distinguendi.

612 Arg. 2. Consensio illa universalis, qua demonstratio existentiæ Dei ex moralibus desumpta est, purum putum est præjudicium educationis, astutia politicorum, ut populos in officio contineant, ac timor quidam imbecillis mentis, e quo solum *spiritus fortes* liberantur: ergo illa demonstratio nullius est roboris. Resp. *neg. ant.* quoad omnes partes. Nam 1. undenam illa præjudicia educationis in omnibus orbis nationibus invaluerunt, quæ locis dissitæ, nullo inter se commercio copulatæ, aliàs ritibus, ac moribus dissentientes, barbarie etiam efferatæ, nulla, aut contraria educationis principia hauserunt. Etiamne inter nationes barbaras sui juris, ac nulli subjectas hæc politicorum astutia ad numen aliquod colendum invaluit? 2. Apud Peruvianos, ubi nulla *arduæ fulmina cælo cadunt*, Numinis cultus vigebat jam ab antiquis ductus temporibus: apud hos igitur, *deos non fecit timor*. Quod si dicas, antequam illuc transmigrassent, terrore perculsos, dum primas sedes incolerent fecisse sibi deos: cur igitur post tot sæcula generationes, quæ terriculamentis hujusmodi non percellebantur, hæc præjudicia non deposuerunt? Et deponere quidem debebant; nam libertatis, ac independentiæ amor homini innatus, excutere perincommodum hocce jugum, suadere vehementer debebat.

613 Inst. Barbaræ nationes extant, quæ omni notitia numinis, & cultu destituuntur: plures etiam athei in cultioribus orbis partibus extiterunt, ac etiamnum existunt: ergo ille consensus universalis pro arbitrio confingitur. Resp. eodem jure, quo asseritur, illas nationes extare, possum negare, verum esse, quod asseritur. Nam quæ primis viatorum narrationibus velut atheæ traducebantur nationes, postea inventæ sunt numinis notitiam habuisse, ut Californii, Taitenses, aliæque apud australis Oceani insulas degentes. De Mandarinis Sinensibus, Japonibus, aliisque, quos hodierni athei ad suam scholam transferre vellent, pronunciamus eo veritatis criterio affirmari atheismo imbutos, quo ipsi litteratos, nobiles, politicos nostrates in eadem secta versari, intrepidè asseverarent.

614 Insistes. Magna pars orbis nostri ab *polytheistis* incolitur, qui plures deos venerantur: ergo aut demonstratio præjacta nihil evincit, aut polytheismum verum esse cultum fatendum est. Resp. *dist. ant.* plures deos, inter quos unum semper agnoscunt, penes quem *hominum divumque æterna potestas* sita sit, *conc. ant.* plures omninò æquales, *neg. ant.* Superficialis notio mythologiæ antiquorum sufficit ad ostendendam universalem consensionem omnium gentium in supremo aliquo numine destinando, quod minoribus diis præsideret. Et hoc quidem invictissimè probat, & divinitatem, & unitatem Dei animis hominum quasi insculptam, a falsis deindè ac depravatis notionibus obnubilatam, corruptamque penè fuisse. „ Ut porrò firmissimum hoc afferri videtur, cur *Deum* esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit *Dei* opinio. Multi de *Deo* prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est. „ *Tusc. QQ. lib.* 1, *c.* 13.

615 Argum. 3. Notiones justi, ac injusti, honesti, ac turpis &c. omninò variæ, sæpè etiam pugnantes apud orbis

bis incolas animadvertuntur: nam barbari nonnulli parentes, ac propinquos senectute confectos occidunt, eosdem pariter, ac inimicos bello captos devorant, nudi incedunt sine ullo pudoris signo &c. ergo hæc probatio ab idea justi petita nullius est roboris. Resp *dist. ant.* notiones primitivæ variæ, ac pugnantes sunt, *neg. ant.* notiones derivativæ, ac secundariæ, *con. ant.* In applicatione hujus ideæ generalis: *turpia fugienda, honesta sectanda*, idem evenit ac in notione altera modò exposita: *numen est colendum*; e cujus depravatione, ac falsa applicatione polytheismus ortum traxit. In morali mundo, velut in physico, monstra quædam apparent, a quibus si argumentum duxeris, hominem aut bipedem, aut uno capite, vel duobus brachiis constare, naturæ legem esse negaveris. Jam „ ipsum bonum non est in opinionibus, sed in natura: nam ni ita esset, beati quoque opinione essent; quo quid dici potest stultius? Quare quum bonum & malum natura judicetur, & ea sint principia naturæ; certè honesta quoque, et turpia simili ratione dijudicanda, et ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque dissensio; & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus .... quod est longè aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero: animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab his, quos modò enumeravi, qui teneros, & rudes quum acceperint, inficiunt, & flectunt, ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas; malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupta, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis „ *Cic. lib.* 1, *de Leg. cap.* 17.

CAPUT SECUNDUM.

De Attributis Dei.

616 A notione Entis necessarii reliqua Dei attributa deduximus, *Diss.* 1, *cap.* 4, §. *ult.* unde non immeritò essentiam Dei constituere possumus in necessitate existendi, sivè in notione *Entis a se*, quod in scholis theologicis *aseitatem* solent appellare. Nam in ea præsertim notione rei collocanda est, quæ velut fons sit, & origo ceterarum proprietatum: quum verò ex idea Entis a se, sivè necessarii, attributa omnia Dei profluant; ab hac potius characteristica nota, quam ab aliis proprietatibus Dei essentia designanda videtur. Deus igitur est, *Ens a se*, sivè in se, & a se habens necessitatem existendi.

617

617 Attributa (39) divina sunt illæ proprietates, quæ ex ipsa essentia divina profluere concipiuntur, sivè ex notione Entis necessarii: quæ quidem vel *positiva* sunt, vel *negativa*. Positiva illa dicimus, quæ vocabulis affirmativis nuncupamus, ut *sapientia*, *providentia* &c. negativa sunt, quæ licet rem positivam denotent, patrii sermonis egestas vocibus negationem includentibus exponere compellit: tales sunt notiones *immensitatis*, *infinitatis* &c. Distinguunt etiam attributa *absoluta*, & *relativa*: primi generis sunt, quæ nullum ad res alias respectum habent; secus relativa: nam *infinitas* sine ulla relatione ad creaturas concipitur: *misericordia* ad ipsas refertur. Demum attributa *efficientia* ad operationes respectum habent, ut *omnipotentia*: *inefficientia* ad solam perfectionem naturæ divinæ attinere concipiuntur, ut *simplicitas*.

618 Schol. Jam ubi de Ente necessario, & contingente disseruimus, demonstratum manet, in Ente necessario perfectiones omnes includi, quæ nulla imperfectionis nota insignes sunt, quæque a theologis *simpliciter simplices* nuncupantur. Unde hic tantum brevi deductione attributa divina recensere sufficiet, quæ peculiari tractatione non indigent: cetera ad singularia capita reservantes. Quare sit

619 Prop. 1. *Deus æternus est*. Nam Ens necessariò existens, semper existit; Deus autem Ens necessarium est (115): ergo semper existit. Quod verò semper existit, æternum est: Deus igitur est æternus. Porrò æternitatis divinæ notio a Boetio (De Cons. phil. lib. 5.) est *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*. Hinc in Deo nihil præteritum, nihil futurum concipere licet: omnia simul, & semel sunt, fuerunt, & erunt. Æternitatis ideam nisi a præconceptis temporis ideis formare certè quidem non possumus: si enim hujusmodi notiones clarè, ac distinctè perciperemus, mortalitatem transcendisse, ac in æternam illam claritatem ingressos esse, oportebat.

620 Prob. 2. *Deus infinitus est*. Si enim ens finitum esset, & contingenter existeret: Deus autem necessariò existit (616): est igitur infinitus. Et quidem omni genere perfectionis infinitus sit, oportet: nam si aliquam perfectionem, aut attributum limitatum haberet, cur non omnia? si autem aliquod infinitum habet, quare reliqua infinita non sint? Deindè si essentia sua infinitus non est, hanc limitationem aut aliundè, aut a se habuit. Non aliundè, quia æternus (præc.) nullum ante se habere potest: neque verò a se limitari potest, tum quia omnis natura in perfectionem tendit; tum etiam quia si limites a sua essentia haberet, neque necessarius esset, nec æternus, contra id, quod jam positum est.

621 Corol. Est igitur Deus perfectissimus; sivè id,

quo

quo melius aliquid excogitari non potest: quippè Ens infinitum omni genere perfectionis infinitæ in gradu superlativo illas continet, ita ut aliud perfectius illo excogitari nequeat. Quod si Ens perfectissimum est Deus, est etiam optimus, ac summè bonus, sivè bonitas ipsa, a qua omnis creata perfectio, ac bonitas ortum ducit. Quo verò sensu omnes perfectiones creatæ in Deo contineantur, dictum est art. 128.

622 Prop. 3. *Deus simplicissimus est*, atque *omnis compositionis expers*. Nam si simplex non esset, aliqua *realitas* ei adveniret, quam non habebat; adeòque infinitus non esset, nec æternus, contra id, quod duobus præc. prop. statutum manet. Deindè partes in compositionem venientes ab alia causa debent conjungi; nemo enim sui ipsius causa esse potest: sed quod a se est, nullam habet causam, ut ex terminis liquet: ergo compositum esse non potest. Demum simplex prius est, & concipi debet composito (85): si ergo Deus partibus componeretur, illæ prius esse, et concipi ante Deum deberent. Quælibetne pars Deus erat ante compositionem? reliquæ igitur supervenientes nihil addunt, adeòque inutiles sunt, nec partes illius, quod jam antea totum erat. Quod si ex conglobatione partium oriri dicas; possetne ex defectibus divinitatis divinitas oriri? ex insufficientiis sufficientia infinita? ex imperfectionibus Ens infinitè perfectum?

623 Prop. 4. *Deus est immutabilis*. Mutari enim non potest, quod infinitum, ac simplex est; quum mutatio sit novi cujusdam status acquisitio: at quod omnem perfectionem gradu perfectissimo continet, nullam perfectionem acquirere potest; aliter non esset nec infinitum, nec perfectissimum: neque decessio alicujus perfectionis ei contingere potest; tum enim contingens esset, quippè contingenter suas perfectiones haberet: est ergo immutabilis.

624 Corol. Deus incorporeus, ac omnis materialis concretionis expers est. Materia namque & perfici, & mutari, & componi potest: Deus autem perfectissimus, & simplex, & immutabilis ex hactenus statutis ostensus est: procul ergo abest ab omni concretione materiali & corporea. „ Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & movens; ipsaque prædita motu sempiterno „. (*Cic. de Consol.*) Hinc patet, quam absurda fuerit aliquorum philosophorum opinio, quibus *Antropomorphitæ* hæretici occinebant, Deum figura humana præditum asserentium. „ Quis tam cæcus, ajebat Cotta, Vellejum epicureum confutans, in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret, species istas hominum collatas in deos aut

aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitæ pravitate converterent: aut superstitione, ut essent simulacra, quæ venerantes, deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem poetæ, pictores, opifices: erat enim non facile, agentes aliquid, & molientes deos in aliarum formarum imitatione servare. Accessit autem ista opinio fortassè, quod homini homine nihil pulchrius videatur. „ *De Natura Deor. lib.* 1, *cap.* 27.

625 Prop. 5. *Deus unus est*. Si enim plures essent dii, aut numero, aut specie differrent: attributis igitur vel specie distinctis insignes essent; adeòque infinitus quilibet esse non posset, quum perfectionibus careret, quæ in aliis invenirentur; ac proindè contra id, quod ponitur, Deus non esset. Deindè nulla ratio sufficiens cur duo, tres &c. potius quam infiniti existerent, assignari posset: unde enim hic numerus definiretur? a primo ex his? reliqui igitur ab alio essent, ac proindè creatura, non Deus. Ab ipsorum natura? at natura infinita limitata esse non potest. Quod si infinitos deos esse ponas, a quo demum universitas rerum condita est? ab omnibus? unus ergo tantæ molitioni impar erat? ab uno? quid ergo turba cetera agit? Lege Lactant. div. Inst. lib. 1, cap. 3, ubi fusè, ac eloquenter hoc argumentum versat: et cap. 5, testimoniis poetarum, ac philosophorum, unitatem Dei confirmat.

626 Corol. Ridiculus igitur est polytheorum cultus, plures deos inducentium, ut vel ethnici melius sentientes putaverunt. Mitto Lucianum, qui more suo deos illos mordicante sale perfricat: habes in Balbo, sive Tullio Balbi ore loquente, testimonium luculentius, ac philosopho dignius. „ Multæ autem aliæ naturæ deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa, et a Græciæ sapientibus, et a majoribus nostris constitutæ, nominatæque sunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant. Ut quum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum . . . Videtisne igitur, ut a physicis rebus benè, atque utiliter inventis, tracta ratio sit ad commentitios, & fictos deos? quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, & superstitiones penè aniles . . . . Hæc & dicuntur, & creduntur stultissimè, & plena sunt futilitatis, summæque levitatis. „ *De Nat. D. lib.* 2, *c.* 23, & 28. Consule etiam Senecam *QQ. N. lib.* 1, *cap.* 45.

627 Prop. 6. *Deus est immensus, sivè ubique præsens*. Nullis enim limitibus continetur (108); adeòque præsens ubi-

ubique sit, oportet: neque ulla ratio sufficiens, cur hoc potius, quam alio in loco contineatur, assignari potest in Ente, quod rationem sufficientem in se continet, cur et res sint, et aliquem locum obtineant. „Est verò, ait Petrus Damianus, ut ita dixerim, ipse sibi locus illocalis, quia sic in se continet omnia loca, ut non moveatur ipse per loca, nec per loca tendatur. Sicut enim in se sine transitu continet omnia tempora, ita in se sine spatiis continet omnia loca (*epist.* 36). „ Qua Petri Damiani similitudine retenta, insistit *Alegrius*, sicut æternitas, nec tempus est, nec aliquid temporis, et tamen per illam Deus verè dicitur in omni tempore simul, et semel existere, quamvis ipse non existat in tempore; ita immensitas nec locus est, nec aliquid loci, et tamen per illam Deus, quamvis non sit in loco, simul, et semel adest omni loco. Atque hoc modo intelligendi sunt nonnulli ex PP. et cath. DD. qui Deum nusquam, seu nullo in loco esse dixerunt. Nusquam enim est Deus, ut verè Chrysost. (*in Epist. ad Gal. hom.* 5.), et tamen ubique est. Quippè non est in loco, neque locus aliquis est, in quo sit. Et verò in omnibus ipsum esse dicere, minus est quam pro illius infinitate, ut dicitur in lib. de divinis nominibus (*c.* 3.), quæ omnia et amplectitur, et excedit. Atque adeò magis propriè dicitur omnia esse in ipso, quam ipsum esse in omnibus. „ *Inst. Theol. tom.* 2, *lib.* 1, *Prop.* 15. Relege dicta *Dissert.* 2, *cap.* 6, quæ etiam ab his confirmantur.

628 Prop. 7. *Deus est omnipotens, ac prima rerum omnium causa, cujus supremo dominio omnia plenissimè subjecta sunt.* Est enim ratio sufficiens existentiæ rerum omnium (140), omniaque etiam merè possibilia, quamvis extitura non sint, si umquam ad actum existendi perventura fuissent, ab Ente supremo sufficientiam existendi haberent: hæc autem est recepta apud omnes tam sapientes, quam vulgares homines omnipotentiæ notio: Deus igitur omnipotens est. Accedit omnium nationum consensus ad Deum omnia referentium, quæ in rerum natura eveniunt, quod longa inductione tum poetarum ab Homero ac Hesiodo, tum philosophorum, qui athei, aut materialistæ non fuerunt, probari posset (Vide Petav. Dog. lib. 5, cap. 5.). Hinc confidenter ait Augustinus: „ Da mihi non christianum, non judæum, sed paganum idolorum cultorem, qui Deum esse omnipotentem non dicat. „ *Serm.* 139. *de Tempore*. Quod si Deus est suprema causa rerum omnium, e cujus virtute fluxerunt, supremum dominium in ipsas eidem competit, ut luce clarius est.

629 Corol. Omnipotentia Dei extendi ad impossibilia non potest. Nam Deus est infinitè perfectus (621): ergo operari debet modo etiam perfectissimo: potestas autem tem absurda patrandi esset imperfectissima, ac modo imperfectissimo operaretur; quippè viribus oppositis (44) ac se destruentibus ageret: ab ipsa ergo divinitatis notione fluit aliqua esse, quæ fieri non possint; atque Omnipotentem dedecedere hujusmodi absurdam potentiam, quæ ipsum imperfectum argueret.

630 Prop. 8. *Inter attributa divina nulla datur distinctio, quæ independens sit a nostro cogitandi modo.* Prob. Deus simplicissimus natura sua est: sed si attributis realiter distinctis ejus essentia constaret, ens compositum existeret, tot partibus, quot attributis coalescens: omnes igitur illius perfectiones res una, eademque sunt. Deinde perfectius concipitur ens attributis indistinctis præditum, quam eisdem distinctis, ac separatis veluti coagmentatum: a Deus perfectissimus est (621): ergo concipi debet attributis minimè distinctis coalescens.

631 Prop. 9. *In Deo licet attributa modo nostro cogitandi distincta concipere:* nimirum; *attributa divina distinctione rationis* (72) *distinguuntur.* Prob. Deum veluti causam primam concipimus, demonstramus, credimus, quin de ejusdem misericordia, providentia &c. cogitemus: ergo mente nostra hæc attributa separamus; quæ quidem notio est distinctionis intellectualis (72): *ratione* igitur attributa divina distinguuntur. Et quidem quo fœcundior est natura divina, eo magis ad plura refertur, diversosque respectus habet ad plura objecta, e quibus hujusmodi distinctio intellectualis originem ducit. Quare *æternitas* Dei est essentia divina, prout semper existens a nobis concipitur: *infinitas*, quatenus omnes perfectiones continet: *immensitas*, prout omnia in se complectitur: *sapientia*, quatenus omnia cognoscens sapientissimè disponit &c.

632 Schol. Alia attributa *absoluta*, ac *relativa* a theologis proponuntur, diversa ab eis, quæ art. 617. exposuimus. Nimirum absoluta illa dicunt, quæ naturæ divinæ in tribus adorandæ Trinitatis Personis communia sunt, ita ut quælibet persona naturam divinam communicans & illa communicet: relativa verò uniuscujusque personæ peculiaria sunt, nec ad alias personas transcendunt. Sic Pater & æternitatem, & potentiam, immensitatem &c. Filio communicat, *Paternitatem* non communicat. Pater & Filius cum natura divina omnes perfectiones absolutas communicant Spiritui Sancto; *Paternitatem*, ac *Filiationem*, veluti perfectiones relativas, ac peculiares, quisque sibi retinet, nec cum natura transfundit. Sed hæc ad theologos.

CAPUT TERTIUM.

De Intellectu Divino.

633 Prop. 1. *Deus intellectu perfectissimo, & ad omnia, quæ cognosci possunt, penitissimè introspicienda se extendi, præditus est.* Nam quum facultas intelligendi perfectio sit, Deus, qui perfectissimus est, a quo veluti fonte omnis intelligendi vis in creatis mentibus derivatur; intellectu perfectissimo, ac omnia comprehendente præditus sit, oportet. Nec enim cæco more omnia condidit, ac nullo consilio, atque providentia, quasi talos jaciens, universitatem rerum effudit: sed omnia *numero*, *pondere* & *mensura disposuit*, ut ex inspectione hujus universitatis colligere licet. Et quidem si mens nostra, limitata quum sit, tot objecta comprehendere valet; pluraque non præsentia solum, sed præterita, ac futura cognoscit; mentem illam infinitam vi perfectissima intelligendi destitui, quis umquam nisi per summam insaniam pronunciabit?

634 Corol. 1. Deus igitur se, et omnes suas perfectiones, simplicissimo, ac uno intuitu cognoscit; quin umquam possit ab hac visione, seu contemplatione cessare. Deum velut speculum limpidissimum nobis repræsentare possumus, quod vi intelligendi præditum suam naturam cognosceret, ac se in se ipse videret. Quod deinceps exemplum ad alia modò dicenda usurpare etiam licet, ut ideis materialibus aliquam notionem intelligentiæ Divinæ formare possimus. Nec verò hanc facultatem intelligendi velut potentiam in Deo licet concipere; est enim *purus actus*, ut ajunt scholæ, a sua essentia determinatus, ut omnia semper intueatur, quin ipsi aliquid de novo adveniat, quod præsens semper non fuerit.

635 Corol. 2. Deus omnes essentias rerum, ac possibilia omnia clarissimo intuitu cognoscit. Duplici modo hunc intuitum divinum considerare possumus; vel prout essentiæ, ac possibilia omnia in divina mente repræsentantur; vel quatenus ea cernit in intimis ipsorum attributis, seu in se ipsis. Utroque autem modo illa Deum conspicere manifestum est, si ad modum nostrum cognoscendi quamvis imperfectum attendamus. Nam et intelligere possum rem præsentem illam contuens, et ideam in me excitatam ab ipsa recognoscens. Deus igitur, qui perfectissimum exemplar est, ac idea *archetypa* omnium essentiarum, ac possibilium, et in se ipse ea contueri, et in intima illa essentia, a qua habent esse, quæ sunt: illa enim idea archetypa est ipsamet Dei substantia, ac natura ab ipso indistincta: attributa autem rerum creatarum ab earumdem essentia non differunt.

636 Corol. 3. Futura etiam omnia, præsentia, ac præterita intellectus divinus perfectissimè cognoscit; & quidem eo ordine, successione, dependentia, ut erunt, sunt, & fuerunt. Fac, mundum universum crystallo limpidissima, seu speculo contineri, quæ crystallus vim habeat & cognoscendi, quæ in ipso continentur, & insimul ea repræsentandi. Nonnè in se mens illa crystallina ea omnia, quæ in mundo geruntur, ac res etiam existentes in se ipsis contueretur? Habes igitur rude aliquod exemplum intellectus divini, objecta omnia transacta, existentia, ac deinceps extitura intelligentis. Quod & vocabulum ipsum indicare videtur: nam intelligere est, quasi intus legere; quo etiam lectionis exemplo illustrari potest hujusmodi intelligentiæ divinæ rerum omnium & repræsentatio, et perceptio. Qui enim in libro, aut in tabula (pictura enim species scripturæ est) (Log. 48) rerum omnium ab exordio mundi gestarum, ac in posterum gerendarum, singulari, quo accidunt, ordine expressam seriem videret: tum res illas in tabula, quum etiam in mente sua repræsentatas intueretur, ac intus in animo legeret.

637 Schol. Ex his notionibus ideæ illæ platonicorum ortum habuerunt, in quibus exponendis variant auctores, eo quod adeò confusè expositæ sint ab illo philosopho, ut de iisdem pugnantia scripsisse videatur. Quod quidem mihi argumentum non leve est, Platonem ipsum rem adeò confusè percepisse, ut ideas suas melius explicare nequiverit. Nec mirum id illi contigisse, quum nos puriore luce perfusi, hujusmodi arcana caligine sacra omninò septa videamus, quæ vix accessum permittit, ut notionibus a nostro modo concipiendi desumptis percipiamus.

638 Corol. 4. Intellectus divinus omnia etiam, quæ sub aliqua conditione existere potuissent, certissimè cognoscit (511). Nam præterquam quod in Scriptura plura hujusmodi *futura conditionata* prædicta esse legamus (ibid.); inficiari non possumus, esse *cognoscibilia*, ac perfectius esse illa cognoscere, quam ignorare: at objectum intellectus est omne *cognoscibile*, ac Ens perfectissimum, et infinitum (620, 621) omne, quod perfectius est, debet continere: ergo Deus futura conditionata certissimè cognoscit. Præterea mentem humanam plura *conditionata* futura cognoscere, et experimento in nobis capto, et longa etiam inductione potest comprobari: quum ergo perfectiones creatæ eminentiore, ac illimitato modo in Deo contineantur, ad futura etiam sub aliqua conditione extitura extendatur, oportet.

639 Corol. 5. Divinus intellectus infinitus, immensus, il-

illimitatus, atque ab omni mente creata incomprehensibilis est. Equidem, etsi omnia Dei attributa, ac perfectiones, infinita esse hactenus ostensa non fuissent ex præcedentibus corollariis, intellectus divinus infinitus, ac immensus, vel a suo objecto demonstraretur. Comprehendit enim omnia possibilia, præsentia, ac futura, non solum absoluta, verum quæ conditione aliqua posita existere possent: quis autem et possibilia, et futura, et conditionata infinita esse numero negare audebit? ergo vel ex hoc tantum capite infinitudo divinæ mentis satis demonstratur. Quod autem ab humana, ac etiam creata qualibet vel sublimissima intelligentia comprehendi non possit, luculentius est, quam demonstratione indigeat. Si enim ex objecti infinitudine intellectus divinus immensus ostenditur; mens, quæ hunc infinitum intellectum comprehendat, etiam immensa sit, oportet. Comprehensio enim non simplicem objecti perceptionem denotat, sed omnium notarum, quæ in ipso continentur, claram, ac distinctam ideam indigitat. Hinc mens, quæ Deum comprehenderet, attributorum divinorum intuitivam cognitionem, ac rerum omnium possibilium distinctam notionem habeat, necesse est; quod quam absurdum sit, nemo non videt.

640 Prop. 2. *Deo inest ratio perfectissima*. Demonstratur. Ratio est facultas veritates universales, earumque catenationem ac dependentias introspiciendi (393): hæc autem facultas in divino intellectu perfectissima est; quod sic ostendo. Nullus artifex opus suum exequi potest, nisi in mente exemplar, ac omnium partium nexum, sivè ut ita dicam, anatomen habeat, in quo singula prout invicem connectuntur, ac unum constituunt, intueatur: enimverò rerum omnium productarum mirabilis est ordo, ac dependentia; fluuntque catenatione quadam, ac dependentia, ita ut consequentia antecedentibus & connexa sint, et mirificè respondeant: in mente igitur illa disponente hoc eodem ordine, ac nexu mirabili existant, oportet. Nam „ hæc omnis descriptio siderum, atque hic tantus cæli ornatus, ex corporibus huc illuc casu et temerè concursantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? Aut verò alia, quæ (*mihi videtur legendum* aliqua) natura mentis, et rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modò ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt? „ *De Nat. Deor. lib.* 2, *cap.* 44.

641 Corol. Ratiocinatio propriè dicta, qualis a mente nostra efficitur, Deo convenire non potest: est enim descensus a veritate cognita ad aliam non cognitam deducendam; quod in Deo imperfectionem argueret. Eminentiore autem modo hanc in divino intellectu concipimus, quatenus nexus hic veritatum, quem nos labore, et conatu mentis, ab una in aliam veritatem progrediendo, deducimus, uno intuitu divinæ menti repræsentatur. Quod ad primam, et secundam intellectus operationem attinet, nullus dubitare potest in divino intellectu perfectissimè reperiri. Nam et simplicissimo intuitu omnia limpidissimè, clarè, ac distinctè percipit; et connexionem aut incohærentiam attributorum distinguit, quod perfectissimum judicium indigitat.

642 Prop. 3. *Deus gaudet scientia rerum omnium notionibus locupletissima, eo eminentiæ gradu, quod sine ullo imperfectione haberi potest.* Et quidem scientiæ omnes in mente creata imperfectæ existunt, laboriosè, ac progrediente quodam gradu inventæ: in mente verò divina simplicissimus quidam intuitus est omnium veritatum, nulla deductione, aut progressu ab una in aliam anxia quadam inquisitione inveniendam; sed omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, veluti quum nos lucem intuemur nullo labore, aut conatu, sed simplici oculorum aperitione, claritate perfundimur.

643 Schol. Pro re nata, ubi de libertate egimus, triplicis *scientiæ*, quam in Deo distinguunt theologi, notionem dedimus, ibique argumentum, quod ab humana libertate contra Dei præscientiam objicitur, solutum manet. Quæstiones autem, quas hic agitare solent metaphysici quidam, theologos magis spectant, quam philosophos; quibus consultius est, ne ultra crepidam limites suos extendant.

CAPUT QUARTUM.

De Voluntate Dei.

644 Prop. 1. *Deus pollet voluntate, & quidem perfectissima.* Prob. Plura sunt possibilia, quam quæ actu existunt, aut extitura sint: ergo eorumdem existentia ab aliquo debet determinari: sed omnis determinatio est effectus voluntatis: ergo in Deo, qui rerum existentiam statuit, voluntas sit, necesse est. Deinde Deus perfectissimo intellectu, ac ratione gaudet (633, 640): ergo omnem bonitatem cognoscit penitissimè. Enimverò bonum est objectum voluntatis, frustraque cognitio bonitatis inesset intellectui, si illam prosequi nequiret: ergo eo modo, quo Deo inest perfectissima cognitio, & voluntas adsit, oportet. Demum Ens perfectissimum omnem perfectionem includit: Deus autem & perfectissimus est, & facultas bonum prosequendi est procul dubio perfectio; inest igitur Deo.

illimitatus, atque ab omni mente creata incomprehensibilis est. Equidem, etsi omnia Dei attributa, ac perfectiones, infinita esse hactenus ostensa non fuissent ex præcedentibus corollariis, intellectus divinus infinitus, ac immensus, vel a suo objecto demonstraretur. Comprehendit enim omnia possibilia, præsentia, ac futura, non solum absoluta, verum quæ conditione aliqua posita existere possent: quis autem et possibilia, et futura, et conditionata infinita esse numero negare audebit? ergo vel ex hoc tantum capite infinitudo divinæ mentis satis demonstratur. Quod autem ab humana, ac etiam creata qualibet vel sublimissima intelligentia comprehendi non possit, luculentius est, quam demonstratione indigeat. Si enim ex objecti infinitudine intellectus divinus immensus ostenditur; mens, quæ hunc infinitum intellectum comprehendat, etiam immensa sit, oportet. Comprehensio enim non simplicem objecti perceptionem denotat, sed omnium notarum, quæ in ipso continentur, claram, ac distinctam ideam indigitat. Hinc mens, quæ Deum comprehenderet, attributorum divinorum intuitivam cognitionem, ac rerum omnium possibilium distinctam notionem habeat, necesse est; quod quam absurdum sit, nemo non videt.

640 Prop. 2. *Deo inest ratio perfectissima*. Demonstratur. Ratio est facultas veritates universales, earumque catenationem ac dependentias introspiciendi (393): hæc autem facultas in divino intellectu perfectissima est; quod sic ostendo. Nullus artifex opus suum exequi potest, nisi in mente exemplar, ac omnium partium nexum, sivè ut ita dicam, anatomen habeat, in quo singula prout invicem connectuntur, ac unum constituunt, intueatur: enimverò rerum omnium productarum mirabilis est ordo, ac dependentia; fluuntque catenatione quadam, ac dependentia, ita ut consequentia antecedentibus & connexa sint, et mirificè respondeant: in mente igitur illa disponente hoc eodem ordine, ac nexu mirabili existant, oportet. Nam „ hæc omnis descriptio siderum, atque hic tantus cæli ornatus, ex corporibus huc illuc casu et temerè concursantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? Aut verò alia, quæ (*mihi videtur legendum* aliqua) natura mentis, et rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modò ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt? „ *De Nat. Deor. lib.* 2, *cap.* 44.

641 Corol. Ratiocinatio propriè dicta, qualis a mente nostra efficitur, Deo convenire non potest: est enim descensus a veritate cognita ad aliam non cognitam deducendam; quod in Deo imperfectionem argueret. Eminentiore autem modo hanc in divino intellectu concipimus, quatenus nexus hic veritatum, quem nos labore, et conatu mentis, ab una in aliam veritatem progrediendo, deducimus, uno intuitu divinæ menti repræsentatur. Quod ad primam, et secundam intellectus operationem attinet, nullus dubitare potest in divino intellectu perfectissimè reperiri. Nam et simplicissimo intuitu omnia limpidissimè, clarè, ac distinctè percipit; et connexionem aut incohærentiam attributorum distinguit, quod perfectissimum judicium indigitat.

642 Prop. 3. *Deus gaudet scientia rerum omnium notionibus locupletissima, eo eminentiæ gradu, quod sine ullo imperfectione haberi potest.* Et quidem scientiæ omnes in mente creata imperfectæ existunt, laboriosè, ac progrediente quodam gradu inventæ: in mente verò divina simplicissimus quidam intuitus est omnium veritatum, nulla deductione, aut progressu ab una in aliam anxia quadam inquisitione inveniendam; sed omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, veluti quum nos lucem intuemur nullo labore, aut conatu, sed simplici oculorum aperitione, claritate perfundimur.

643 Schol. Pro re nata, ubi de libertate egimus, triplicis *scientiæ*, quam in Deo distinguunt theologi, notionem dedimus, ibique argumentum, quod ab humana libertate contra Dei præscientiam objicitur, solutum manet. Quæstiones autem, quas hic agitare solent metaphysici quidam, theologos magis spectant, quam philosophos; quibus consultius est, ne ultra crepidam limites suos extendant.

CAPUT QUARTUM.

De Voluntate Dei.

644 Prop. 1. *Deus pollet voluntate, & quidem perfectissima.* Prob. Plura sunt possibilia, quam quæ actu existunt, aut extitura sint: ergo eorumdem existentia ab aliquo debet determinari: sed omnis determinatio est effectus voluntatis: ergo in Deo, qui rerum existentiam statuit, voluntas sit, necesse est. Deinde Deus perfectissimo intellectu, ac ratione gaudet (633, 640): ergo omnem bonitatem cognoscit penitissimè. Enimverò bonum est objectum voluntatis, frustraque cognitio bonitatis inesset intellectui, si illam prosequi nequiret: ergo eo modo, quo Deo inest perfectissima cognitio, & voluntas adsit, oportet. Demum Ens perfectissimum omnem perfectionem includit: Deus autem & perfectissimus est, & facultas bonum prosequendi est procul dubio perfectio; inest igitur Deo.

645 Prop. 2. *Voluntas Dei liberrima est.* Prob. Libertas perfectio est in suo conceptu nullam imperfectionem involvens. Deus autem infinitè perfectus omnem puram perfectionem includere in se debet: ergo & libertatem. Deindè nulla bonitas creata illimitata est: ergo non potest Deum necessariò flectere ad se prosequendum: flecteret autem, si Deus liber non esset; nam ea, quæ producit, necessariò produceret: est igitur Deus perfectissimè liber. Demum si Deus liber non est, nihil est contingens; nam ratio sufficiens contingentium existentiæ esset necessaria, non solum quoad existentiam, verum etiam quoad operationem: omnia igitur essent necessaria, perindè ac Deus (599): essent etiam æterna, nec ulla ratio extaret, cur hoc potius tempore, quam ab æternitate existerent, ut est manifestum. Ineptum autem est respondere, quia rerum sic vertitur ordo: quum nihil sine ratione sufficiente existere possit (13); adeòque ratio, cur sic vertatur ordo rerum, adesse debeat.

646 Prop. 3. *Voluntas Dei est immutabilis.* Nam quum omnia attributa Dei sint ipsamet natura divina (636); Deusque sit immutabilis (623); & ejus voluntas mutationem pati non potest. Mutatio enim voluntatis in homine ab ejus limitatione procedit; neque enim omnia motiva cognoscit, dum voluntas movetur ad aliquid amplectendum; adeòque novis supervenientibus incitamentis ad alia flectitur. Deo autem omnia simul præsentia habenti, ac penitissimè cognoscenti, nihil novi supervenire potest, quod ejus voluntatem ad alia inflectat; unde trabalibus clavis fixum est, quod semel decrevit.

647 Schol. Decreta Dei alia sunt *positiva*, *permissiva* alia. Positiva illa dicimus, quibus rerum omnium contingentium existentiam decernit; permissivis decretis malum *morale* a libera voluntate creaturæ ponendum, existere permittit. Hæc autem multiplicia decreta unus, ac idem divinæ voluntatis actus existunt; eorumque diversitas a cogitatione nostra dependet, actus multiplicante, prout illos ad diversa objecta referimus. Deus igitur omnia simul ab æternitate decrevit simplici voluntatis actu, præterita, præsentia, ac futura omnia comprehendente.

648 Dices. Si voluntas Dei est immutabilis, ejusque decreta firma, omnia necessariò eveniunt: nihil ergo contingens in rerum natura est, ac necessitate omnia fluunt. Resp. *dist. ant.* necessariò eveniunt necessitate consequente liberam Dei voluntatem, ac decretum, *conc. ant.* necessitate antecedente hanc voluntatem, *neg.* Dices iterum. Ergo frustra preces funduntur ad Deum, quum ab æternitate statutum sit, quidquid eventurum est: nihil enim præsens actio immutare potest eorum, quæ jam inde ab æterno statuta sunt. Resp. *neg. cons.* & *dist. probat.* nihil præ-

præsens actio immutare potest, prout nunc est, *conc. ant.* prout fuit ab æternitate prævisa a Deo, *neg.* Decrevit enim hoc Deus concedere ex prævisis precibus in tali occasione fundendis: quod si illas non fundis, hæc omissio ab æterno prævisa ratio sufficiens est, cur hoc a Deo non impetres. Idem dicendum de remediis ad sanitatem obtinendam, aliisque mediis ab humana prudentia ponendis ad consecutionem cujusdam finis, ut est manifestum. Hoc antiquissimum est argumentum, quod ethnici etiam philosophi rationis lumine expunxerunt... *Quædam enim*, ajebat Seneca, *a diis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum vertant, si admotæ preces fuerint, si vota suscepta. QQ. NN. lib. 2, c. 37.*

649 Schol. Illud discrimen assignant theologi inter *sapientiam*, ac *scientiam* divinam, ut hæc sit perceptio veritatum omnium, sivè objectorum comprehensibilium; altera sit scientia præscribendi fines naturæ rerum convenientes, aptaque media eligendi ad finem præscriptum, finesque intermedios subordinandi ad ultimum sibi propositum (259); ita ut prima intermediis, hæc postremis invicem respondeant, apteque cohæreant. In sapientia igitur tria consideranda veniunt, videlicet finis determinatio, mediorum electio, ac finium intermediorum ad ultimum subordinatio. Hinc eo sapientior quisque judicandus est, quo tria hæc rectius disponit, ac minus ab scopo aberrat. Si enim aut finem ultimum imperfectum, aut media minus congruentia, ac invicem pugnantia, vel demum inconnexos, nec mutuo subordinatos & consentientes fines intermedios elegerit, procul a sapientiæ laude censendus est.

650 Prop. 4. *Deus in suis decretis sapientissimus est.* Nam sapientis est propter finem agere; omniaque ad finem sibi præstitutum destinare; sed ex mirabili rerum omnium consensione, atque harmonia perspicuum est, & invicem eas consentire, & ad unum finem mirificè tendere: sapientissimè igitur decretæ, & constitutæ sunt. Deindè mundus suo genere perfectus est (247): esset autem imperfectissimus, si nec finis, nec media, nec finium subordinatio in eo reperirentur, ut est luce clarius: est igitur sapientissimè dispositus, ac decretus. Demum homines parum sapienter se gerunt vel ab ignoratione finis determinandi, vel quia cognitione apta mediorum destituuntur, ex qua electio prava consequitur; aut denique ex insufficientia, ac limitatione, qua nec sciunt, nec possunt fines subordinare ad ultimum: atqui Deus omnipotens infinita scientia præditus, hujusmodi vitiis laborare non potest: ergo quidquid decernit, sapientissima co-

cognitione statuit, & ad fines suos omnipotenter perducit. Nam ut ait Abadius:

Omnipotenti olim, quum de nihilo extulit orbem,
Adfuit infinita quidem, at non sola potestas;
Adfuit indivisa comes sapientia, & illa
Artificis quasi dextra manus fuit Omnipotentis:
Omnia secretò libravit pondere utrinque,
Mensuraque Deus justa, numeroque pependit.
Mentis, & artis opus divinæ est orbis: & unus
Ipse auctor novit, qui facta est machina mundi . . .
Ludit in orbe Deus. Sed quanta in lusibus ipsis
Ars est, Artificis summi sapientia summa est.
de Deo. Car. 9.

651 Corol. 1. Deus nihil sine fine vult, nec facit; finisque sibi præstitutus talis esse debet, qualis Deum decet. Quumque minimè eum deceat a finita bonitate moveri, ac sibi eam tamquam finem ultimum præstituere; nihil creatum finis ultimus divinæ sapientiæ esse potest, sed tantum increata illa Bonitas, sivè ipse Deus sui finis ultimus, ac suæ gloriæ ostentatio in suis operibus esse potest. Hinc etiam nihil frustra facit, ac mediis ad finem magis conducentibus semper utitur. Unde ortum proverbium philosophis tritum: *natura abhorret superfluum:* atque etiam: *frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora.* Nimirum infinitam Dei sapientiam *omnia in numero, pondere, & mensura disponentem*, hujusmodi imperfectiones humanam imbecillitatem sapientes minimè decent; plura nimirum, vel pauciora, aut inepta media seligere.

652 Corol. 2. Malum Deus neque velle, neque tamquam finem intendere potest. Ens enim perfectissimum, ac summè bonum, malum aut amare, aut, quod idem est, velut finem intendere, pugnantia involvit. Quamobrem dogma supremum philosophi, nedum christiani illud esse debet: *Deus fecit; igitur optimè factum est.* Furiosi enim hominis, ac delirantis phantasiæ est ab limitata sua, ac tenebricosa mente sapientissimi Dei operationes metiri velle; perindè quasi chaos illud immensum relationum inter mundana omnia entia, naturamque inter corpoream ac intelligibilem catenationem mens limitata comprehendere posset. Sed ita fert humana superbia, ut quæ vel parvam suam machinam, quam inhabitat, & cujus artificii magis conscia esse deberet, penitus ignoret; supremi Artificis opus, in quo punctum vix illa occupat, per summam temeritatem reprehendere non dubitet. Proh stultam arrogantiam!

653 Malum, prout ad rem præsentem attinet, *metaphysicum*, *physicum*, *ac morale* distinguere oportet. Malum *metaphysicum* est differentia a summa perfectione; sivè ut alii explicant, quod rem ex natura sua imperfectam reddere censetur; quod malum est tantum negativum, quatenus a majore perfectione recedit. *Physicum*, sunt effectus naturales, statum physicum rerum immutantes, ut morbi, tempestates &c. *Morale*, est transgressio legis divinæ. Malum igitur metaphysicum adeò essentiale enti creato est, ut eo sublato, creatura Deus evaderet. Pysicum etiam ab intrinseca limitatione rerum provenit, estque necessaria consecutio systematis universalis rerum creatarum, e quarum conjugatione oriri debet. Morale demum malum e duobus principiis ortum ducit, e legum latione, quæ e suprema Dei perfectione, ac gubernatione derivatur; ac hominis libertate, quæ, eo ipso quod facultatem habet agendi, aut non agendi, legem transgredi potest. De bonitate *absoluta*, & *relativa* dictum est. art. 60.

654 Prop. 5. *Deus vult hominum felicitatem.* Prob. Innatum est homini felicitatis desiderium, nec umquam malum ut malum humana voluntas appetere potest (458): at hic conatus ab Auctore supremo non ob alium finem inditus est, quam ut suam beatitatem requirat; cui enim bono dari debuit, si huic non suppeteret? Vult igitur hominum felicitatem. Dedecet enim Deum, hominem naturæ voce ad beatitudinem vocare, quam tamen minimè vult ipsi concedere: hoc enim vel homini vitio verteretur, essetque veluti practicum mendacium, Dei sanctitatem ac veracitatem deturpans, aliquas inclinationes & aversationes indere, ut hominem ludificaret.

655 Corol. Est igitur Deus summè bonus, bonitate nimirum relativa, qua nobis benefacere, ac se communicare vult; quam beneficentiam rectius appellaveris. De bonitate enim absoluta hic sermo non est, quum jam ostensum sit, Deum esse Ens perfectissimum (621), quod quidem bonitatem absolutam alio nomine indigitat. Beneficentissimus igitur est Deus; ac proindè media necessaria ad beatitudinem assequendam impertiri debet homini, cujus felicitatem intendit.

656 Dices. Si beneficus, ac summè bonus est Deus, hominisque felicitatem impensè desiderat, cur tot mala in mundo aut voluit, aut permisit?.. *Antiquam in limo ranæ cecinere querelam.* Eloquenter æquè, ac impiè longa oratione hoc argumentum persequitur Cotta in lib. 3, de Nat. Deor. cap. 26. cui Lucretius, aliique præiverant.

R.

R. amplificationes oratorias omittendo, ut breviter rem expediam. Malum metaphysicum (653) quum rerum essentias comitetur, necessarium omninò est, quemadmodum essentiæ ipsæ necessariæ sunt. Malum physicum est tantum malum relativum respectu partis; nam in ordine ad totum consideratum, ad ipsius perfectionem concurrit (243): nec Deus ob querelas Lucretii, Cottæ, aliorumque ejusdem furfuris hominum, universale rerum systema immutare debebat, ad cujus perfectionem singularia hæc mala concurrunt. *Antiqui* etiam *remanent sceleris vestigia nostri*, quæ Deus summè justus vindicare debebat, peculiarium malorum immissione, quæ & simul systematis physici perfectio essent, & malum singulare relatè ad partem supplicio condigno afficiendam. Hoc argumentum peccati *originalis* non adeò a philosophia alienum est, ut in confirmationem hujus argumenti adduci non possit. Semel, & iterum Cicero *lib. de Consol.* ejusdem meminit: „ parumque sapiunt ii, qui hominem luendorum scelerum causa natum, felicem, aut beatum audent nominare. „

Cur igitur (insistit Cotta, & vulgare est argumentum Epicuri, Marcionis, ac manichæorum) malum morale permisit Deus, qui felicitatem hominis *impensè* desiderat, in eumque beneficentissimus est? Funestum sanè donum est ratio, ac libertas, si homo in suam, ac aliorum perniciem, eamdem convertere debebat: huncque abusum præscius Deus, si optimus, ac omnipotens est, aut libertatem, ac rationem tollere debuit; aut certè rationis abusum impedire. R. cum Abadio Car. 10.

Tu quis homo es? Numquidne Deo sapientior es tu?
Ergo age, sume tibi mundi rectoris habenas:
Aude, inferque Deo lucem, ferto, inclyte, leges,
Queis melius deinceps regat, & sapientius orbem.

Resp. 2. cum D. Thoma: „ Ipsum autem totum, quod est universitas creaturarum, melius, & perfectius est, si in eo sint quædam, quæ a bono deficere possunt, quæ interdum deficiunt, Deo hoc non impediente; tum quia providentiæ non est naturam destruere, sed salvare: ipsa autem natura rerum hæc habet, ut quæ deficere possunt, quandoque deficiant; tum quia, ut dicit Augustinus in Enchiridio, Deus est adeò potens, quod etiam bona potest facere de malis. Unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permitteret. „ 1. Part. Q. 44, art. 6.

Doctè Jacquierus hoc argumentum concludit, ac parabola evangelica illustrat, dicens: „ Observandum tandem est, in eo peccare homines, quotquot bonitatem divinam suspectam habent, quod de ea judicent non in relatione ad totum universum, & ad omnia Dei attributa, sed ad partem aliquam mundi dumtaxat. Sæpissimè fallimur, quum singula ad nos ipsos referimus: ideòque res, & effectus illos aut utiles, aut bonos vocamus, qui nobis ipsis placere, prodesse, probarique solent; eos verò vicissim noxios, atque inutiles esse censemus, ex quibus nulla nobis utilitas aut jucunditas oriatur. Totam hanc de malo physico, & morali doctrinam illustrat parabola de zizaniis (*Matth.* 13, *v.* 14.) In ista parabola *ager* mundum denotat; *bonum semen* filios regni, hoc est homines a Deo electos; *zizania* significat homines improbos; atque inde apparet, Christum in ista parabola docere, unde sit malum, & cur eidem locus relinquatur in hoc mundo. Et quidem Christus rationem redditurus, cur malum morale ex hac rerum serie a Deo non tollatur, in hac parabola narrat, Patremfamilias noluisse a servis colligi *zizania*, ne simul triticum cum eis eradicetur; nempe Deus malum morale ex hac rerum serie non tollit, ne cum malo tollatur bonum. Paterfamilias semen bonum commisit terræ, non verò semen zizaniorum, quod commisisse legitur inimicus. Quamobrem dici nequit, Deum voluisse absolutè, ut zizania crescerent; prohibuit tamen, ne servi eadem eradicarent: quare dici potest, Deum absolutè voluisse zizania non crescere, quumque servis præceperit, ut zizania juxta triticum crescere sinerent, impedire noluit, quominus zizania crescerent: ergo Paterfamilias zizania crescere permisit, & quidem sapienter, ne scilicet triticum eradicaretur cum zizaniis, & spes messis excideret. Quia ergo Paterfamilias Deum, triticum homines probos, zizania improbos repræsentant; Deus, Christo Domino docente, malum in hac serie existere sapienter permittit; permittere autem ideò decrevit, quia ex permissione mali bonum oritur. Hæc parabola doctrinam de origine, & permissione mali mirificè confirmat; mos enim fuit Christo Domino ardua dogmata ad imagines revocare, quarum ope adumbrari possunt. Quomodo autem Deus per bonitatem suam summam mala dirigat ad bona, luculentissimè patet ex historia Josephi a fratribus suis venditi (*Gener.* 37), & maximè ex morte Christi Domini, cujus Joseph erat figura.„ (*Mer. Par.* 2, *sect.* 2, *cap.* 1, *art.* 2.) Ex quibus omnibus illud evidenter descendit, quod & Baylius ipse non diffitetur invictè concludere; ac proindè legitimam hanc esse deductionem: Est in hoc mundo malum; ergo Deus potest illud permittere sine ullo sanctitudinis, ac sapientiæ detrimento. Ab actu enim ad potentiam invictum est argumentum; quod & dicta art. 652. denuò confirmat.

657 Prop. 6. *Deus leges ferre debuit, quibus humanæ fe-*

felicitati consuleret. Prob. Deus vult hominum felicitatem (654): homines autem sine legibus suam felicitatem obtinere non possunt: ergo necessaria fuit legislatio. *Prob. min.* Homo est limitatus, perturbationibus animi est obnoxius, perfectè liber ad agendum (500): sed his principiis veris stantibus, ad ejus felicitatem leges necessariæ sunt: ergo sine illis suam felicitatem numquam assequetur. Ultimæ assumptionis partes singillatim ostendo. Mens humana ab limitatione sua sæpius in errores labitur, uti funesto experimento comprobatum habemus: plerumque appetitu sensitivo ducimur, ratione conculcata (455): denique libertas facultatem suppeditat patrandi id, quod felicitatem nostram labefactat; quod utinam adeò infrequens esset, ut in controversiam adduci posset. Necessaria igitur est aliqua lex voce naturæ hominibus dictata, qua felicitati hominum consulatur, quæque malis ex imperfectione mentis, animi perturbationibus, ac libertatis abusu secuturis, quodammodò medeatur.

658 Corol. Ex hac prop. sponte descendit existentia legis naturalis, quemadmodum ab hac jus gentium, de quibus tot volumina ab Hobbesio ad nostra usque tempora conscripta sunt, ut his evolvendis vix ætas hominis sufficiat; veluti Spinozæ, Puffendorffii, Grotii, Seldeni, Tomasii, Barberacii, Burlamachii, Volffii, aliaque innumera testantur. Omissis speculationibus, quæ devios citatos auctores egerunt, lex naturalis in his tribus capitibus constituenda videtur: 1. Deo amor, obsequium, servitus exhiberi debent: 2. Nosmetipsos diligere, ac proindè tueri, & perficere debemus: 3. Hæc eadem aliis pro viribus etiam præstemus, oportet; ut suprema regula sit, *quod tibi vis fieri, fac & aliis; quod tibi non vis, aliis itidem ne fecerit*. Hæc principia obvia, ac omnium hominum cordibus quasi insculpta sunt, ut naturæ vox meritò censenda videatur. Applicatio quidem horum principiorum ad singulares casus ab perversis animi cupiditatibus plerumque erronea evadit, uti errores plurimi in scriptis modò citatis aspersi luculenter comprobant: cui malo medendo providentissimus naturæ Auctor vocem suam audire fecit, *loquens patribus in prophetis, ac novissimè locutus est nobis in Filio*: quas voces, si omnes, ut par est, auscultarent, nullus amplius errori locus superesset. Vide infra dicenda ubi de *Religione Christiana*. Ceterum de Jure naturali enucleatius agere nostri non est instituti.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Deo Creatore, & Conservatore.

659 *Producere*, ut a generaliore notione sumamus exordium, est aliquid de novo facere; hoc autem duplici modo evenire potest; aut rem, quæ non erat, e nihilo extrahendo, atque ab statu non existendi ad existentiam transmutando, & hæc dicitur creatio (88); aut rem jam existentem in alium statum transferendo, quod *eductio* apud scholæ auctores dicebatur, *modificatio* autem a recentioribus audit. Hinc *creationem* vocabant productionem rei tam ex *nihilo sui*, quam ex *nihilo subjecti*: *eductionem* verò productionem ex *nihilo sui*, minime autem ex *nihilo subjecti*.

660 Corol. 1. Nulla igitur substantia produci potest nisi per creationem: nam substantia est ens per se existens (167), quod idem refert ac in se ipso existens; omne autem quod per se, & in se ipso existit, ex alio produci nequit: quod enim ex alio producitur, in illo, ac per illud existit: ergo omnis substantia creari debet.

661 Corol. 2. Modificationes substantiæ non creantur, sed educuntur, aut eduntur ex substantia. Modificationes enim sunt diversæ configurationes substantiæ, sivè ejusdem diversi existendi, ac ad alia se referendi modi: hoc autem tantum importat diversos status ejusdem rei jam existentis: mutari enim non potest, nisi quod existit: modificatio igitur non est creatio substantiæ, sed ipsius substantiæ in alium statum, seu modum ductio.

662 Positio 1. *Deus omnes substantias creatas e nihilo produxit, atque adeò creavit*. Prob. Nullum ens contingens a se habet sufficientiam existendi: ergo ab alio ab statu non existendi ad existentiam transferri debet (131): hæc autem translatio est productio ex nihilo: ergo creatæ sunt, & quidem ab alio. Hoc autem solum esse potest Ens necessarium, sivè Deus (132): ergo a Deo creatæ sunt. Deindè omnis substantia solum per creationem producitur (89); creandi autem facultas potentiam infinitam exigit (628), quæ tantum Deo competere potest: a Deo igitur creatæ sunt omnes substantiæ.

663 *Conservatio* est continuata existentia entis jam producti. Duplicem conservandi modum distinguunt, *directum* unum, *indirectum* alterum. Directa conservatio est positiva voluntas rei existentiam conservandi: *indirecta* est remotio impedimentorum, quibus destrueretur; ex. g. voluntas, sivè decretum res e medio tollendi; quæ ejus destructionem importarent. Hanc tantum conservationem

suf-

sufficere nonnulli opinati sunt, eo quod, posita voluntate Dei rem producendi, ejus existentia continuari debeat, si nihil adsit, quod ipsius destructionem necessariò inducat.

664 Positio 2. *Deus res creatas conservat voluntate permanente, sivè utraque conservatione tam directa, quam indirecta.* Nam nisi verbis tantum contendere velimus, planum est, decretum divinum res producendi respicere etiam tempus omne, quod ipsis statum conservare decernit, quod veritatem in propositione assertam manifestissimè ostendit. Neque Deum velut artificem humanum fas est sibi fingere, qui postquam opus perfecit, e manibus dimittit, quasi emancipans, donec ab aliis causis in ipsum agentibus convellatur. Hoc enim causæ limitatæ, ac aliis distentæ curis maximè convenit; Deum tamen, cui omnia nuda, & aperta sunt, & qui omnipotentia sua omnia sibi subjicit, hujusmodi agendi modus minimè decet. Hinc apud scholas invaluit paræmia, *conservatio est continuata productio*; nimirum res creata quolibet instanti suæ conservationis adeò est dependens ab omnipotenti manu, quæ illam e nihilo extraxit, ut hac voluntate illam conservandi cessante, in nihilum iterum abiret.

665 Corol. Virtus igitur *creandi*, *conservandi*, atque *annihilandi*, ut loquuntur, Dei solius propria est: quidquid sit de inutilibus illis quæsitis, utrum hæ facultates de *potentia Dei absoluta* competere possint creaturæ. Recole, quæ diximus (art. 121), ubi etiam a notione Entis necessarii hactenus dicta luculanter confirmantur.

666 Oppones. Creatura semel existens debet perseverare, dum non adsit voluntas Dei illam destruendi: ergo sufficit indirecta conservatio. R. *neg. ant.* si excludat positivam voluntatem Dei rem conservandi: nec enim creatura habet existentiam nisi dependentem a Deo; unde in quocumque existat momento, adesse debet positivum decretum illam conservandi. Melius dixeris, decretum illud rem producendi tempus omne respicere, quo res conservanda erit. Essentialis enim dependentia creaturæ a Causa prima necessariò includit, ut ab eo & primam existendi rationem & hujus existentiæ perseverantiam, seu rationem perseverandi in eo statu, ex illo habeat.

667 Inst. Opus artefactum semel ac exactum sit, non indiget actuali conservatione artificis: ergo idem dicendum de artefactis perfectioribus omnipotentis, ac sapientissimi Opificis. R. *neg. cons.* analogia adducta propositum non convincit: nam artefacta non habent ab auctore, nisi modificationes materiæ, a qua, non ab artifice, dependet earum conservatio: sentia vero creata esse suum *simpliciter* habent a Deo, a quo proindè habent continenter sustentari, ne iterum abeant in nihilum. 668

668 Oppon. 2. Animus est spiritualis, ac proindè corrumpi non potest (547): semel ergo productus, ac sibi relictus, perseverare semper debet in suo statu. R. *dist. cons.* perseverare in suo statu per decretum in eo conservandi, *conc. cons.* sine positiva Dei voluntate, *neg. cons.* Substantia spiritualis eo sensu dicitur indelebilis, quo & simplex: adeòque nulla causa creata ejus statum mutare potest, quum nullas habeat partes, quarum dissolutione, aut transpositione desinat esse, quod erat: ceterum essentialem dependentiam ad primam Causam referens, in ejus voluntate existendi rationem & incipientem, & perseverantem habeat, oportet.

669 Oppon. 3. Ad infinitam sapientiam Artificis supremi spectat perfectiora artefacta construere, quam illa sint hominum: sed horum opera, cessante manu artificis, perseverant: ergo potiore jure & illa Dei semel producta extare debent sine novo artificis conatu. R. *dist. maj.* perfectiora eo modo, quo perfectio creata conciliari potest cum divinis attributis, *conc. maj.* perfectione hominum arbitrio definienda, *neg. maj.* Dependentia, quam creatura a suo Creatore habet, omninò imbibitam hanc necessitatem metaphysicam includit singulis momentis ab illius actione pendendi. Hinc Deus non potuit creare mundum ita, ut semel productus per se ipse, ut ita dicam, incederet, ac nulla actione positiva a Deo regeretur; hoc enim essentialem creaturæ dependentiam, ac dominium Dei in res creatas convellit. Verum, ut candidè dicam quod sentio, hæc quæstio ex illis est, quæ a libidine altercandi ortum duxerunt. Omnes quippè re idem sentiunt, oratione discordant. Quis enim asseveraverit, rem quampiam existere posse, quin a Deo decreta sit ejus duratio per omne id tempus, quod permansura est in rerum natura? dum igitur perseverat, vi illius voluntatis existit, quæ & producendam, ac tamdiù conservandam decrevit.

670 *Concurrere* ad alterius actionem est, suppeditare aliquid, ex quo illius actio sequatur. Hinc *concursus* seu *cooperatio* duplex distinguitur, *generalis*, ac *immediatus*: primus esset ille, quo Deus res creatas semel productas sibi ipsis permitteret, ut ceteras actiones marte suo peragerent, quin Deus in has actiones aliquid influeret: dicitur etiam *concursus mediatus*. *Immediatus* autem ille est, quem *simultaneum* etiam vocant, quo non solum Deus res creatas producens illarum statum conservat, verum etiam ad singulas sui status modificationes consensione quadam cooperatur, ita ut, quæcumque actio a creatura proficiscatur, vim a Deo ad hanc eliciendam accipiat. Quo autem sensu ejusmodi *actiones*, *influxus*, *cooperationes*, ac si qua sunt alia intelligi debeant, exposuimus in Scholio ad causas occasionales. 671

671 Prop. 3. *Deus concurrit ad omnes actiones creaturarum, & quidem illo cooperandi modo, quem concursus simultaneum appellant.* Prob. Tam facultas operandi, quàm illius exercitium sunt quædam perfectiones: sed a prima causa velut fonte omnis perfectio dimanat: ergo a Deo immediatè concurrente creaturarum actiones derivantur. Adde huc, quod omnes causæ creatæ quovis momento a Deo conservantur (665): ergo ab eo accipiunt agendi vim, et exercitium hujus facultatis. Demum effectus a causa secunda productus, est etiam simul et causæ primæ: ceteroqui illa causa esset prima ad hunc effectum collata, non secunda, nisi in sensu nimis lato, quemadmodum si *genus*, et *proavos*, et *quæ non fecimus ipsi*, causam nostrarum actionum diceremus.

672 Oppon. 1. Si Deus ad actus omnes causæ secundæ simul concurreret, etiam pravas actiones produceret: hoc autem Dei sanctitatem minimè decet: ergo sufficit generalis concursus. R. *dist. maj.* actiones pravas *physicè* consideratas produceret, *conc. maj. moraliter* consideratas, *neg. maj.* In actionibus pravis duo distinguenda sunt, quæ separari omninò possunt; actus physicus creaturæ, ac *defectio ab ordine* morali; primus est effectus naturæ, quemadmodum reliquæ productiones naturales; defectio ab ordine e voluntate humana tantum provenit, quæ sua libertate abutitur. Ad casum singularem rem deducamus. Primus ille homicida Cainus fratrem occidens, et voluntate prius destinavit illum de medio tollere, et instrumento aliquo postea violenter motum imprimens in Abelis malechinam corpoream, ipsam dissolvit. Illa voluntatis defectio a lege Dei, ab exercitio libertatis in alteram partem se inflectentis contra præceptum divinum, a Caino tota est: actiones autem illæ physicæ, imò et actus ille voluntatis, quatenus animæ modificatio est, pravitatem non continent. Quod perspicuum est, si actum ipsum a Caino aut amente, aut in justa defensione productum consideremus. Potest igitur Deus ad hos effectus producendos ut causa prima concurrere, quin sanctitudinem suam hujusmodi effectio contaminet. Imò qua voluntate actionem velut effectum physicum decernit, voluntatis abusum detestatur, voce naturæ transgressori inclamans, a supremo Legislatore id prohiberi (658).

673 Replicabis. Homini hoc modo ad rem turpem concurrenti adscriberetur etiam actio prava: ergo et Deo, quamvis electivè non descendat ad actus productionem. R. *dist. ant.* Homini agenti tamquam causæ singulari, ac proprium elicienti actum ex voluntatis electione ad actum pravum concurrendi, adscriberetur actio prava, *conc. ant.* homini agenti tamquam causæ suo modo universali, *neg. ant.* Manifestum est, judici reum juxta allegata, et probata absolventi, quem tamen secretiore, ac minimè revelanda notitia crimini obnoxium esse cognosceret, imputandam non esse nocentis absolutionem: agit enim tunc vices legis universalis præcipientis, neminem condemnare jus esse, nisi reus probetur. Idem dicendum de Sacerdote ut publico Ecclesiæ ministro impertiente homini publicè petenti sacram communionem, quamvis e tribunali confessionis eidem constiterit, reum peccati lethalis ad sacram mensam se sistere, ut in theologia morali communiter docent. Deus autem ut causa universalis sartam tectam libertatem homini conservans, ad ejus exercitium debet concurrere; non quidem ut illum ad malum determinet, ac impellat; sed ad actiones physicas ut causa universalis cum causa secunda producendas concurrens, ac permittens hunc libertatis abusum, ad alios fines, quos sapientissimè intendit (656).

674 Insistes. Actio Dei, & actio creaturæ sunt una, eademque actio, vi cujus idem effectus producitur: sed creatura ab illa denominatur peccans: ergo & Deus si immediatè cum creatura concurreret. R. *dist. ant.* sunt eadem actio relatè ad effectum propucendum, *conc. ant.* ratione modi, ac principii agendi, *neg. ant.* Causa secunda primæ necessariò subordinatur, atque adeò effectus ab utraque indivisibiliter producitur. Deus tamen, ut causa universalis, effectum physicè ponit a causa libera determinatum, cujus potestati permisit electionem; eamque ipsi omninò concedere debuit, si liberam in suis actionibus condere voluit.

675 Oppones 2. Nec explicari, nec intelligi potest, quomodo Deus concurrat immediatè ad actus creaturæ, maximè si de actionibus liberis sermo sit: ergo commentitius est hujusmodi concursus simultaneus. R. *neg. ant.* Concursus ille generalis exponi potest per decretum, quo Deus vult res creare, & conservare: peculiaris ille ad actiones singulas, per decretum decernens singulos effectus juxta seriem legum generalium secuturos, si de effectibus necessariis sermo sit. Quod actus liberos spectat, est voluntas ponendi talem actum, ad quem Deus prænovit, voluntatem creatam se determinaturam, ea scientia quam conditionatorum vocant, ut jam artic. 511, exposuismus. „ Deus movet, ait *D. Thomas*, voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verum bonum, vel apparens bonum; sed interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bo-

num, sicut in his, quos movet per gratiam. „ 1. 2. Q. 9. art. 6.... Vide quæ diximus ex eodem S. Doct. art. 509.

676 Insistes. Talis concursus dici non potest *simultaneus*. Prob. Determinatur a creatura: ergo non est *simultaneus*. R. *dist. ant. prob.* determinatur a creatura in *statu absoluto*, *neg. ant.* in statu conditionato, *conc. ant.* Responsio manifesta est ex dictis art. præcedente: neque enim ab statu conditionato ad statum absolutum transibit actio creaturæ, nisi Deus velit talem actum poni: quod igitur actio physica transeat ab statu conditionato ab absolutum, a Deo determinatur.

677 Dices. Actio determinans est prior actione determinata: sed actio creaturæ determinat concursum Dei: ergo prius illo intelligitur, adeòque simultaneus non est. R. *dist. maj.* actio determinans, & independens, *conc. maj* actio determinans, & *subordinata*, *neg. maj.* „ Id autem sequenti exemplo illustrari solet. Rex præficiat alicui provinciæ Proregem, & edicto suo decernat, se omnia velle, quæ Prorex jussurus est, ac decreturus pro rerum exigentia. Deinde Prorex dicat; *statuo, ut provinciæ hujus incolæ urbi novæ construendæ adlaborent*. En duæ voluntates, quæ volunt novæ urbis constructionem; utra prior hunc numero effectum voluit? an Regis, an Proregis? sanè neutra. 1mo. non Regis; quia Rex volebat per voluntatem generalem, quidquid a Prorege statuendum erat, nondum tamen hanc novæ urbis constructionem ante Proregis statutum. 2do. non Proregis; nam eo ipso instanti, quo vult Prorex civitatem construi, eo ipso Rex velle intelligitur. Idem, proportione servata, dicendum est de voluntate Dei generali applicata, & determinata per creaturam liberam ad actum aliquem singularem „. Ita Jacquierus, Met. Part. 2, sect. 2, cap. 2, e quo solutionem mutuavimus. E nostro autem penu hanc etiam adhibemus: *dist. min.* actio creaturæ in statu absoluto determinat concursum Dei, *neg min.* actio creaturæ in statu conditionato, *subdist.* determinat in statu conditionato, *neg.* in statu absoluto, *conc. min.* Hæc omnia plana sunt ex dictis art. 675.

678 Inst. Si actio creaturæ Dei concursum determinaret, Deus penderet a creatura: at hoc indignum Deo videtur: ergo falsum prius. R. *dist. maj.* penderet a creatura agente vi accepta a Deo, ac ipsi subordinata, *conc. maj.* virtute independente a Deo, *neg. maj.* Si Deus velit sartam tectam creaturæ libertatem servare, necessariò ab eadem proficisci debet determinatio suæ actionis, ut ajebat D. Thomas cit. art. 675. Hoc enim agentis liberi munus præcipuum est, eligere inter extrema; quod si id in sua potestate non habeat, actum, & conclamatum est de libertate.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Deo creaturis providente.

679 *Providentia* cura illa dicitur, qua quis rerum suarum satagit, eas ad finem aliquem dirigens, & apta media disponens, ut tandem illum assequatur: sivè *ratio ordinis partium in toto*, & *ordinis rerum in finem*, ut explicat S. Thomas (1. Par. q. 22. art. 1.). Ex hac generali notione providentiæ, quid providentiæ divina sit, facilè intelligatur; quæ quidem vel *universalis* est, vel *specialis*: prima generalem universi procurationem denotat: altera singulorum entium administrationem.

680 Schol. Mirum est fuisse, ac etiamnum extare aliquos homines, qui se veluti fungos in hac rerum universitate natos existiment, nec aliquid in tam mira rerum compage nisi casu accidisse, ac in posterum eventurum arbitrentur. Quod quidem mirandum minus est in iis, qui Deum existere negant, certè in votis habent: verum eos, qui divinitatem minimè inficiantur, quo pacto Deum nihil curantem, & omnia susque deque habentem, sibi persuadere possint, fateor me intelligere nequire. At verò hujusmodi nodum Vellejus Epicureus jamdudum solverat, rationem reddens, cur ab rerum humanarum procuratione epicurei Deum removerent. „ Imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies, & noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & pleni negotii deum? ... His terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus, nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quærere: & piè, sanctèque colimus naturam excellentem, atque præstantem.„ de Nat. Deor. lib. 1, c. 20. Egregium sanè cultum *curata benè cute Epicuri de grege porcos* se Deo exhibere!

681 Prop. *Dico igitur Providentia Dei mundum, & omnes mundi partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari*. Prob. Deus pollet infinita scientia, possibilia ac futura omnia comprehendente (642); sapientissimus item est in suis decretis (650); media apta ad fines suos disponens, atque ab omnipotentia sua ad manum habens res omnes sibi obsequentes, ut de iis ad placitum disponat (625); denique entia creata conservat, speciatim ad singulas: & ines concurrens (664, 671): est igitur providentissimus, quin folium arboris sine ipsius dispositione moveatur, nedum res humanæ, ipso imprudente, gerantur. Et quidem omnia argumenta, quæ

Deum existere ostendunt, & ipsum rebus humanis providere persuadent, ut attentius ea consideranti liquebit.

His adde nationum omnium consensum, quæ philosophia minimè abutentes, ut vitia defendant, ac promoveant, sed naturæ voce admonitæ, semper in rebus adversis, dubiis, aut prosperitatem appetentes, plerumque etiam inopinantes, ut in repentinis casibus videmus, ad Deum convertuntur, ut exaudiantur. Et quidem sine providentia omnis virtus, pietas, religio, jus, societas, vacua nomina existant, quemadmodum in atheo mundo extarent, fateamur oportet. Nam ut sapienter ajebat Tullius „ sunt philosophi, & fuerunt, qui nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos: quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia purè, ac castè tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii nec possunt nos juvare, nec volunt, nec omninò curant, nec quid agamus animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit: quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem tectæ simulationis, sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest: cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli, necesse est; quibus sublatis, perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollatur. „ *lib. 1, de Nat. Deor. c. 2.*

Legi etiam potest Oratio Balbi in lib. 2, cap. 29. *Proximum est, ut doceam, deorum providentia mundum administrari:* ubi egregie, si stoicorum quædam futilia demas, providentiam e tribus capitibus demonstrat, quæ sic proponit cap. 30. „ Dico igitur, providentia deorum mundum, & omnes mundi partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari; eamque disputationem tres in partes nostri ferè dividunt: quarum pars prima est, quæ ducitur ab ea ratione, quæ docet esse deos; quo concesso, continendum est, eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quæ docet, omnes res subjectas esse naturæ sentienti, ab eaque omnia pulcherrimè geri: quo constituto, sequitur ab animantibus principiis eam esse generatam. Tertius locus est, qui ducitur ex admiratione rerum cælestium, atque terrestrium „ Egregium illud in primam partem exordium.

„ Primum igitur aut negandum est Deos esse, quod Democritus simulacra, & Epicurus imagines inducens, quodam pacto negat: aut qui deos esse concedant, iis fatendum est, eos aliquid agere, idque præclarum. Nihil est autem præclarius mundi administratione: deorum igitur consilio administratur. Quod si aliter est, aliquid profectò sit, necesse est, melius, & majore vi præditum, quam deos, quale id cumque est, sive inanima natura, sive necessitas vi magna incitata, hæc pulcherrima opera efficiens, quæ videmus. Non est igitur natura deorum præpotens, neque excellens, siquidem ea subjecta est ei vel necessitati, vel naturæ, qua cælum, maria, terræ regantur. Nihil autem est præstantius Deo: ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli igitur est naturæ obediens, aut subjectus Deus. Omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus intelligentes esse deos, concedimus etiam providentes, & rerum quidem maximarum. Ergo utrum ignorant, quæ res maximæ sint, quoque hæ modo tractandæ, et tuendæ; an vim non habent, qua tantas res sustineant et gerant? At et ignoratio rerum aliena naturæ deorum est; et sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, minimè cadit in majestatem deorum. Ex quo efficitur id, quod volumus, deorum providentia mundum administrari. „ Sed jam argumentationes impiorum videamus.

682 Argumentum Epicuri sic proponit, ac solvit Lactantius, lib. de ira Dei, cap. 13. „ Deus (inquit Epicurus) aut vult tollere mala, et non potest: aut potest, et non vult: aut neque vult, neque potest: aut et vult, et potest. Si vult, et non potest, imbecillis est; quod in Deum non cadit. Si potest et non vult, invidus; quod æquè alienum a Deo. Si neque vult, neque potest; et invidus, et imbecillis est, ideòque neque Deus. Si vult, et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit? Scio, plerosque philosophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere, et invitos penè adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maximè quærit Epicurus: sed nos, ratione perspecta, formidolosum hoc argumentum facilè dissolvimus. Deus enim potest, quidquid velit; et imbecillitas, vel invidia in Deo nulla est: potest igitur mala tollere, sed non vult; nec ideò tamen invidus. Idcircò enim non tollit, quia et sapientiam, sicut docui, simul tribuit, et plus boni, ac jucunditatis in sapientia, quam in malis molestiæ. Sapientia etiam facit, ut Deum cognoscamus, et per eam cognitionem immortalitatem assequamur, quod est summum bonum. Itaque nisi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoscere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quisquam: si tollantur mala, tolli pariter sapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cujus ratio sustinenda, et superanda malorum acerbitate consistit. Itaque propter exiguum

compendium sublatorum malorum maximo, et vero, et proprio nobis bono caremus. Constat igitur omnia propter hominem proposita tam mala, quam etiam bona.„

Quod autem mirandum magis, ac penè incredibile est, impios homines, qui contra providentiam alta voce inclamant, quod mala in mundo cernantur, quibus carere potuissent mortales; quum de Deo agitur, ex malorum absentia argumentum sumunt, ut divinitatem de medio tollant. Sicui hoc incredibile videatur, audiat Cottam in 3, de Nat. Deor. c. 15. „ Qualem Deum intelligere non possumus nulla virtute præditum. Quid enim? prudentiam ne Deo tribuemus? quæ constat scientia rerum bonarum, & malarum, & nec bonarum, nec malarum. Cui mali nihil est, nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum, & malorum? . . Nam fortis Deus intelligi qui potest? in dolore, an in labore, an in periculo? quorum Deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem, nec virtute ulla præditum Deum intelligere qui possumus? „ Ut ergo hominem virtute præditum intelligamus, scientiam rerum bonarum, & malarum habere debet; cui autem mali nihil est, nec esse potest, hanc scientiam ex concessis habere nequit: ut ergo homo virtutem exerceat, et mala, et bona sint, oportet. Rursus fortem Deum intelligere non potes, quia doloris, laboris, ac periculi nihil ipsum attingit: ergo ut hominem fortem concipias, dolori, labori, ac periculis subjectum debes intelligere. Necessaria igitur sunt mala: quæ enim mala sunt, si labor, dolor, periculum, malum non sunt?

683 Verum insistit Cotta; ejusque, ac reliquorum impiorum rationes contra providentiam pro virili parte promovet Baylius. Esto, sint mala physica: rationem tamen cur hominibus dedit Deus, qua majorem partem abusuros esse cognovit? responsum ipse præoccupat. *Sed urgetis identidem, hominum esse illam culpam, non deorum, ut si medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset.* Contra quod sic insurgit: *Si homines rationem bono consilio a diis immortalibus datam in fraudem, malitiamque convertunt; non dari illam, quam dari humano generi melius fuit. Ut si medicus sciat, eum ægrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumpturum, statimque periturum, magna sit in culpa; sic vestra ista providentia reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos sciebat ea perversè, & improbe usuros.* Respondet Genuensis, Deum non potuisse peccatum impedire, nisi aut creaturam condidisset infinitam, cujus cognitio ad omnes circumstantias se extenderet, in quibus posita operari deberet, quod erat impossibile: aut legem illi non proposuisset, quod a sanctitate Dei prorsus alienum est: aut libertatem ei denegasset, quod mali,

li, non boni Dei signum fuisset. Sed ut acutè observat Tamagna, finitis limitibus sapientiam, potentiamque Dei coarctat hæc responsio: posset enim a Baylio urgeri, hominem sub gratia efficaci constitutum, nec infinitum fore, nec legem violaturum fuisse, retenta libertate. Imò verò id a Baylio replicatum, manifestum est ex ejus verbis, quæ e gallico in latinum sermonem converto. *Quod si bonitas finita, ut est illa parentum, necessariò exigit, ut præcaveant, quantum in ipsis est, deteriorem usum donorum, quæ filiis præbent; tantò magis bonitas infinita & omnipotens præcavere debet perversos munerum suorum effectus.* Baylius in Lexico ver. Manich.

„ Nos itaque, respondet laudatus auctor, libenter damus, potuisse, et posse Deum fœdam vitiorum omnium auferre colluviem, ipsi homini gratiam tantum efficacem tribuendo. At non dedit. Ita sanè, quid igitur? ergo malus fuit. Ne unius quidem syllogismi homo hanc inscitam conclusionem intulisset umquam. Non quæritur modò, quid a bono Deo posset effici, ut malum vitaretur, et indubiè vitaretur: sed quid ab ipso foret præstandum, ne malus diceretur, et esset. Quousque igitur non evincant impii, necessariò debuisse Deum, nisi vellet malitiæ nota inuri, hominem tali gratia donare, numquam ex eo quod poterat, quid deberet, poterunt inferre. Qui autem fieri potest, ut ostendant, munus fuisse Dei etiam providentissimi, efficaci gratia hominem insignire? Nonnè catholici ostendunt (quoniam ad theologiam revelatam non tollit impietas), gratiam efficacem esse donum Dei supernaturale, prorsus gratuitum, ad quod nec natura, nec lex ullum jus habet, aut ullam repetundi rationem? Nonnè consentiunt omnes, vel nulli denegari media ad salutem sufficientia: vel, sicui non concedantur, non concedi nisi in pœnam præcedentis peccati? Sicut fidei dogma est illud quod profert Baylius, ita omnium communis opinio est, quam nos exposuimus. At quoties homo et natura, et gratia adjutus potest felicitatem consequi, nonnè Deus, ut propriam bonitatem et exerceret, et ostenderet, quantum in se erat, est operatus? Si ergo labitur homo, et deficit, et peccat, non Dei, sed ipsius malæ voluntatis est vitio vertendum. „ Met. Part. 3, sect. 1, art. 2. Huic nos argumento jam occurrimus art. 656, et 673. Similitudo parentum a Baylio adducta, quemadmodum illa medici a Cottâ promota, ad rem non sunt. Toto enim cælo causæ peculiares a causa universali distant; nec leges unius alteri applicandæ sunt. Illa effectus singularis curam gerere, hæc omnia ad totum referre debet, cujus harmonia ex dissonantiis etiam perfectior evadit. Præterea quis neget, aliquem abusum a parentibus sapien-

ter permitti non posse, ex quo prævideant majus bonum filio obventurum?

684 Insistit adhuc Cotta, putans se uno versu Telami totum locum conficere, cur dii homines negligant:

Nam si curent, benè bonis sit, malè malis: quod nunc abest.

Resp. cum Seneca, ut ethnicum ethnico opponam: *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, siquem judicatis exceptum, veniet ad illum diù felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus, dilatus est.* De Provid. qui totus aureus, & ad unguem ediscendus libellus, nisi quædam ad calcem *de suicidio* adjecisset: qui error per ejus opera latè serpit. Hoc argumentum alia forma propositum jam solvimus art. 656. quem consule.

685 Dices. Cur Deus aliquos impios statim in hac vita punit, alios non item? Quosdam justos tranquillam vitam, ac bonis cumulatam, agere sinit; alios verò ærumnis continenter vexat. „ Homo sum, respondet Salvianus, non intelligo, secreta Dei investigare non audeo, & ideò etiam attentare formido; quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris. Quid me interrogas, quare alter major sit, alter minor? alter miser, alter beatus? alter fortis, alter infirmus? qua causa quidem hæc Deus faciat, non intelligo; sed ad plenissimam rationem abundè sufficit, quod a Deo agi ista demonstro „, *lib.* 3, *de Gub. Dei*. R. 2. Si omnia constanti quadam lege fierent, potius deducerent impii, nulla providentia mundum gubernari, sed omnia pondere suo statutis a natura legibus ire, ac necessitate constante ferri. Hac autem varietate mirabili, quæ nec omnes probos bonis cumulatos, nec omnes perenniter afflictos; improbos quandoque impunes, ac rebus omnibus affluentes ad ultimam senectam pervenire; quandoque tamen justas pœnas luere, satis superque ostenditur invisibilem quandam mentem omnia disponere, ac providere, miro tamen ac imperscrutabili modo, humanum captum penitus superante. Hæc etiam fortassè pendent ab occulta quadam connexione systematis nostri globi cum aliorum astrorum errantium systematibus, quæ divinando tantum conjectamus existere; quamvis, depositis præjudiciis, hanc opinionem similem vero esse, sana ratio minimè abhorret. Quæ si ita sunt, hæc mirari desinemus, quum ea, quæ extra nostram terrenam hanc patriam geruntur, aliter quam conjectando intueri possimus.

686

686 Oppon. 2. Moralium præceptorum observantia necessaria est homini ad suam felicitatem obtinendam (658), eorumque notitia, si Deus omnibus providet, cunctis mortalibus altè impressa esse deberet: hoc autem falsum esse testantur nationes barbaræ, belluarum more viventes: nulla igitur est providentia rerum humanarum. R. *dist. maj.* Moralium præceptorum generalis notio omnium captui accomodata necessaria est, *conc. maj.* ad singulares conclusiones ex illis principiis longa ratiocinatione deductas, *neg. maj.* Equidem fidentissimè affirmo, nullum mentis compotem generali illa præceptorum legis naturalis notione destitui. Argumentum a barbaris nationibus desumptum validum esset, si intima cordis barbarorum arcana rimari liceret, inibique penitus obliterata dogmata illa naturæ contueri. Quod nisi probent sibi licuisse providentiæ divinæ osores; ea fronte, qua perfractè asseverant omnem penitus in barbaris justi, ac honesti ideam obliteratam, & nos in ipsis permanere contendimus. Nec modus ipsorum operandi contra hujusmodi principia aliquid evincit; esset enim & hoc argumentum validum, plures cultarum nationum incolas dogmata illa ignorare, quæ, etiam impendentibus capiti pœnis gravissimis, adeò licenter infringunt.

687 Schol. Quomodo Deus omnibus ad salutem necessaria subsidia præparârit, nullumque etiam in remotissimis barbarorum regionibus existere qui jurè de Deo conqueri possit, auxilia sibi denegasse, quæ ad vitam æternam assequendam conducunt, in sublimiori theologia tractatur. Alia item argumenta, quæ a præscientia Dei hauriuntur, ac rebus necessitatem imponi probare conantur, suis quæque locis explicata manent, ne eadem repetamus.

688 Oppones 3. Indignum Dei majestate videtur de minimis curare, quod & romanæ leges prætorem dedecere judicarunt: ergo nulla datur specialis providentia, quæ singulis rebus prodeat. Quod & D. Paulus innuere videtur, de bobus non curare Deum asserens; ac D. Hieronymus comprobat, negans Deum scire per singula momenta, quot nascantur culices, aut moriantur. R. *neg. ant.* cujus falsitas demonstratur ex Evangelio: *Nonnè duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?* cui contradicere Paulus minimè censendus est: atque adeò de curâ illa comparativa, quam ad homines Deus extendit, inibi manifestè loquitur. Quod idem dicendum ad Hieronymi verba, ut ipse explicat; eamdem rationabilium, atque irrationabilium providentiam esse negans. Ceterum providentia divina nulla anxietate, ac negotio, ut epicurei sibi fingebant, ad minimas

mas etiam res se extendit; omnia simplicissimo intuitu sine ulla confusione intuens, ac mirabili artificio ad universi machinationem disponens, ut singula quæque ad unum finem mirificè consentiant. Et quidem a sensationum nostrarum haustis judiciis plura vilia, fœda, inutilia putamus; eo quod sensus offendant, ac malè afficiant, quæ tamen in se spectata ejus generis censenda sunt, ac aurum, gemmæ, flores, &c. quorum & usu delectamur, ac magno in pretio habemus. Quod si aliis sensibus donati fuissemus acrioris irritamenti capacibus, fortassis ea, quæ magni ducimus, pro fœdis ac vilibus æstimaremus.

689 Corol. Ex dictis spontè descendit, absurdum planè esse duorum principiorum commentum, quod antiquum orientis populorum dogma in religionem christianam manichæi introducere tentarunt: omnia bona a bono principio, mala a malo originem ducere existimantes. Hujusmodi opinio absurda planè, ac omnibus metaphysicæ notionibus contraria, nullis argumentis innititur, quam iis a malorum existentia deductis, quæ etiam Baylii cavillationibus roborata, hactenus proposuimus, ac solvimus. Sanè quæcumque afferri possunt *a posteriori* argumenta, etiamsi perspicua videantur, puri puti paralogismi censendi sunt, si contra demonstrationem *a priori* pugnare, manifestum prorsus sit. Porrò, ut fatetur Bayle, argumenta a priori contra, a posteriori stant pro manichæis: causa igitur cadat, oportet; quippè paralogismis, haudquaquam ratione decertant. Clarkii Samuelis contra Bayllium hæc olim fuit animadversio; nullum esse hominem, qui de physicis malis rectè posset judicare; quum integrum naturalium rerum systema ignoremus, ad quod omnia mala physica referuntur. Quo posito, quis umquam mala physica absoluta esse mala demonstrabit, ac non relativa, & quæ respectu totius systematis bona dicenda sint? Idem suo modo de malo morali dicendum est, cujus permissio etiamsi malum relativum sit ei, qui sua abutitur libertate, ad systematis generale bonum ad amussim quadrare manifestum est, vel ex eo solum capite, quod *culpa illa talem ac tantum meruit habere Redemptorem*. Hic enim cum manichæis res nobis est, qui christianam religionem profitebantur. Sed hæc hactenus.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

De Deo religiose colendo.

§. I.

De Religione generatim.

690 *Religionis* nomine cultum illum amoris, honoris, & obsequii ei, cui debetur, exhibitum intelligimus. Cultus autem hujusmodi non uno ex capite vitiosus esse potest: nam si exhibeatur, cui non convenit, aut modo ac ritibus minus decentibus, vel denique non rectè de ipsius natura, ac rebus ad ipsum pertinentibus, sentiendo, cultus ille absurdus sit, necesse est, quem *superstitionem* solent appellare. Quacumque enim ex parte a recta ratione discesseris, etiamsi ponderosis cæremoniis, quæ augere magis cultum, quam minuere videantur, prosequaris, in vitium ducet culpæ fuga, ac proindè in superstitionem impingit. Imò ab hoc pietatis excessu nomen *superstitionis* inventum testatur Lucilius in Cicerone, religionem a superstitione discriminans his verbis: „ Cultus autem deorum est optimus, itemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta, & mente, & voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, *superstitiosi* sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, sunt dicti *religiosi* ex relegendo . . . Ita factum est in superstitioso, et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis „ lib. 2, de Nat. Deor. cap. 28.

691 Religionem in *naturalem*, ac *revelatam* distribuunt. Prima ea omnia continet, quæ ad Dei cultum naturæ ductu, ac rationis lumine pertinere cognoscimus. Revelata præter ea, quæ ratione duce supremo Numini exhibenda cognovimus, extenditur etiam ad illa, quæ Deus homini patefacere voluit ad sui cultum spectantia. Utramque rursus in *theoreticam*, et *practicam* licet distinguere; prout nimirum ad ea, quæ de Numine Supremo credere, aut in ipsius obsequium agere oportet, religionem referri consideramus.

692 Corol. Religio revelata complectitur naturalem: imò ipsius perfectio, et complementum meritò dicenda venit:

nit:

mas etiam res se extendit; omnia simplicissimo intuitu sine ulla confusione intuens, ac mirabili artificio ad universi machinationem disponens, ut singula quæque ad unum finem mirificè consentiant. Et quidem a sensationum nostrarum haustis judiciis plura vilia, fœda, inutilia putamus; eo quod sensus offendant, ac malè afficiant, quæ tamen in se spectata ejus generis censenda sunt, ac aurum, gemmæ, flores, &c. quorum & usu delectamur, ac magno in pretio habemus. Quod si aliis sensibus donati fuissemus acrioris irritamenti capacibus, fortassis ea, quæ magni ducimus, pro fœdis ac vilibus æstimaremus.

689 Corol. Ex dictis spontè descendit, absurdum planè esse duorum principiorum commentum, quod antiquum orientis populorum dogma in religionem christianam manichæi introducere tentarunt: omnia bona a bono principio, mala a malo originem ducere existimantes. Hujusmodi opinio absurda planè, ac omnibus metaphysicæ notionibus contraria, nullis argumentis innititur, quam iis a malorum existentia deductis, quæ etiam Baylii cavillationibus roborata, hactenus proposuimus, ac solvimus. Sanè quæcumque afferri possunt *a posteriori* argumenta, etiamsi perspicua videantur, puri puti paralogismi censendi sunt, si contra demonstrationem *a priori* pugnare, manifestum prorsus sit. Porrò, ut fatetur Bayle, argumenta a priori contra, a posteriori stant pro manichæis: causa igitur cadat, oportet; quippè paralogismis, haudquaquam ratione decertant. Clarkii Samuelis contra Bayllium hæc olim fuit animadversio; nullum esse hominem, qui de physicis malis rectè posset judicare; quum integrum naturalium rerum systema ignoremus, ad quod omnia mala physica referuntur. Quo posito, quis umquam mala physica absoluta esse mala demonstrabit, ac non relativa, & quæ respectu totius systematis bona dicenda sint? Idem suo modo de malo morali dicendum est, cujus permissio etiamsi malum relativum sit ei, qui sua abutitur libertate, ad systematis generale bonum ad amussim quadrare manifestum est, vel ex eo solum capite, quod *culpa illa talem ac tantum meruit habere Redemptorem*. Hic enim cum manichæis res nobis est, qui christianam religionem profitebantur. Sed hæc hactenus.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

De Deo religiose colendo.

§. I.

De Religione generatim.

690 *Religionis* nomine cultum illum amoris, honoris, & obsequii ei, cui debetur, exhibitum intelligimus. Cultus autem hujusmodi non uno ex capite vitiosus esse potest: nam si exhibeatur, cui non convenit, aut modo ac ritibus minus decentibus, vel denique non rectè de ipsius natura, ac rebus ad ipsum pertinentibus, sentiendo, cultus ille absurdus sit, necesse est, quem *superstitionem* solent appellare. Quacumque enim ex parte a recta ratione discesseris, etiamsi ponderosis cæremoniis, quæ augere magis cultum, quam minuere videantur, prosequaris, in vitium ducet culpæ fuga, ac proindè in superstitionem impingit. Imò ab hoc pietatis excessu nomen *superstitionis* inventum testatur Lucilius in Cicerone, religionem a superstitione discriminans his verbis: „ Cultus autem deorum est optimus, itemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta, & mente, & voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, *superstitiosi* sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, sunt dicti *religiosi* ex relegendo . . . Ita factum est in superstitioso, et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis „ lib. 2, de Nat. Deor. cap. 28.

691 Religionem in *naturalem*, ac *revelatam* distribuunt. Prima ea omnia continet, quæ ad Dei cultum naturæ ductu, ac rationis lumine pertinere cognoscimus. Revelata præter ea, quæ ratione duce supremo Numini exhibenda cognovimus, extenditur etiam ad illa, quæ Deus homini patefacere voluit ad sui cultum spectantia. Utramque rursus in *theoreticam*, et *practicam* licet distinguere; prout nimirum ad ea, quæ de Numine Supremo credere, aut in ipsius obsequium agere oportet, religionem referri consideramus.

692 Corol. Religio revelata complectitur naturalem: imò ipsius perfectio, et complementum meritò dicenda venit:

nit:

nit: nec enim ea, quæ rationis lumine ductante natura Deo præstanda cognovimus, a revelatione excludi possunt. Utraque enim Dei vox est, qui sibi contrarius esse non potest, pugnantia præcipiens.

693 Prop. 1. *Deo debetur religio*. Prob. Religio est cultus amoris, honoris, et obsequii (690): atqui hæc tria debentur Deo: quod sic ostendo. Deus est suprema rerum causa (628), in nos beneficentissimus, ac nostram intendens felicitatem (654): sed beneficia amore rependuntur; ergo Deo amor debetur. Deindè Deus est infinitus, omni genere perfectionis perfectissimus (620, et seq.): at quo perfectior res est, eo magis æstimationem, ac honorem meretur. Enti igitur perfectissimo honor supremus est deferendus. Demum Supremo Domino obsequium est impendendum: Deus supremus est omnium Dominus (628): est igitur omni obsequio prosequendus. His adde consensum omnium gentium; nec enim sub cælo reperire fas est nationem integram omni prorsus cultu destitutam. Imò epicurei ipsi, qui providentiam de medio sustulerunt, delicatos ac monogrammos deos, otio vacantes, confinxerunt; cultum tamen aliquem, ac religionem reliquerunt, ut videre licet in lib. 1, de Nat. Deor. cap. 17.

694 Prop. 2. *Religio naturalis existit, omnemque hominem rationis compotem obligat*. Prob. Deo debetur religio (præc.): sed non ab alia creatura, quam a rationis compote, quippè amoris, honoris ac obsequii actus a ratione procedunt: ergo omnis homo rationis particeps religiosum cultum Deo exhibere debet. Porrò quum Deus providentissimus sit (681), ac religio maximè necessaria, providere debuit, ne homini lumen illud deficeret, quo ad obsequium Deo præstandum duceretur: enimverò cultus Deo exhibendus, naturæ lumine dictatus, est religio naturalis (691): existit igitur, atque hominem quemque ratione gaudentem obligat. „ Sit igitur hoc jam a principio persuasum civibus, Dominos esse omnium rerum, ac moderatores deos, eaque, quæ gerantur, eorum geri ditione, ac numine, eosdemque optimè de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri: piorumque, et impiorum habere rationem: his enim rebus imbutæ mentes, haud sanè abhorrebunt ab utili, et a vera sententia. Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stultè arrogantem, ut in se rationem, et mentem putet inesse, in cælo, mundoque non putet? aut ea, quæ vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? quem verò astrorum ordines, quem dierum, noctiumque vicissitudines, quem mentium temperatio, quemque ea, quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogant, hunc hominem omninò numerare qui decet? . . . Utiles autem esse opiniones has, quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantæ salutis sint fœderum religiones? quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit? quamque sancta sit societas civium inter ipsos diis immortalibus interpositis tum judicibus, tum testibus? „ Cic. lib. 2, de leg. cap. 7.

695 Prop. 3. *Religio una tantum verè esse potest*. Prob. Si plures essent religiones veræ, hæ vel a multiplicitate objectorum veri cultus; vel a diversitate cultuum, quibus ritè Deus unus coleretur, provenirent: e neutro autem fonte diversitas religionum dimanare valet: ergo una tantum vera sit, oportet. Assumptio quoad primam partem ostensa manet, ubi unitatem Dei demonstravimus art. 130, et 625. Altera pars sic comprobatur: diversitas illa cultuum aut contraria est rationi, aut ipsi conformis; si primum dixeris, a vera religione deficit, quippè absurda, quum rationi opponatur. Quod si rationi consentaneam asseras; erit ejusdem tantum cultus modificatio diversa, quæ essentialem varietatem inducere non potest; atque adeò ejusdem religionis naturalis pars; verum namque vero contrarium esse non potest; ut est apertissimum. Una igitur vera religio esse potest.

696 Schol. Quin *de atheis* loquamur, qui ut nullum agnoscunt Deum, ita nullam religionem admittunt, *theista* sivè *deista* vocatur, qui nullum aliud dogma religionis, præter unius Dei existentiam recipit: ceterum *deistarum* familia in plures ramos dispescitur: alii enim providentiam agnoscunt, ac legem quandam naturalem recipiunt, qui et *naturalistæ* audiunt: alii providentiam inficiantur, ut epicurei, nullamque admittunt religionem, præter illam, quam Vellejus profitetur, illa suæ fidei professione, qua orationem pro Epicuro concludit: „ His terroribus ab Epicuro soluti, et in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus, nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quærere; et piè sanctèque colimus naturam excellentem, atque præstantem. „ de Nat. Deor. lib. 1, c 20. Longè latèque vagatur *polytheistarum* religio, qui plures deos adorantes tot faciunt religiones, quot falsa numina sibi confingunt: ita ut juxta nationum diversitatem, et differentes deos, et ritus, et dogmata consectentur diversa. *Manichæismus* (689) duo principia opposita statuens, alterum boni, alterum mali auctores, biformem etiam religionem inducit. Denique *pantheismus*, qui omnium absurdorum complexio dici posset, vel est ille stoicorum, qui valdè ambiguè loquentes tum mundum, astra nimirum, naturamque universam a Deo ani-

animatam contendunt; quem etiam planè a natura distinguunt, ut stoici Senecæ opera, ac Justi Lipsii de stoicorum philosophia librum evolventi planum fiet: vel ille Spinozæ (209) substantiam materialem, ac Deum promiscuè habentis. Atque hæ sunt præcipuæ religiones, citius dixerim religionis depravationes, quæ contra theologiam naturalem hactenus traditam, adversa fronte pugnant; ac proindè per præc. nulla ex his vera esse potest.

697 Corol. 1. Absurda igitur ac rationi contraria est illa indifferentia religionis, quæ hodiernis moribus mirificè comprobatur; perindè quasi Deus aliquis stolidus colendus foret, cui indifferens sit, aut se, aut numina *sanctarum gentium illarum, quæis dii nascuntur in hortis*, tamquam Supremum Numen adorari: casta mente, ac corpore puras ad eum manus tollere, aut bacchanalibus, saturnalibus, Lœnæ, Lupæ, Floræ, Veneris, Priapi &c. sacrificiis impurissimis, atque humano etiam sanguine infamibus, homines inquinari. Equidem si Deus unus, si perfectus, si sanctus, si providus, nonnisi ille cultus, qui ejus attributis conformis sit, ipsi placere umquam potest; nec alios ab infinita sua perfectione desciscentes, ac rectæ rationi contrarios, sivè partem theoreticam, sivè practicam respicias, non abhorrere.

698 Corol. 2. Præcepta illa juris naturæ (658), quum religionem naturalem practicam constituant, omnes ratione utentes obligant: neque de his ulla invincibilis, seu excusatione digna ignorantia umquam allegari potest. Nam si extat religio naturalis, si hæc omnes obligat, si nulla alia esse vera religio potest, quæ hujusmodi dogmata non profiteatur, horumque obligationem solvat; hæc satis promulgata esse debet, ut ab omnibus queat observari; lex enim non promulgata nullam parit obligationem. Porrò hæc promulgatio facta esse debuit modo conveniente, ita ut ab omnibus satis percipiatur; quod quidem tantummodò per vocem ipsam naturæ fieri potet, quæ omnibus intimè conjuncta est, ut auscultari possit.

699 Schol. Lubet hæc omnia confirmare benè contexto M. Tullii ratiocinio, in quo & hactenus dicta continentur, & argumentis, quæ contra fieri possunt, occurritur. „ Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit, & ornavit Deus, perspicuum sit illud (ne omnia disserantur) ipsam per se naturam longius progredi: quæ etiam nullo docente profecta ab aliis, quorum, ex prima, & inchoata intelligentia, genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem & perficit . . . nec est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non possit. Nec solum in rectis, sed etiam in pravis actibus insignis est humani generis similitudo . . . Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, justos natura nos esse factos . . . tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dari, exorianturque, & confirmentur vitia contraria. Quod si, quomodo est natura, sic judicio homines *humani* (ut ait poeta) *nihil a se alienum putarent*, coleretur jus æquè ab omnibus: quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo & lex, quæ est recta ratio in jubendo, & vetando; si lex, jus quoque. At omnibus ratio, jus igitur datum est omnibus. Quod si homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet, quænam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret ab se commissum esse facinus, aut justi sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturæ jure aliquo quæreret ... quod si pœna, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab injuriosa, facinorosaque vita: nemo est injustus, at incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua, atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem, vel judicem? Quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit imbecillum, atque solum? Noster quidem hic natura justus vir, ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet. Is verò, qui nihil alterius causa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit, se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe judicet, sed quod metuat, ne emanet, id est ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant! Jam verò stultissimum illud, existimare omnia justa esse, quæ scita sint in populorum institutis, aut legibus... Est enim unum jus, quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una: quæ lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sivè est illa scripta uspiam, sive nusquam. Quod si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura statuerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, & scitis multitudinis probarentur... Atqui nos legem bonam a mala, nulla alia, nisi naturali norma dividere possumus. Nec solum jus, & injuria a natura dijudicantur, sed omninò omnia honesta, ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute po-

ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione existimare, non in natura ponere, dementis est. Nam nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur (in quo abutimur nomine), in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est, honesta quoque, & turpia natura dijudicanda sunt... Ipsum enim bonum non est in opinionibus, sed in natura: nam ni ita esset, beati quoque opinione essent; quo quid dici potest stultius? Quare quum & bonum, & malum natura judicetur, & ea sint principia naturæ; certè honesta quoque, & turpia simili ratione dijudicanda, et ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque dissensio, et quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus. Quod est longe aliter: nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis, quos modò enumeravi, qui teneros, et rudes quum acceperint, inficiunt, et flectunt, ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, et scabie carent, non cernimus satis.„ Tull. lib. 1, de Leg. c. 9.

700 Corol. 1. Absurdum igitur ostensum est a M. Tullio systema Hobbesii (adeò antiqua sunt ista, quæ a recentibus velut nova cuduntur), qui sua sensa sic exprimit. „Natura ergo dedit cuique jus in omnia: *hoc est* in statu merè naturali, sivè antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, unicuique licebat peragere quæcumque, et in quoscumque; licebat et possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat, et poterat . . . ex quo etiam intelligitur, in statu naturali mensuram juris esse utilitatem... ante imperia justum, et injustum non extitere... actioque omnis sua natura adiaphora est... Status naturæ status belli est, ac hostis est quisque cuique, cui neque paret, neque imperat.„ Verba sunt ipsius diversis locis exscripta ex *lib. de Cive*. Nec minus absurdum illud, voluntatem imperantis regulam esse justi, ac injusti, quod modò validissimè refutatum ab homine minimè præjudicato lectitavimus.

701 Corol. 2. Non minus absurdum est Spinozæ systema e suo pantheismo deductum. „Naturæ potentia ipsa Dei potentia est, qui summum jus ad omnia habet. Sed quia universalis potentia totius naturæ nihil aliud est, præter potentiam omnium individuorum simul; hinc sequitur unumquodque individuum jus summum habere ad omnia

omnia, quæ potest... Jus itaque naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate, & potentia determinatum est.„

702 Corol. 3. Idem dicendum de Helvetii, aliorumque opinionissimorum hominum opinionibus, qui jus naturale ab utilitate derivant, aut plerumque ad voluptatem physicam referunt: aut Russoi, homines in statu naturali, velut feras sylvestres, nullis legibus societatis teneri, asserentis. Mitto alia subtilioris disputationis, quæ juris naturalis recentes auctores in medium protulerunt; nec enim hæc adeò adversa fronte jus naturale convellunt, ut non longa disquisitione opus sit ad eorum refutandas opinationes; quod jam alii recentiores scriptores novissimè præstiterunt, nec nostri instituti ratio ad hujusmodi jurisprudentiæ magis, quam metaphysicæ controversias excutere sinit.

§. II.

De Religione revelata.

703 Positio 1. *Religio revelata possibilis est*. Prob. Nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus peculiariter homini manifestet aliquas veritates, ac imperet aliquos actus ac ritus ad suum cultum spectantes: quis enim neget, hoc a supremo ejus in creaturas dominio ipsi competere; aut ipsum decere, a creatura speciali modo coli, prout ipse declarare voluerit? Hæc autem notio est religionis revelatæ (691): est igitur possibilis.

704 Positio 2. *Præter religionem naturalem, religio etiam revelata homini in præsenti rerum statu necessaria est*. Prob. Rebus ut nunc stantibus, plura, quæ ad religionem naturalem pertinent, intellectus humanus assequi non potest: aliud igitur lumen ipsi affulgere debuit, ut ad finem suum perduceretur, ac religionem naturalem observaret. Antecedens longa inductione ab heroicis ducta temporibus manifestum est; si enim id fieri posset, gens aliqua ostenderetur, quæ mores suos ad normam legis naturalis sine revelationis ope composuerit: compertum autem omninò est ab historia auctorum retrò sæculorum, nullam fuisse gentem, imò nec urbem aliquam nationis etiam sapientissimæ, quæ religionem naturalem tam theoreticam, quam practicam fœdissimè non deturparit. Quæ enim ex universo orbe terrarum indicari potest natio, regnum, provincia, urbs, pagus, quæ plures deos non coleret, si Hebræorum gentem excipias; aut creaturis insensatis cultum non exhiberet? Superfluum esset nationum polytheistorum catalogum contexere, quum uno verbo satis sit, totas quatuor orbis partes idololatriæ deditas affirmare,

quin nemo unus assertum, exemplo aliquo in contrarium adducto, infirmare umquam possit.

Quod si fundamentum religionis naturalis, quæ in veri Dei cognitione, atque cultu inniti debet (695), omninò corruit, dogmata illa practica, quæ moralem respiciunt, sarta tecta remanere haud poterant. Sanè philosophorum doctissimus æquè, ac disertissimus M. Tullius, *quum cognovisset Deum, non sicut Deum glorificavit*, admittens inanium deorum cultum, ac cæremonias, quibus romani in colendis suis numinibus utebantur, ut ex 2 lib. de Leg. planum est. Imò sanctissimus ille apud Græcos philosophos Socrates, cicutam hausturus, gallum gallinaceum sacrificare jussit Æsculapio. Quid autem de infamibus criminibus dicam, quibus universum genus humanum depravatum fuit? ut ea velo obducere, quam in medium proferre consultius omnes judicent. Et quidem si deorum suorum exempla homines consecrati, licere sibi existimare debebant, quidni scelera omnia patrarent, quorum theologia nefandis incestibus, adulteriis, raptibus, odiis, rivalitatibus, mendaciis, latrociniis, dolis, quibus vel perditissimus quisque erubesceret, scatebat? Rem fusè prosequitur Clemens Alexandrinus in *Protreptico*, Lactantius *cap.* 9, *lib.* 1, *Divin. Inst.* omnesque antiqui religionis christianæ apologetici auctores, testimoniis ab ipsis ethnicis scriptoribus prolatis; nec qui Hesiodum, Homerum, Virgilium, Ovidium cet. legerit, dubitare umquam poterit asserti veritatem.

705 Prob. 2. Quum homo libertate *indifferentiæ* gaudeat (500), religionem naturalem violare potest, imò frequenter ab ipso violari, ac violatam fuisse, res est manifestissima: statum autem suum post hanc transgressionem, ejusque ad Deum relationes e legis naturalis dogmatibus cognoscere homo non poterat: ergo peculiari lumine indigebat, quo post frequentes legis infractiones, sciret quomodo, aut Deum posset placare, aut quid ab ipso timendum, quid sperandum tum in præsenti, tum in futuro rerum statu sibi esset. Ad Dei etiam providentiam spectabat, quoniam & liberum hominem condidisset, ejusque a lege defectiones omninò prænoscebat (636), miserando huic statui providere, ne opus, quod fecerat, penitus corrumperetur ab eo maximè capite, quod præcipuum erat. Quis enim rationis compos sibi persuadeat, sapientissimum Deum, qui omnia ad necessitates, ad commoda, ad delicias etiam hominis beneficentissimè præparasset, hujusmodi neglexisse statum, in quem ab libertatis abusu prolapsurum illum cognoscebat? Sanè hoc revelationis osores maximè in votis haberent, quod Deus omnia alia curaret, ac sibi benefice de corporis voluptatibus provideret; ce-

cetera autem divinitatis epicureæ more negligeret, ut hac molestia liberaretur. Quod si ita eveniret, nemo unus in revelationem insurgeret; nec tanta sollicitudine argumenta conquirerent, ut illam profligarent, si interdicta, supplicia, minas, uno verbo, mores non attingeret.

706 At, inquies, nobis fatentibus, religio naturalis per plura sæcula viguit, nec nisi post diluvium religio revelata ortum habuit: aut igitur sufficiens est religio naturalis, aut hominem per tot sæcula neglexit Deus, contra ac in probatione assumpsimus ad revelationem asserendam. R. *neg. secundam partem ant.* Falsum enim est, revelatam religionem, mundo ferè coævam, post diluvium incepisse. Præceptum enim Adamo intimatum legem naturalem non spectabat; adeòque ad revelatam religionem pertinere, manifestum est ex definit. art. 691 tradita. Promissio etiam Reparatoris humani generis post transgressionem interdicti divini, revelatio fuit, cui innitebatur status hominis futurus, ac in totius vitæ moralem cursum influere debebat. Falsum igitur est, religionem revelatam ante diluvium minimè viguisse.

707 Schol. Antiquos etiam philosophos subodoratos fuisse præsentem gradum primitivum illum non esse, in quo homo a suo Creatore collocatus fuerat, art. 656 Ciceronis verbis luculentissimè ostensum manet. Et quidem adeò manifesta sunt argumenta, ex quibus præsentem rerum constitutionem aliam esse ab ea, quæ e manibus Creatoris initiò exivit, deducitur; ut difficile non fuerit, acri ingenio philosophis ratiocinando id deducere. Quis enim sibi persuadeat, naturam humanam adeò pronam in malum, atque abhorrentem a bono ab primitiva sua conditione esse potuisse? Sanè si inclinatio major ad malum, quam ad bonum propensio, contigisset homini ab essentia sua, ac intrinsecis naturæ principiis, opus valdè imperfectum foret, in quo malum bono prævaleret, quin una aliqua prærogativa hunc defectum posset pro merito compensare. Experientia enim quotidiana docemur, etiam utrinque momentis æqualibus, bono ac malo propositis, imò & gravioribus pro bono stantibus, ad malum propendere fortius, nec nisi summa difficultate ab bonum amplectendum adduci. Quid? nonnè brevibus passibus ad improbitatem devenimus; longissimo autem cursu, ac sæpè retrogrado, ad virtutem adrepimus? animalia rationis expertia a natura adjuta ea præstant, quæ ad suum finem ipsa conducunt; homo rationis particeps, natura ipsa reluctante, ab eo impeditur? Quæ quidem omnia, ac plura alia, quæ afferri possent in medium, satis indicant, hominem sua culpa e primitivo illo statu ad hunc, in quo hæc

mala experîtur, miserè esse delapsum. Sed hæc ad theologos.

§. III.

De Religione Christiana.

708 Religio Christiana illa apud omnes audit, quæ in libris novi Testamenti, ac præcipuè in quatuor Evangeliis expressa continetur. Præcipua hujus religionis dogmata, quæ fundamentum ipsius dici possunt, sunt divina Christi missio, miracula, doctrina, mors pro communi hominum salute, & a mortuis suscitatio. Si hæc omnia rata sunt, christiana religio vera est: quod quidem ita ostendemus, ut limites theologiæ naturalis non excedamus, reliqua sublimiori theologiæ permittentes.

709 Prop. 1. *Rerum gestarum a Christo historia, quam habemus, saltem eam fidem meretur, quam probatissima quæque ad nostra tempora perlata.* Prob. Ea de causa annales Græcos, Romanos, Sinenses; Thucydidis, Polybii, Sallustii, Cæsaris, Livii, Suetonii, Taciti historiæ ab omnibus recipiuntur, quod vel ab oculatis testibus, vel e publicis monumentis, vel denique de rebus omnibus notis scribant, quæ ab aliis etiam comprobentur ejusdem, aut proximioris ævi scriptoribus: enimverò characteres hujusmodi in historia rerum gestarum Christi Domini luculentiore forma insculpti reperiuntur: omninò igitur sanæ criticæ legibus stando, admittenda est. *Prob. maj.* Scriptores aut oculati testes sunt, aut ab oculatis testibus acceperunt ea, quæ scribunt, & postquam lucem hujusmodi scripta viderunt, non solum ab aliis, qui & testes fuerant, aut ab eisdem eadem acceperant, sed a rivalibus etiam ejusdem doctrinæ sunt confirmata silentio; quum si falsa fuissent, mendacii protinus eos arguissent. Nec dubitandum, quin judæi illi, infensissimi christiani nominis hostes, qui eum de medio tollendum curarunt, posteaque in discipulos tot probris, fraudibus, dolis, suppliciis decertarunt, hoc præcipuè facinus exprobrassent, aut mendacia de Christo exarasse, aut scripta ab aliis, quam ejus discipulis, fuisse vulgata. Deindè etiam ab illis, qui discessionem fecere, aut omninò, aut sectam novam inducentes, quum maximè sua interesset, veritatem historiæ elevare, longè aliter se gesserunt, eamdem quidem confirmantes, ad suum tamen sensum detorquentes. Sanè Porphyrius, Celsus, Julianus Augustus eam maximè viam tenuissent ad christianam religionem profligandam, si ab hoc argumento auxilium sperassent. Videmus etiam, recentioris ævi sectarios, ab hac parte perfugium quæsivisse, negando ab auctoribus sacris libros illos fuisse conscriptos, qui proprios errores proterebant. Quare igitur antiqui illi hæretici, maximè divinitatem Christo inficiantes, quorum maximè intererat, Evangelistarum testimonia, divinitatem eidem manifestissimè asserentium, de medio tollere, apocryphos libros illos esse numquam asseruerunt, aut certè in dubium revocarunt, aut mendacii redarguerunt? Præjudicium quidem hoc adeò validum est pro ipsorum tum autographia, quum etiam veritate; ut si alia abessent, satis esset, ad historiam vitæ Christi omnibus hactenus scritis monumentis certiorem judicandam.

710 Confirm. Quæcumque alia historica scripta auctores habent, quibus exceptio dari possit adulationis, odii, partium amoris, ambitionis, credulitatis, cetera: atqui characteres prorsus oppositi in scriptoribus rerum gestarum a Christo animadvertuntur. Nam illa prodiderunt, e quibus ærumnæ, tormenta, cruces, omnis generis supplicia infamissima ad internecionem parabantur: maxima animi moderatione, ac modestia, nec umquam exaggerata narratione exponuntur invidentia, odia, calumniæ, persecutiones, doli, supplicia, quibus rivales judæi prosecuti sunt Magistrum, ac discipulos; ut legenti Evangelia, & Apostolorum Actus non sine animi stupore perspicuum est; quemadmodum simplex ille, brevis, ac numquam exaggeratus dicendi modus in referendis sublimissimis illis doctrinæ præceptis, frequentibus rerum imperviarum prædictionibus, portentosisque miraculis, ad quæ exornanda latissimè campus patebat; siqua ambitio, partium amor, aut alia minus ordinata animi affectio stylum duxisset. Demum etiamsi homines rudes majorem partem discipuli fuissent, adeò non se faciles in credendo præbuerunt, ut miraculis ejus resurrectio ipsis comprobanda fuerit, quam toties ante prædictam, mordicus postea narrantibus se ipsum redivivum vidisse, fidem renuebant. Quod si hujusmodi characteres satis non sunt, ut historia fidem extorqueat, auctoritatis criterium, ac fides hominum (Log. 282) omninò exulare ab orbe jubeantur, oportet.

711 Prop 2. *Christum esse Deum, nemo prudenter ambigere potest.* Prob. Si rerum a Christo gestarum narratio fidem meretur, prudenter dubitari non potest, ipsum esse Deum. Historia autem vitæ Christi per præc. omnibus veritatis characteribus insignis est: ergo alterum dubitari non potest. *Prob. maj.* Quæcumque in illa narratione leguntur, in id unum conspirant, ut Christum Deum ostendant: ergo illa vera existente, divinitas Christi demonstrata est. Et quidem aut amentem, aut hominem omnium perditissimum, aut Deum confiteri ipsum necesse est, si vera sunt, quæ de ipso narrantur. Ad amentiam quod attinet,

nemo unus ex ejus inimicis, nec conviciando id illi objecit; imò Herodi id existimanti neutiquam consenserunt: ex quo solum capite ejus doctrinam, sectatores, facta omnia convellere potuissent, ipsum veluti mentis inopem includendo. Quid plura? ab homine mente capto constanter in obsequio discipuli, populus, viri etiam nobiles continerì potuissent? Hoc qui credat, mentis inops ipse sit, oportet. Nec illud incredibile minus, præcepta illa sapientiæ divinæ referta, ac moralis philosophiæ, quam sapientum hominum nullus assecutus fuerat, purissimâ dogmata a scelerato homine tradi potuisse, ac moribus confirmari, quin umquam ab aliquo, vel dicacissimo, dictis facta dissentire reprehensus sit. Quid de portentosis ostentis dicam, quibus divinitatem suam confirmavit? Potuissetne scelestus homo constanter tot prodigia patrare, ac plura pariter post ejus mortem ad religionis ab ipso institutæ confirmationem ab ejus discipulis edi? Si hoc verum esset, tutò liceret affirmare, Deum res humanas negligere, ac susque deque suum honorem habere; quippè hominem iniquissimum divinitatem sibi usurpare sineret, ac tot miraculis, quæ divinitatis sigillum sunt, coram orbe terrarum mendacium obsignare. Homo etiam justissimam apud Deum excusationem prætexere poterat, ipsi respondens: *Domine, si error est quod credimus, a te decepti sumus*. Id igitur unum restat, Christum Deum esse verum confiteri: hoc enim & ipsemet luculenter ubique asserit, miracula in confirmationem hujusce veritatis ex professo edens, ac ejus discipuli ab eo velut præcipuum dogma scholæ christianæ accepisse confirmant; pro quo etiam universo orbi persuadendo innumera patrarunt miracula, ac demum mortem turpissimam oppetiverunt, quam facilè vitare potuissent, ab ejus divinitatis prædicatione cessando.

712 Prop. 3. *Religio christiana vera est, atque a Deo revelata*. Probatur argumentis eisdem, quibus Christum Deum esse modò ostendimus: nam si vera est vitæ Christi historia, si ipse verus Deus est, fieri non potest, ut doctrina ejus vera, atque a Deo revelata non sit, quod quidem luculentum adeò est, ut nihil magis. Sed etiam a miraculis, quibus propagata est, atque ab ejus per orbem diffusione, argumentum validissimum pro religionis christianæ veritate, ac divinitate desumitur; quæ duo paucis concludemus.

713 Confirm. 1. Innumera a Christi discipulis patrata fuisse miracula, partim e libro, cui *Acta Apostolorum* titulo est, partim scriptoribus nascentis Ecclesiæ, constantique reliquorum sæculorum traditione accepimus. Et quidem nisi hoc ita fuisset, quis sibi persuadeat, paucos homines, pauperes, ignobiles, illiteratos, adversantibus suæ gentis principibus primum, deindè etiam tota Romani Imperii vi in ipsos concitata, atque obnitente christianum nomen delere, potuisse doctrinam magistri propagare, nisi portentis inauditis homines ad sibi fidem præstandam compulissent? Nam ut ajebat D. Thomas: *Hæc tam mirabilis mundi conversio ad fidem christianam indicium certissimum est præteritorum signorum . . . esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus, & ignobilibus hominibus*. (Lib. 1. contra Gent. cap. 6.)

714 Confirm. 2. Religio christiana rapidissimo cursu per romanum orbem propagata est, ita ut primo vix elapso sæculo nulla esset provincia, imò nec urbs, oppidumve, ubi Christi nomen non invocaretur. His adde Persarum, Æthiopum, ac Indorum imperia, quo etiam Apostoli penetrarunt: nec nisi magno discipulorum numero relicto, eosdem diem obiisse, credendum est, ab eo, quod ceteros Apostolos in Romano Imperio gessisse, compertum habemus. Mirandum tamen haud esset, brevi tam magnos progressus fecisse religionem, si aut Principem aliquem imperii gloria, divitiis, potentia auctorem cognosceret; aut velut mahumedana secta armis victricibus invecta fuisset; aut effrænatam licentiam suis alumnis permitteret, quin nihil arduum juberet. Verum hominem infami mulctatum supplicio *crucis, cujus nomen ipsum abest non modò a corpore civium romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus*, ajebat Cicero Rabirium defendens, romanis civibus, Patriciis, Senatui, Imperatoribus adorandum proponere, non eloquentia, non armis, non morum licentia, suavem doctrinam proponendo; sed ab hominibus ignaris, sed suppliciorum omnis generis perpessionem, sed severissimam morum disciplinam prædicantibus; idque tandem non paucis, sed toto qua latè patebat imperio persuasisse: id demum non portentum voco, sed portentorum congeriem; quæ si moralis demonstratio religionis christianæ non est, nullam in moralibus valere demonstrationem contendo. More suo hæc argumenta eleganter æquè, ac venustè perstringit Abbadius carmine 42.

Vix orta, interitum, & tragicam subitura ruinam,
Nec dominatura, aut umquam vulganda per orbem
Esse videbatur, Christus quam sanxit Jesus,
Religio. Nova vult credi mysteria, nec dum
Hactenus audita, & prætergredientia longè
Quamlibet excelsæ humanæ fastigia mentis . . .

Talis nostra Fides. *Quid* Lex? *contraria rursus*
Sensibus, austera aspectu, assiduèque coercens.
Assultus animi, morbosque propagine nobis
Ingenitos, queis ignavi succumbimus ultrò . . .
Ergone lex adeò injucunda inimicaque carni,
Hæccine Lex, *hæc* Religio *contendere cursu*
Cum Sole? Ultra etiam Solis, metarque diei
Ire, & terrarum totum regnare per orbem?
Nulla humana quidem capere, aut præsumere posset
Spes hoc. Hoc autem fidei auctor Christus Jesus
Nil dubitans præsignificat, faturque perindè,
Ac si præterita de re jam, reque peracta
Colloqueretur . . . . . .
Sic vicisse, opus Excelsi est, divinaque prorsus
Hæc est non opibus, non vi, non impete, & armis
Præveniens, tota & cedens victoria victis.

715 Prop. 4. *Sola religio christiana pro vera habenda est, quam proindè omnes mortales amplecti teneatur.* Prob. Una tantum religio vera esse potest (695): at ex demonstratis religio christiana vera est (713): sola igitur religio christiana vera haberi debet. Rursus, Deo debetur religio (693): hæc autem nonnisi quæ vera, & a Deo revelata sit, esse potest; quum absurda, ac rationi contraria *indifferentia* religionis ostensa maneat (697): Christianam igitur religionem omne mortalium genus complecti debet. Qui plura hujus argumenti velit, adeat Pauli Segneri *Incredulum*: Hugonis Grotii librum de *Rel. Xptiana*: Nonnoti *Lexicon Religionis*: Paræ *Philosophiam Religionis*: Valsecchi *Fundamenta Religionis*, aliosque innumeros.

716 Schol. Singillatim omnia argumenta, quæ in religionem christianam increduli homines commenti sunt, longum esset exponere, minimèque necessarium juventuti, quæ non in medio nationis pravæ versatur, quamque munire oporteat contra impiorum scriptiones, quæ publicæ potestatis vigilantia e nostro orbe penitus exulant, atque ab omnibus velut pestes publicæ meritò abhorrentur. Hoc unum vobis satis sit argumentum, ut flagitiosorum hujusmodi hominum libros execremini; neminem etiamnum contra religionem stilum acuisse, cui a moribus exceptio aliqua dari nequeat. Et quidem confidenter affirmo, quod nullus contra Christi religionem scriptus fuisset liber, si ipsa nulla moralia dogmata complecteretur. Sed quod magis sanæ mentis hominem contra hodiernos religionis impugnatores munire debet, eorumdem est incoherentia, ac perennis contradictio. Notum satis est Russoi nomen, ac in religionem Christi infestæ excursiones: audiantur nunc ipsius verba e gallico in latinum sermonem conversa. *Fatear, a majestate Scripturarum me rapi. Evangelii sanctitas eor ipsum meum alloquitur. Percurrite turgidos philosophorum libros: quam minimi faciendi sunt cum isto comparati? Fierine potest, quod liber sublimis adeò, ac simul simplex, opus sit humanum? Possibilene est, illum esse purum hominem, cujus in eo libro historia contexitur? Quæ morum puritas! quæ suavitas! Quæ documenta flexanima! Quæ dogmata sublimia! Quæ profunda sermonum sapientia! quod vivax ingenium! quanta in suis responsis penetratio, quanta prudentia! quod super animi affectus imperium!.. Si vita, & mors Socratis redolent sapientem; vita, & mors Jesu nequeunt esse viri Dei. Dicemusne Evangelicam historiam ad libitum esse confictam? vah! non ita historiæ confinguntur: & socratica facta, de quibus nemo dubitat, non adæquatum sunt demonstrata, quemadmodum illa Jesu Christi.... Evangelium tam magnis fulget, tam micantibus notis, ut impossibile sit eas imitari, & Inventor pluris faciendus esset quam Heros . . . Quot miserationis opera Evangelii sunt fructus? Quot redintegrationes, & famæ, & substantiæ non parit catholicos inter confessio?* Hic nimirum ille auctor est, qui in eodem *Emilio* pluries in religionem catholicam invehitur; venustamque illam Vicarii Transalpini commentus est *professionem fidei*, cui haud ægre Brahmæ sacerdotes subscriberent.

Sed juvat alium Anglico nomine latentem, qui plura evomuit in christianam religionem maledicta, quam Henriados poema contineat versus, *Bolinghrokium*, inquam, personatum Angliæ Dynastam, qui tamen Angliam nonnisi peregrinus invisit . . . *Nullum reperire licet systema simpliciur, & clarius illo religionis naturalis, prout est in Evangelio . . . . Institui nequeunt cæremoniæ simpliciores Baptismalibus, & Paschalibus, sicuti se habebant in sua origine. Non solum innocuæ sed & utilissimæ erant; natæ enim spiritui conservando veræ religionis naturalis, quum spiritum conservarent religionis christianæ; & idoneæ quoque erant ducendis hominibus ad custodiam præceptorum moralium, quum venerandam præciperent revelationem, a qua fuerant confirmatæ . . . Non solum religionis perfectum systema in christianorum libris invenitur, sed clarum etiam, & simplex . . . . Data etiam hypothesi, quod christianismus inventum sit humanum, inventum tamen foret omnium intelligibilium utilissimum hominibus . . . Christianismus qualis a Dei manibus prodiit, si ita loqui fas est, regula est fidei, cultus, & morum, simplex, & intelligibilis, veram præbens religionis normam . . . Finis Constantini politicus, dum christianam fovebat religionem, non aliò tendebat, quam sibi, suisque successoribus arctissimè conciliandis imperii subditis, variisque simul jungendis gentibus, quibus tan-*

coalescebat, religionem eis præbendo, quæ foret omnibus communis, militum mansuefaciendo ingenio, æstuanti coercendæ licentiæ, quæ in provinciis grassabatur, & spiritum insinuando moderationis, & subjectionis regimini, extinguendis tendebat ignibus illis avaritiæ, ambitionis, injustitiæ, vis, qui tot ærendebant factiones, quique adeò frequenter, & barbarè tranquillitatem exterminabant imperii . . . Injuriâ asseritur, quod christianismus persecutiones excitaverit, quæ natæ sunt non ab Evangelio, sed a systematis super eodem constructis, non a Dei revelatione, sed ab inventis humanis. Systema dogmaticum, & morale christianorum a Deo fuit revelatum, & absurdè æquè, ac impiè affirmatur, divinam Sapientiam imperfectum revelasse, & deficiens. Simplicitas ejus, & perspicuitas ostendunt, revelatum ideò fuisse, ut religio foret humani generis, originemque illius divinam simul demonstrant. Hæc a Tamagna exscripsimus; nec enim ad manum sunt Bolingbrokii personati opera, ex quibus ista derivare possemus.

Atque hæc pro Institutionibus metaphysicis dicta sufficiant; quæ si ritè didiceritis, satis sunt ad animos vestros informandos, atque ea supellectili instruendos, quæ vel ad sacram theologiam, vel ad jurisprudentiam, vel ad alia munia suscipienda abundè sufficiat. Longiorem tractationem facili negotio producere possemus; sed quæ nec uberiorem doctrinam, nec majorem utilitatem vobis afferret pro præsenti studiorum statu, cui nos elucubrationem nostram accomodamus.

FINIS.

IN-

INDEX
CAPITUM.

Præfatio. Pag. 3
Prolegomena Logicæ. 7
Dissertatio I. *De Perceptionibus.* 11
Caput I. *Perceptionum natura, & objectum.* ib.
§. I. *Perceptionis natura.* ib.
§. II. *De Ideis ad objecta comparatis.* 11
§. III. *De Objectis cum ideis comparatis.* 14
Cap. II. *De Idearum diversitate.* 16
§. I. *Idearum formalis differentia.* ib.
§. II. *Differentia idearum ab objectis petita.* 18
Cap. III. *De Notionum signis.* 19
§. I. *Signorum species.* ib.
§. II. *De Terminis vocalibus.* 20
§. III. *De recto Vocabulorum usu.* 22
Dissert. II. Pars I. *De Definitione, ac Divisione.* 25
Cap. I. *De Definitione.* ib.
§. I. *Definitionis notio.* ib.
§. II. *Definitionis leges.* 26
Cap. II. *De Divisione.* 28
§. I. *Divisionis notio.* ib.
§. II. *Divisionis leges.* 29
Pars II. *De Enunciatione, sive Judicio.* 30
Cap. I. *Judicii proprietates.* ib.
§. I. *Judicii notio.* ib.
§. II. *Nonnullæ judicii proprietates exponuntur.* 31
§. III. *Scientia, Fides, Opinio, cetera.* 33
Cap. II. *Suppositio terminorum in Propositione.* 35
Cap. III. *De materiali Propositionum differentia.* 36
§. I. *Propositio universalis, particularis, singularis.* ib.
§. II. *Conversio Propositionum.* 38
§. III. *Oppositio Propositionum.* 40
Cap. IV. *De Formali Enunciationum diversitate.* 42
§. I. *Classes Propositionum.* ib.
§. II. *Veritas, & falsitas Propositionum.* 45
§. III. *Peculiares Propositiones methodi scientificæ.* 46
Dissert. III. *De Ratiocinatione.* 48
Cap. I. *Ratiocinii natura, & fundamenta.* ib.
§. I. *Ratiocinationis natura.* ib.
§. II. *Fundamenta ratiocinandi.* 51
Cap. II. *Argumentationum species exponuntur.* ib.

Cap.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

coalescebat, religionem eis præbendo, quæ foret omnibus communis, militum mansuefaciendo ingenio, æstuanti coercendæ licentiæ, quæ in provinciis grassabatur, & spiritum insinuando moderationis, & subjectionis regimini, extinguendis tendebat ignibus illis avaritiæ, ambitionis, injustitiæ, vis, qui tot ærendebant factiones, quique adeò frequenter, & barbarè tranquillitatem exterminabant imperii . . . Injuriâ asseritur, quod christianismus persecutiones excitaverit, quæ natæ sunt non ab Evangelio, sed a systematis super eodem constructis, non a Dei revelatione, sed ab inventis humanis. Systema dogmaticum, & morale christianorum a Deo fuit revelatum, & absurdè æquè, ac impiè affirmatur, divinam Sapientiam imperfectum revelasse, & deficiens. Simplicitas ejus, & perspicuitas ostendunt, revelatum ideò fuisse, ut religio foret humani generis, originemque illius divinam simul demonstrant. Hæc a Tamagna exscripsimus; nec enim ad manum sunt Bolingbrokii personati opera, ex quibus ista derivare possemus.

Atque hæc pro Institutionibus metaphysicis dicta sufficiant; quæ si ritè didiceritis, satis sunt ad animos vestros informandos, atque ea supellectili instruendos, quæ vel ad sacram theologiam, vel ad jurisprudentiam, vel ad alia munia suscipienda abundè sufficiat. Longiorem tractationem facili negotio producere possemus; sed quæ nec uberiorem doctrinam, nec majorem utilitatem vobis afferret pro præsenti studiorum statu, cui nos elucubrationem nostram accomodamus.

FINIS.

IN-

INDEX
CAPITUM.

Præfatio. Pag. 3
Prolegomena Logicæ. 7
Dissertatio I. *De Perceptionibus.* 11
Caput I. *Perceptionum natura, & objectum.* ib.
§. I. *Perceptionis natura.* ib.
§. II. *De Ideis ad objecta comparatis.* 11
§. III. *De Objectis cum ideis comparatis.* 14
Cap. II. *De Idearum diversitate.* 16
§. I. *Idearum formalis differentia.* ib.
§. II. *Differentia idearum ab objectis petita.* 18
Cap. III. *De Notionum signis.* 19
§. I. *Signorum species.* ib.
§. II. *De Terminis vocalibus.* 20
§. III. *De recto Vocabulorum usu.* 22
Dissert. II. Pars I. *De Definitione, ac Divisione.* 25
Cap. I. *De Definitione.* ib.
§. I. *Definitionis notio.* ib.
§. II. *Definitionis leges.* 26
Cap. II. *De Divisione.* 28
§. I. *Divisionis notio.* ib.
§. II. *Divisionis leges.* 29
Pars II. *De Enunciatione, sive Judicio.* 30
Cap. I. *Judicii proprietates.* ib.
§. I. *Judicii notio.* ib.
§. II. *Nonnullæ judicii proprietates exponuntur.* 31
§. III. *Scientia, Fides, Opinio, cetera.* 33
Cap. II. *Suppositio terminorum in Propositione.* 35
Cap. III. *De materiali Propositionum differentia.* 36
§. I. *Propositio universalis, particularis, singularis.* ib.
§. II. *Conversio Propositionum.* 38
§. III. *Oppositio Propositionum.* 40
Cap. IV. *De Formali Enunciationum diversitate.* 42
§. I. *Classes Propositionum.* ib.
§. II. *Veritas, & falsitas Propositionum.* 45
§. III. *Peculiares Propositiones methodi scientificæ.* 46
Dissert. III. *De Ratiocinatione.* 48
Cap. I. *Ratiocinii natura, & fundamenta.* ib.
§. I. *Ratiocinationis natura.* ib.
§. II. *Fundamenta ratiocinandi.* 51
Cap. II. *Argumentationum species exponuntur.* ib.

Cap.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cap. III. *De Syllogismo*. 53
§. I. *Syllogismi species*. ib.
§. II. *Syllogismorum leges*. 54
Cap. IV. *De Syllogismo composito*. 58
§. I. *Syllogismus hypotheticus*. ib.
§. II. *Syllogismus disjunctivus*. 60
§. III. *Syllogismus copulativus*. 61
Cap. V. *De figuris Syllogismorum*. 62
Cap. VI. *De Demonstratione, aliisque argumentationibus*. 66
§. I. *Demonstratio*. ib.
§. II. *Demonstrationes præposteræ*. 67
§. III. *Argumentatio probabilis*. 68
§. IV. *De Fallaciis*. 69
Dissert. Ultima. *De Methodo*. 73
Cap. I. *Methodus analytica, ac synthetica*. ib.
Cap. II. *De Criterio veritatis*. 74
§. I. *Evidentia*. ib.
§. II. *Sensus externi*. 81
§. III. *Sensus communis*. 85
§. IV. *Auctoritatis criterium*. 89
Cap. III. *Methodus disputandi*. 94
Cap. IV. *Methodus legendi, seu studendi*. 97
Cap. V. *Scientiarum impedimenta*. 99
Metaphysicæ Prolegomena. 105
Disquisitio Præliminaris. 105
§. I. *Principium contradictionis*. ib.
§. II. *De Principio rationis sufficientis*. 109
Dissert. I. *De Ontologia*. 112
Cap. I. *Notiones generales Entis*. ib.
§. I. *Ens, Essentia, & Existentia*. ib.
§. II. *Attributa, & Modi*. 115
Cap. II. *Entis possibilitas, & impossibilitas*. 117
§. I. *Notiones, & divisiones possibilis, & impossibilis*. ib.
§. II. *Rerum possibilitas intrinseca rursus examinatur*. 118
Cap. III. *De generalibus Entis affectionibus*. 121
§. I. *De Veritate Entis*. ib.
§. II. *De Entis Bonitate*. 122
§. III. *De Entis Unitate*. 123
Cap. IV. *De affectionibus Entis contrapositis*. 125
§. I. *Identitas, & Distinctio*. ib.
§. II. *Singulare, & Universale*. 128
§. III. *Simplex, & Compositum*. 130
§. IV. *Absolutum, & Relativum*. 132
§. V. *Finitum, & Infinitum: Mutabile, & Immutabile*. 133

§. Ul-

§. Ultimus. *Necessarium, & Contingens*. 136
Cap. V. *De variis Entium speciebus*. 143
§. I. *De Causis, & Effectibus*. ib.
§. II. *De Substantia, & Accidente*. 160
§. III. *Subsistentia, Suppositum, & Persona*. 162
§. IV. *Quantitas, & Qualitas*. 163
§. V. *De Motu, & Quiete*. 165
Dissert. II. *Cosmologia*. 170
Cap. I. *Mundi notio, ejusque partium nexus*. ib.
Cap. II. *De Mundi existentia, seu origine*. 176
Cap. III. *De Mundi perfectione*. 182
Cap. IV. *Metaphysica corporum notio*. 190
Cap. V. *De Corporum Extensione*. 193
§. I. *Continuum*. ib.
§. II. *De Corporum figurata extensione*. 202
Cap. VI. *De Spatio, Loco, & Tempore*. 204
Cap. VII. *Naturale, & supernaturale*. 205
Dissert. III. *Psychologia*. 219
Cap. I. *De existentia Animæ, ejusque facultatibus*. ib.
Cap. II. *De sentiendi Facultate*. 221
Cap. III. *De Animæ sede*. 226
Cap. IV. *De Imaginandi facultate*. 230
§. I. *De Imaginatione*. ib.
§. II. *De Somniis*. 236
§. III. *De Memoria*. 238
Cap. V. *De Intellectu, ejusque operationibus*. 241
§. I. *De Facultate intelligendi*. ib.
§. II. *De Judicio, ac Ratione*. 244
§. III. *De Reflexione, atque Attentione*. 249
Cap. VI. *De Commercio Animæ cum corpore*. 252
§. I. *Systema Harmoniæ præstabilitæ*. ib.
§. II. *Systema assistentiæ, seu Causarum Occasionalium*. 257
§. III. *Systema Influxus physici*. 264
Cap. VII. *De Idearum Origine, & Natura*. 272
Cap. VIII. *De humana Voluntate, ejusque proprietatibus*. 281
§. I. *De objecto Voluntatis humanæ*. ib.
§. II. *De Affectibus, ac Habitibus animæ*. 299
§. III. *De humana Libertate*. 303
Cap. IX. *De Mentis humanæ Natura, & Origine*. 307
§. I. *An humanus Animus sit incorporeus*. ib.
§. II. *De Animorum Immortalitate*. 316
§. III. *De Origine humanæ mentis, aliisque quæstionibus*. 326
Cap. Ult. *De Anima Brutorum*. 329
Dissert. IV. *Theologia Naturalis*. 341
Cap. I. *De Existentia Dei*. ib.
Cap. II. *De Attributis Dei*. 348

Cap.

Cap. III. *De Intellectu Divino*. 354
Cap. IV. *De Voluntate Dei*. 357
Cap. V. *De Deo Creatore, & Conservatore*. 365
Cap. VI. *De Deo creaturis providente*. 371
Cap. Ult. *De Deo religiose colendo*. 379
§. I. *De Religione generatim*. ib.
§. II. *De Religione revelata*. 385
§. III. *De Religione Christiana*. 388

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BIBLIOTECA NUEVA